Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/tractatusdesacra0000vari_q3i0

THEOLOGIA

AD USUM

SEMINARII MECHLINIENSIS.

Déposé.

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO ORDINIS,

DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO,

OLIM A PROFESSORIBUS SEMINARII MECHLINIENSIS DICTATI,

ET DEINDE, SUB NOMINE P. DENS, TYPIS EDITI,

NUNC VERO IN PLURIBUS EMENDATI, POSTERIORIBUS SUMMORUM PONTIFICUM DECRETIS ET STATUTIS DIOECESANIS ACCOMMODATI, AC RECENTIORUM AUCTORUM ANIMADVERSIONIBUS LOCUPLETATI.

SECUNDA EDITIO.

ALMA COLLEGE
236.7
LIBRARY
D434
Alma, California

MECHLINIÆ.

H. DESSAIN,

SUMMI PONTIFICIS, S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE ET ARCHIEP. MECHL. TYPOGRAPHUS.

MDCCCLXXII.

4971

Cum duo præcipue in sacerdote et animarum pastore requirantur, probitas videlicet et doctrina, earum utraque in Seminario est comparanda.

S. CAROLUS BORROMÆUS, INSTIT. SEMINARII, PART. 3, CAP. 1.

In signum authenticitatis.

VICTOR-AUGUSTUS-ISIDORUS

DECHAMPS,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPUS MECHLINIENSIS, PRIMAS BELGII, SANCTITATIS SUÆ PRÆLATUS DOMESTICUS ET SOLIO PONTIFICIO ASSISTENS,

Alumnis Seminarii nostri et universo Clero Diœcesis salutem in Domino.

Vix opus est ut vobis commendemus hunc tractatum de Sacramento Ordinis, quo in re sacramentaria complentur volumina ab Emo fel. rec. prædecessore nostro Cardinali Sterckx, cooperantibus Seminarii professoribus, edita. Reperietis enim hic quidquid conducere potest ad ea cognoscenda, a clericis sine dedecore non ignoranda, quæ ipsum statum ecclesiasticum spectant, quæque adeo nata sunt vos impellere ad magnam vocationis

vestræ æstimationem concipiendam, ac vobis addere stimulum, ut sancte et vocatione vestra digne ambuletis.

Multum igitur in Domino hortamur vos, ut hunc librum diligenter pervolvatis, et quæ ad sacerdotalem scientiam ac virtutes faciunt, inde sedulo haurire studeatis.

Datum Mechliniæ, die 17 junii 1868.

† VICTOR-AUGUSTUS, Arch. Mechl.

De mandato Illmi ac Rmi Domini Archiepiscopi.
P. L. Goossens, Secret.

ENGELBERTUS,

MISERATIONE DIVINA TITULI S. BARTHOLOMÆI IN INSULA S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS STERCKX, ARCHIEP. MECHLINIENSIS, PRIMAS BELGII, ETC.

Alumnis Seminarii nostri et universo clero diœcesis salutem in Domino.

In hoc tractatu, nostra, Officialis nostri et professorum Seminarii diœcesani cura elaborato, non tantum fidei dogmata, quæ sanctum Matrimonii Sacramentum concernunt, sed ea etiam quæ ad mores et disciplinam pertinent, dilucide traduntur; imo modus dispensationes matrimoniales petendi et exequendi juxta modernum Tribunalium Romanorum stylum et praxim accurate proponitur. Cunctis igitur theologiæ studiosis, parochis

præsertim et confessariis commendamus ut hunc librum attente legant, et regulas in eo traditas diligenter observent.

Datum Mechliniæ, die 23 septembris 1861.

† ENGELBERTUS, Card. Arch. Mechl.

De mandato Eminentiæ suæ.
E. C. Verstraeten, Secret.

TRACTATUS

DE

SPONSALIBUS ET MATRIMONIO.

PROOEMIUM.

Matrimonium, quod inter Ecclesiæ Sacramenta ultimo loco recensetur, hoc quidem peculiare habet, quod non tantum sit signum gratiæ spiritualis quam confert, sicut cætera Sacramenta Novæ Legis, sed etiam signum sacrum mirabilis conjunctionis Christi cum Ecclesia, atque catenus Sacramentum hoc magnum dicitur ab Apostolo, Eph. V.

Porro præter rationem Sacramenti, quam ipsi indidit Christus Dominus, Matrimonium rationem habet contractus naturalis et religiosi, qui inter virum ac mulierem vinculum inducit perpetuum cum peculiaribus obligationibus ac officiis. Utraque autem hæc ratio et Sacramenti et contractus multas suscitavit arduas ac intricatas quæstiones; adeo quidem ut ipse S. Augustinus, *De conjugiis adulterinis*, lib. 1, postquam varia dubia sibi proposita resolvit, hæc addat : *His itaque pro modulo pertractatis atque discussis, quæstionem tamen de conjugiis obscurissimam et implicatissimam esse non nescio; nec audeo profiteri omnes sinus ejus, vel in hoc opere vel in alio, me adhuc explicasse, vel jam posse, si urgear, explicare.*

Post tempora autem S. Augustini, plura Conciliorum et Summorum Pontificum decreta catholicam de hoc magno Sacramento doctrinam plurimum illustrarunt, errores hæreticorum condemnarunt, et varias disciplinæ leges sanxerunt, quibus orthodoxiæ optime provisum et abusibus via præclusa fuit.

Istis decretis ubique inhærentes hunc tractatum, clariori quo fieri potuit modo, pro majori Theologiæ candidatorum commodo, conscribere conati sumus.

Præmittimus autem tractatum de Sponsalibus, quæ Matrimonium præcedere solent, sive solemniter coram Ecclesia, sive privatim ineantur, et non raro animarum rectoribus serias difficultates suscitant.

S. Thomas de Sponsalibus et Matrimonio agit in Supplemento Summæ theologicæ a quæst. 41 usque ad quæst. 68 inclusive.

Ipso duce, agemus :

A N. 1 ad 6, *de Sponsalium natura et adjunctis;*

N. 7 et 8, *de eorum effectibus et necessitate;*

N. 9 et 10, *de impedimentis Sponsalium;*

A N. 10 ad 20, *de eorum dissolutione;* ac tandem N. 21 et 22, *de proclamationibus, et officio parochi erga nupturientes.*

Postea dicemus de Matrimonio : et quidem a N. 23 ad 25, *de ejus natura ut est in officium naturæ, institutione, honestate etc.;*

A N. 26 ad 29, *de Matrimonio ut est Sacramentum;*

A N. 30 ad 33, *de effectibus, et separabilitate contractus et Sacramenti;*

A N. 34 ad 38, *de consensu matrimoniali, quo contractus et Sacramentum perficitur, et de conditionibus ei appositis.*

N. 39 et 40 agitur *de fine contrahendi et de bonis Matrimonii : specialiter vero de bono prolis* N. 41 ; *de bono fidei et debito conjugali* a N. 42 ad 49 ; *de bono Sacramenti et indissolubilitate* a N. 50 ad 55 ; quibus succedit tractatio *de divortio et polygamia* N. 56 et 57.

Dein N. 58 incipimus agere *de impedimentis Matrimonii et de potestate ea condendi ;*

A N. 61 vero ad 65 peculiariter *de impedimentis impedientibus tantum ;*

N. 66 et sequentibus usque ad N. 92, *de impedimentis dirimentibus.*

Sequitur N. 93 et 94, *de convalidatione Matrimonii nulliter contracti ;* ac tandem a N. 95 ad 102 agitur *de dispensatione in impedimentis.*

Præmittitur de more decretum Concilii Florentini et canones Concilii Tridentini.

Summa doctrinæ catholicæ de Matrimonio ex Conciliis Florentino et Tridentino.

Decretum Concilii Florentini.

Septimum est Sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, secundum Apostolum dicentem : Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico, in Christo et in Ecclesia. *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus. Assignatur autem triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem Christi conjunctionem et Ecclesiæ : quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est; cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.*

Canones Concilii Tridentini.

Sess. XXIV. De Sacramento Matrimonii.

I. Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum; neque gratiam conferre; anathema sit.

II. Si quis dixerit, licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit.

III. Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, et dirimant; anathema sit.

IV. Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.

V. Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestum cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum; anathema sit.

VI. Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit.

VII. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, et docet, juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui, dimisssa adultera, aliam duxerit, et eam quæ, dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit.

VIII. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.

IX. Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica vel voto; et oppositum nil aliud esse, quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; anathema sit : cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus, tentari.

X. Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu, quam jungi matrimonio; anathema sit.

XI. Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones, et alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit; anathema sit.

XII. Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos; anathema sit.

DE SPONSALIBUS.

N. 1. De nomine, definitione et divisione Sponsalium.

S. Thomas, Supplem. quæst. 43, art. 1.

Sponsalia dicuntur a *spondendo*, quod est sponte promittere. Triplici modo vox accipitur : Sponsalia

1°. Pro muneribus quæ sponsæ vel sponso offeruntur ; et ita sumitur, I Reg. XVIII, 25 : *Non habet rex sponsalia necesse.*

2°. Pro Matrimonio rato non consummato : quo sensu Beata Virgo, Luc. II, 5, dicitur *desponsata Josepho uxor.* In jure canonico, et apud canonistas, Matrimonium non consummatum similiter *sponsalia de præsenti ;* contrahentes vero *sponsus* et *sponsa* vocantur.

3°. Sumitur magis proprie et stricte pro promissione futuri Matrimonii inter virum et mulierem : hoc canonistæ *sponsalia de futuro* dicunt.

Quomodo definiuntur Sponsalia stricte dicta ?

R. *Promissio Matrimonii mutua inter personas determinatas et habiles.*

Dicitur, *promissio Matrimonii ;* nam ut subsistant Sponsalia, debet Matrimonium vere promitti ; nec sufficit simplex intentio, desiderium, aut propositum, licet verbis expressum, sed omnia ad veram promissionem necessaria adesse debent. definiuntur : Promissio Matrimonii

Dicitur, *mutua,* id est reciproca, seu utrimque data et acceptata promissio. Debet esse mutuo data : nam Sponsalia sunt contractus onerosus ; et sicut non subsistit Matrimonium sine mutua corporum traditione, sic nec Sponsalia sine mutua futuræ hujus traditionis sponsione subsistunt. Hinc dicitur, quod Sponsalia non possint claudicare, sive valida esse ex una parte, non ex altera. mutua

Debet promissio etiam mutuo esse acceptata, cum nulla promissio, licet jurata, sine acceptatione vim obligandi

habeat : dum autem mutuo sponte promittunt, eo ipso acceptant mutuam promissionem.

Igitur si una tantum pars promittat, et altera non repromittat, non erunt Sponsalia. Imo nequidem erit illa promissio obligatoria, nisi promittens voluerit specialiter se obligare alteri parti, etiamsi hæc non repromittat : alias nemo censetur velle se ad Matrimonium contrahendum obligare, nisi sub conditione quod altera pars etiam se obliget.

inter personas determinatas

Additur, *inter personas determinatas;* quia sicut Matrimonium est contractus unius cum una determinata persona, ita pariter hoc ejus præambulum. Unde vera Sponsalia non forent, nec consequenter oriretur impedimentum publicæ honestatis, si quis pluribus filiabus simul promitteret, se unam ex ipsis ducturum in uxorem quam non determinaret, singulis licet acceptantibus et repromittentibus. Esset tamen vera promissio; adeoque inde oriretur obligatio in viro eligendi unam ex ipsis, quæ vicissim in nuptias consentire teneretur.

et habiles.

Denique cum multis non immerito additur, *et habiles;* quia licet conditio communis sit omnis contractus, ut fiat inter personas habiles ad contrahendum, hic speciali ratione personæ habiles esse debent, quatenus ipsæ sunt objectum futuri contractus matrimonialis, qui promittitur.

Quomodo dividuntur Sponsalia?

Varie dividuntur.

R. Dividuntur : 1°. in *solemnia* et *clandestina.* Solemnia dicuntur, quæ contrahuntur coram parocho et testibus; clandestina dicuntur, quæ sine præsentia parochi contrahuntur, sive testes adsint sive non : hæc vocantur etiam *privata.*

2°. In *absoluta,* quæ pure, sine conditione, et *conditionata,* quæ sub certa conditione ineuntur.

3°. In *firma,* quæ rescindi non possunt ab alterutro, et *rescindibilia,* quæ ab una parte contrahentium rescindi seu dissolvi possunt.

4°. In *simplicia,* quibus nulla pœna annexa est, et *pœnalia,* quibus pœna contra resilientem statuitur.

5°. In *jurata,* sive juramento firmata, et *non jurata.*

N. 2. De consensu requisito ad Sponsalia.

Qualis requiritur consensus ad valida Sponsalia?

R. Requiritur consensus proprius, mutuus, plene deliberatus, internus simul et externus.

Consensus sponsalitius debet esse proprius,

Debet esse *proprius*, seu *personalis*, ut patet ex eo, quod nemo, quoad dispositionem sui corporis in ordine ad Matrimonium, subjiciatur dominio alterius, sed quisque sit proprii juris. Unde si parentes loco prolis contrahant Sponsalia, ea non subsistunt, nisi proles ipsa consentiat.

mutuus,

Quod consensus debeat esse *mutuus*, constat ex dictis N°. præcedente.

plene deliberatus,

Debet esse *plene deliberatus* : non equidem requiritur ea deliberationis perfectio, quæ in maturitate consilii et ponderatione omnium circumstantiarum rei consistit ; sed ea saltem requiritur, quæ necessaria est in materia lethali ad peccandum mortaliter. Ratio est, quod Sponsalia inducant gravem obligationem justitiæ : nemo autem censetur velle sub gravi se obligare, nisi sufficienter adverterit et plene consenserit.

Hinc Sponsalia contrahere nequeunt amentes aut ebrii. Imperfecte ebrii e contra, in quibus manet sufficiens rationis usus, valide possent contrahere.

Neque valide contraheret ebrius, etiamsi prævidisset se in ebrietate Sponsalia initurum : cum enim consensus ad Sponsalia requisitus sit actus elicitus voluntatis deliberatæ, patet, quod debeat esse *in se* seu *directe voluntarius ;* actus enim eliciti voluntatis indirecte tantum voluntarii esse non possunt.

internus simul et externus.

Debet consensus esse internus et simul externus : *internus,* quia est proprie actus voluntatis ; *externus,* seu externe manifestatus, quia promissio debet utrimque dari et acceptari, adeoque utrimque innotescere, quod fieri non potest nisi externe signis manifestetur.

Ø *An valent Sponsalia, si quis externe quidem serio proferat verba consensum importantia, sed* 1°. *interius positive nolit promittere ; vel* 2°. *interne etiam promittens nolit tamen*

promissione obligari ; vel 3°. cum animo promittendi et se obligandi statuat promissa non adimplere ?

Invalida sunt Sponsalia, si quis externe serio consensum exprimat, interne autem contrahere nolit ;

R. ad 1. In primo casu non valent Sponsalia, neque sic ficte promittens promissione ligatur, etsi graviter peccet et teneri possit ad reparanda damna forte illata ; et ratio est, quia sine voluntate promittendi non datur vera promissio, neque adeo promissionis obligatio. Ita cum S. Alphonso de Ligorio, n. 832, et communiori sententia videtur tenendum, contra Nic. Pauwels et alios, qui sive generaliter pro valore contractus, excepto Matrimonio, sive etiam specialiter pro valore contractus sponsalitii, aiunt sufficere, quod quis voluntarie signa consensus serio exterius ponat. In foro tamen externo supponitur consensus internus, quando serio præstatur externus.

item si volens promittere nolit se obligare ;

R. ad 2. Quod quis etiam interne promittens Matrimonium, nequidem implicite velit se obligare, potest contingere duplici ratione : vel quia ipse ignorat ex promissione illa oriri obligationem exequendi Matrimonium ; vel quia hoc sciens positive non vult se obligare ad Matrimonium.

Si ignorat ex promissione oriri obligationem contrahendi Matrimonium, respondet S. Alphonsus de Ligorio, n. 855 : « Certum est non teneri, ut dicunt Salmanticen-
» ses cum communi (quidquid aliqui aliter sentiant); quia
» qui ignorat naturam promissionis, non habet veram
» promittendi voluntatem. »

Si quidem sciens naturam promissionis, positive non vult revera ad Matrimonium se obligare, tunc minus liquet an obligatio subsistat necne. Duplicem sententiam recenset S. Alphonsus, loco citato.

« Prima sententia dicit, quod iste non solum peccet
» mortaliter contra justitiam, sed etiam ex justitia tenea-
» tur ad contrahendum Matrimonium ; nec excusatur, si
» damnum alio modo velit resarcire. Ratio, quia in ipsa
» promissione, quando est vera, necessario est insita obli-
» gatio ipsi competens; cum autem quis minime vult pro-
» mittere, minime quidem obligatur, sed quando vere
» promittit, non potest nolle obligari juxta conditionem
» contractus ; nequit enim a promissione obligationem illi
» propriam separare ; ita probabiliter Pontius, *De Matri-*
» *monio*.... »

« Secunda vero sententia probabilior, cui subscribimus,

» et quam tenet Sanchez, *De Matrimonio*....., negat esse » obligationem contrahendi. Ratio præcipua est, quia » omnis obligatio, quæ non habetur ex lege, oritur ex » privata hominis voluntate; ergo ubi deest voluntas se » obligandi, deficit obligatio. Et hoc etiamsi promissio » fuerit juramento firmata, ut docet Sanchez cum S. Bo- » naventura...., juramentum enim sequitur naturam pro- » missionis. »

Itaque cum in casu detur duplex voluntas contraria, promittendi scilicet et se non obligandi, censetur prævalere voluntas non se obligandi. Hæc sententia latius probata videri potest apud P. Jos. Pauwels, *De Sponsalibus*, cap. 2, § 381 et seq.

R. ad 3. Sola intentio, seu propositum non adimplendi promissionem, non reddit Sponsalia invalida; sicut ipsum Matrimonium non est invalidum, etsi quis careat animo obligationes Matrimonii adimplendi, vel etiam eas infringere proponat.

valent si desit tantum voluntas adimplendi promissa.

Controversia. An valida sunt Sponsalia ex errore vel dolo, item ex metu contracta?

R. ad 1. Si error vel dolus sit circa substantiam, ut si intendens promittere Annæ, promittat Catharinæ, aut circa accidens redundans in substantiam, Sponsalia certe sunt invalida, quia deest legitimus consensus.

Invalida sunt inita ex errore circa substantiam;

Si error sit circa accidens tantum, etsi error det locum contractui, ita ut quis nollet contrahere nisi in hoc erraret, probabilius est valere consensum, quia verus datur consensus in substantiam; sed Sponsalia tunc plerumque sunt rescindibilia ex parte illius qui errorem vel dolum passus est. Cfr. N. 16 et dicenda de errore, prout est impedimentum dirimens Matrimonii, N°. 67.

probabilius valent inita ex errore circa accidens.

R. ad 2. Si Sponsalia contrahantur ex metu gravi injuste incusso in ordine ad extorquendum consensum, probabilis quidem est sententia, valida esse Sponsalia, quam tenent De Coninck, Viva aliique; quia, aiunt, verus datur consensus, et nulla lex illa specialiter irritat, sicut datur lex irritans Matrimonium ex tali metu initum.

Probabilius invalida sunt inita ex metu gravi:

Sed S. Alphonsus de Ligorio, n. 844, merito probabiliorem habet contrariam sententiam, quam Sanchez, Pontius et plures tuentur, inter quos illi omnes, qui generatim sustinent, quosvis contractus ex gravi metu initos, irritos

esse. Hic autem specialis urget ratio, quod, cum talis metus irritet Matrimonium, consequenter irritare debet Sponsalia; siquidem esset promissio de Matrimonio ex impulsu metus illius contrahendo. Argumentum ita exponit S. Alphonsus : « Licet enim, inquit, loquendo de » contractibus in genere... tenui, quod contractus metu » initi sint de se validi, circa Sponsalia vero diversa oc- » currit ratio. Nam in aliis contractibus, cum ipsi non » sint per se nulli, nec eis resistat jus, bene potest metum » passus, nisi velit contractum rescindere, manere obstri- » ctus ad illum exequendum; at nemo potest obligari ad » exequendum actum per se nullum, et cui jus resistit, » qualis esset Matrimonium durante tali metu contrahen- » dum. Unde, sicut non potest aliquis esse obligatus ad » tale Matrimonium, ita nec ad ejus media sive dispositio- » nem, prout sunt Sponsalia : dispositiones enim induunt » eamdem naturam actus, et ideo passim doctores asserunt » Sponsalia naturam Matrimonii sequi. Adde quod con- » nexorum idem debeat esse judicium, ut infertur ex cap. » *Translato, De Constitut.* Quapropter, sicut Matrimo- » nium ex metu est irritum, idem dicendum est de Spon- » salibus. Ex his infertur quod ex hujusmodi Sponsalibus » minime oriatur impedimentum publicæ honestatis. » Confirmant hanc sententiam ex cap. *Ex litteris, De Desponsatione impuberum*. Cfr. Collet, *De Sponsalibus*, n. 18 et seq.

valent si metus fuerit levis,

Dicta intelligenda sunt de metu gravi, sive absolute gravis sit, sive relative ad personam cui incutitur. Si autem levis tantum sit metus injustus dans causam contractui, probabilius contra Navarrum, Lessium etc. dicitur Sponsalia esse valida, uti ipsum Matrimonium ex levi metu contractum, validum est. Attamen, probabilius habet S. Alphonsus cum Layman, Sanchez etc. contra Pontium, Vivam et alios, quod metum passus posset Sponsalia ista rescindere, uti alter teneretur ei ex justitia fidem datam relaxare.

sed rescindi possunt a metum passo.

Si metus, licet gravis, sit juste incussus etiam in ordine ad consensum extorquendum, Sponsalia sunt valida; ut si juvenis gravi denuntiationis metu promittat Matrimonium puellæ, quam vi oppressit.

Quid censendum, si metus sit injustus quidem, sed non

incussus in ordine ad consensum extorquendum, collige ex dicendis, ubi de impedimento *vis*, N°. 69.

N. 3. De signis consensus sponsalitii.

Quibus signis consensus contrahentium Sponsalia manifestari solent.

R. Sufficiunt quæcumque signa, dummodo per ea utriusque partis promissio et acceptatio in alterius notitiam perveniat : eo ipso enim adest amborum in idem consensus. Unde sufficere possunt verba, scriptura, nutus; item datio arrhæ vel annuli etc., si consuetudo patriæ talia habeat ut signa consensus. Certe sufficit si uterque dicat alteri : *Promitto tibi Matrimonium.* Signa consensus certa.

In Pastorali nostro præscribitur hæc forma pro Sponsalibus solemnibus coram parocho contrahendis : *Ego N.. in præsentia astantium promitto me daturum fidem meam tibi N.. quam hic manu teneo, et te ducturum in legitimam uxorem meam, si non obstiterit aliquod canonicum impedimentum.* Similibus verbis repromittit mulier.

Sola taciturnitas non est signum sufficiens ad manifestandum consensum, nisi in casu ubi parentes contrahunt pro prolibus, juxta quod statuit Bonifacius VIII in § 2, cap. un. *De Desponsatione impuberum* in 6 : *Porro ex Sponsalibus quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, vel tacite, ut si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur.* Tunc enim filius censetur consensisse : pro foro tamen conscientiæ requiritur, ut vere interne consenserit. An sufficiat taciturnitas.

Ubi verba seu signa sunt dubia aut ambigua, ex circumstantiis, consuetudine etc., sensus determinandus est. In foro interno generatim standum est intentioni contrahentium : in foro externo autem communi intelligentiæ et sensui verborum, sic ut juxta aliquos inclinandum sit in favorem Matrimonii, juxta alios potius in favorem libertatis. Signa dubia.

Ita ambigua sunt hæc verba : *Accipiam* vel *habebo te in uxorem*, quæ vel promissionem, vel simplex proposi-

tum indicare possunt. Hæc verba : *Non ducam aliam nisi te,* habent hunc sensum disjunctivum : *Vel nullam ducam, vel si aliquam ducam, te ducam, et non aliam;* adeoque non involvunt Sponsalia, nisi concurrant circumstantiæ, quæ indicent intentionem promittendi Matrimonium. Verba : *Ducam uxorem et non aliam nisi te,* juxta Zoesium, continent promissionem Matrimonii.

Si filia juveni eam ad Matrimonium postulanti dicat : *Ita contenta sum,* vel *consentio,* vel *cupio tecum inire Matrimonium,* illa verba per se non involvunt promissionem, sed continent nudi propositi, vel simplicis intentionis, aut desiderii declarationem, quæ ad Sponsalia non sufficiunt. Dicitur *per se,* quia ex circumstantiis aliquando vim promissionis habere censentur : unde in Thesauro Resolutionum legitur similis casus in quo a S. Congreg. Concilii Sponsalia declarata fuerunt valida, in causa proposita 24 Nov. 1781.

Monitum Steyaertii.

Notandum hic etiam est id quod dicit Steyaert, agens de promissione generatim : « Non ex verbis solis, sed et » ex circumstantiis sumendum, an sit promissio; non » enim quodlibet *promitto* vel *dabo* mox inducit hoc vin- » culum : civilitas, jactantia, affectus ostendendi firmum » propositum, fortiorve assertio etc., sæpe promuntur, » potius quam detur fides. Sæpius adhuc fides aliqua » datur, sed facile occurrentibus aliis rationibus revo- » canda. Pro rigida obligatione inter homines communi- » ter expressius aliquid requiritur in promissione. »

An essent Sponsalia, si vir et mulier privatim inter se dicerent : Accipio te in uxorem : Accipio te in maritum?

Sponsalia non inducit consensus de præsenti clandestinus,

R. Negative; nam verba ista non significant Matrimonium promitti, sed iniri; quare non involvunt Sponsalia, sed Matrimonium : unde possent valere ad inducendum vinculum Matrimonii in locis ubi Tridentina lex circa clandestinitatem non viget; ubi vero hæc viget, nec matrimonium efficerent, nec Sponsalia. Ex declarationibus enim S. Congregationis Concilii constat, Matrimonium hujusmodi clandestinum non transire in Sponsalia de futuro. Cfr. Benedictum XIV, *Institutione* 46, n. 23.

bene vero consensus matrimonialis ob solam impubertatem invalidus.

E contra Matrimonium impuberum propter impubertatem nullum, valet in ratione Sponsalium de futuro, ut liquet ex cap. un. *De Desponsatione impuberum* in 6. si tamen vim sponsalium non excludunt. Vere tamen sponsalia haberi non vide si ejusmodi M irritum esset propter imp. clandestinitatis

An adimpletio civilium formarum Matrimonii, quibus vir et mulier declarant coram magistratu, sese mutuo in conjuges accipere, habent rationem Sponsalium?

R. Distinguunt Carrière et Gury inter eos qui habent intentionem contrahendi coram parocho, et eos qui istam intentionem non habent, et dicunt, priores Sponsalia contrahere, quia saltem *implicite* se obligant ad contrahendum Matrimonium coram parocho; non vero posteriores, quia hi vere Matrimonium clandestinum ineunt, quod vim Sponsalium nullatenus habet, ut supra vidimus.

Vim Sponsalium non habet matrimonium civile.

Nobis videtur potius generatim dicendum, quod istæ solemnitates non involvant Sponsalia, nequidem ubi ambo coram parocho contrahere intendunt; nec adeo tunc inducant impedimentum publicæ honestatis. Ratio est, quod nec ea quæ peraguntur, nec verba quæ proferuntur, ex se aut ex intentione agentium, involvant promissionem Matrimonii contrahendi; unice enim intendunt satisfacere legi civili et civiles Matrimonii effectus consequi. Esto ex tali actu contrahatur obligatio Matrimonium coram Ecclesia ineundi, non sequitur eum habere rationem Sponsalium; obligatio enim contrahendi Matrimonium, non ex solis Sponsalibus, sed ex aliis etiam causis provenit; ita sæpe provenit ex fornicatione ad legitimandas proles, etc. Igitur neque ex eo quod actus inducit obligationem Matrimonium ineundi, sequitur, eum vim habere Sponsalium.

N. 4. Quinam sint habiles ad contrahendum Sponsalia, et de ætate requisita.

S. Thom., Supplem. quæst. 43, art. 2.

Quinam possunt valide contrahere Sponsalia?

R. Illi soli, qui sufficiente rationis discretione præditi sunt, ut intelligant ad quid se obligent, et habiles sunt ad Matrimonium aliquando valide et licite contrahendum.

Habiles ad Sponsalia non sunt qui carent usu rationis, aut habent impedimentum Matrimonii perpetuum;

Defectu primi requisiti contrahere nequeunt amentes, aut pueri ante usum rationis: defectu secundi requisiti invalide spondent, qui habent impedimentum Matrimonii perpetuum, sive dirimens sive impediens tantum, quia nemo potest se obligare ad impossibile aut illicitum.

Valide autem Sponsalia contrahunt impuberes, quia, etsi non nunc, futuri tamen sunt habiles ad Matrimonium. Cfr. dicenda N°. 9, ubi de impedimentis Sponsalium.

Quænam requiritur ætas ad valide contrahendum Sponsalia?

neque septennio minores,

R. Requiritur, ut tam masculus quam puella ætatem septem annorum compleverint; patet ex cap. *Litteras* et cap. *Accessit, De Desponsatione impuberum,* lib. 4 Decretal.

nisi forte prudentia suppleat ætatem.

An autem valida sint Sponsalia contracta ante completum septennium, si prudentia suppleat ætatem, et rationis discretio adsit, non convenit inter auctores. Plures post S. Thomam, hic ad 7, affirmant, ut Sanchez, Neesen, Billuart, S. Alphonsus de Ligorio, n. 834: quia valida sunt jure naturæ, et jus positivum unice præscripsit septennium, ut tunc usus rationis adesse præsumatur in foro externo. Alii vero, ut Wiggers, Steyaert etc. negant, quia ipsis videtur lex generatim irritare Sponsalia inita ante septennium completum.

Regulariter non sunt admittendi ad Sponsalia nisi qui intra sex hebdomadas sunt contracturi Matrimonium.

Porro licet septennes possint valide contrahere Sponsalia, ad ea tamen ante pubertatem a parochis admitti non possunt sine licentia superiorum. Imo admittendi non sunt nisi illi, qui in proximo Matrimonium contrahere possunt; Ritualia enim passim requirunt, ut intra sex hebdomadas post contracta Sponsalia etiam Matrimonium contrahatur, idque statuit Synodus diœcesana Mechliniensis anni 1609.

An Sponsalia contracta ante pubertatem sunt omnino firma?

Contracta ante pubertatem post eam adeptam possunt rescindi.

R. Non sunt æque firma ac Sponsalia puberum: nam jure positivo revocabilia sunt post pubertatem, ita ut qui impubes contraxit, factus pubes resilire possit, modo statim, id est intra tres dies, ut communiter interpretantur, post adeptam privilegii cognitionem, reclamet coram judice vel testibus, et modo inter eos non intervenerit copula carnalis. Vide cap. *A nobis, De Desponsatione impuberum* et S. Alphonsum de Ligorio, n. 856.

N. 5. De Sponsalibus clandestinis.

An valida sunt Sponsalia clandestine contracta?

Sponsalia clandestina sunt valida,

R. Affirmative; si nempe vere fiat promissio mutua, et cætera adsint ad Sponsalia requisita; adeoque etiam inducunt publicam honestatem. Ratio est, quod tunc nihil essentiale desit, nec ulla sit lex ea irritans. Concilium Tridentinum quidem declaravit irrita Matrimonia contracta sine parochi et testium præsentia; at vero nihil simile decrevit quoad Sponsalia. Insuper Benedictus XIV, *De Synodo diœcesana,* lib. 12, cap. 5, et *Institutione* 46, n. 12, adfert plura decreta S. Congregationis Concilii, quibus declaratur, præsentiam parochi et testium necessariam non esse. Hinc recte monet Synodus diœcesana Mechliniensis anni 1609, tit. 9, cap. 1 : *Cum Sponsalia de futuro a sacro Concilio Tridentino sint intacta, atque ita relicta in terminis et dispositione juris communis... certum est, ea esse valida et servari debere, etiamsi coram parocho et testibus contracta non fuerint; et cum multi perperam aliter sentiant, error ille a concionatoribus et confessariis, data opportunitate, iis eximatur.*

Non modo valide contrahuntur clandestine inter præsentes, sed etiam inter absentes, sive per litteras, sive per procuratorem, modo hic habeat speciale mandatum nullatenus revocatum, et ad specialem personam.

Additum est, *si vere fiat promissio,* quia facile in clandestinis contingere potest, ut verus desit promittendi et se obligandi animus, etsi verba promissoria adhibeantur.

An Sponsalia clandestina sunt licita?

sed plerumque illicita,

R. Quamvis de se sint licita, utpote nulla lege prohibita, propter circumstantias tamen quæ illa comitari aut subsequi solent, plerumque illicita et peccaminosa sunt; nam contrahi solent præcipitanter, ex passione inordinata, sine consilio et consensu parentum, post conversationes inhonestas et graviora etiam peccata; deinde sic desponsati non raro sine justa causa fidem frangunt, et ad alias nuptias transeunt. Ideo generatim juventus ab hisce serio avertenda est : si tamen justa causa adsit, v. g. ut sponsus possit secure conducere domum, et omnis inordinatio præcaveatur, sine culpa contrahuntur.

N. 6. De adjunctis Sponsalium : juramento, conditione apposita, copula superveniente, arrha aut pœna addita.

S. Thom., Supplem. quæst. 43, art. 1.

Sponsalibus nonnunquam quædam adjunguntur, quæ in ipsa, eorumve firmitatem influunt ; ut si promissio fiat sub juramento, aut conditio aliqua adjiciatur, si superveniat copula inter sponsos, vel Sponsalibus arrha, aut pœna contra resilientem sit apposita. De his nunc inquiritur.

Quæstio 1. *Quid facit juramentum Sponsalibus adjectum ?*

Sponsalia firma juramento confirmantur ;

R. I. Juramentum adjectum Sponsalibus validis et firmis, illa confirmat, addendo obligationi justitiæ obligationem religionis ; ita ut illa non adimplens committat duplex peccatum specie diversum.

II. Si juramentum adjectum fuit Sponsalibus validis sed rescindibilibus, distinguendum est.

rescindibilia propter juramentum sunt servanda,

Vel 1°. rescindibilia sunt ob injuriam ab uno e contrahentibus alteri illatam, v. g. per dolum aut metum injustum, aut propter gravem errorem : tunc equidem de jure manent rescindibilia. Attamen servanda est promissio ob religionem juramenti, donec obtenta fuerit ejus relaxatio, quæ in casu facile est concedenda. Ratio habetur in generali principio, *quod non est tutum quemlibet contra juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ,* ut habet Alexander III, cap. *Si vero aliquis, De jurejurando,* lib. 2 Decretal.

Vel 2°. rescindibilia sunt, non ob injuriam aut errorem, sed ex mera dispositione juris, qualia sunt Sponsalia ante pubertatem contracta. In hoc casu Bonacina, Roncaglia aliique dicunt, non tantum ex religione, sed etiam ex justitia tenenda esse ; quia secundum ipsos Sponsalia in impubertate contracta et juramento firmata, post adeptam pubertatem non sunt de jure rescindibilia ; idque probant ex cap. *Ex litteris, De Sponsalibus et Matrimoniis,* lib. 4 Decretal. Alii tamen id restringunt ad casum, quo quis pubertati proximus Sponsalia jurasset ; cum citatus textus

loquatur tantum de *impubescentibus*. Cfr. Sanchez, lib. 1, disp. 51, quæst. 3.

Vel 3°. denique Sponsalia ab initio quidem firma, postea rescindibilia fiunt ob causam supervenientem; tunc etsi sub juramento inita, semper rescindi possunt; neque ex religione sunt servanda, quia juramentum, non secus ac promissio, censetur emissum sub tacita conditione, nisi legitima rescindendi causa superveniat. Cfr. cap. *Quemadmodum, De jurejurando.* nisi rescindibilia sint ex superveniente causa;

III. Juramentum adjectum Sponsalibus invalidis ea confirmare non potest, nec obligationem inducit: sive invalida sint quia Matrimonium inter contrahentes esset irritum aut illicitum, cum juramentum non possit esse vinculum iniquitatis; sive illa irrita sint ob defectum consensus, ut si erretur circa substantiam, quia tunc juramento, sicut contractui, deest consensus substantialis, cum jurans non intendat jurare de re circa quam errat, sed de alia prorsus dissimili. invalida juramento non firmantur.

Quæstio 2. *Quid facit conditio Sponsalibus adjecta?*

R. 1°. Quando conditio adjecta est de præterito vel de præsenti, Sponsalia statim sunt valida, si subsistat conditio, invalida vero, si non subsistat. Ratio est, quod Sponsalia dependeant a voluntate contrahentium, adeoque si obligari velint dependenter a conditionis existentia, conditione existente, jam existit obligatio, conditione deficiente, deficit obligatio. Quid faciat conditio adjecta de præsenti aut præterito;

2°. Quando conditio adjecta est suspensiva de futuro contingenti, et honesta, suspenditur consensus adeoque obligatio, usque ad eventum; impleta autem conditione, Sponsalia obligant et fiunt absoluta absque novo consensu; deficiente conditione, evanescit obligatio. Ratio est, quod hæc fuit intentio contrahentium, cum istam conditionem apponerent; nihil verò impedit, quominus sic se obligare valeant. quid conditio de futuro suspensiva;

Dictum est *de futuro contingenti*, quia conditio de futuro necessario, ut *promitto Matrimonium, si cras sol oriatur*, in foro externo censetur non adjecta, seu modo impleta, ob certitudinem eventus: si tamen revera consensum voluisset suspendere usque ad eventum, tantum post illum subsisteret.

Quid vero censendum sit de consensu præstito sub

conditione impossibili aut inhonesta, dicetur N°. 36, ubi de tali conditione adjecta contractui matrimoniali.

quid resolutoria ; 3°. Quando conditio adjecta de futuro non est *suspensiva* consensus, sed *resolutoria,* tunc Sponsalia æquivalent absolutis : v. g. si Titius miles cum Titia Sponsalia ineat, adjecta conditione, quod si bellum indicatur ante nuptias, eo ipso Sponsalia dissolvantur. In hoc casu obligatio contrahitur statim et absolute ; sed resolvitur et cessat, dum bellum indicitur ante nuptias.

quid si causa, Nota 1°. Sponsalibus, uti et aliis contractibus, aliquid forte adjicitur, ut *causa* seu motivum contrahendi ; v. g. si dicatur : *Promitto tibi Matrimonium, quia dives es.* Hæc additio de se non suspendit, nec irritat contractum, etsi falsa supponatur, quia equidem absolute præbetur consensus : per accidens vero potest illum suspendere aut irritare, ut si additio illa ex intentione loquentis habeat rationem conditionis, aut si contineat errorem substantialem.

modus, Similiter *modus,* seu conditio modalis, contractui adjectus, nec suspendit nec irritat contractum. Per modum vero hic intelligitur onus, ad quod contrahens alterum vult obligare post contractum, ut si dicat : *Spondeo tibi Matrimonium, ut mecum mercaturam exerceas.*

demonstratio adjiciatur. Tandem potest aliquid adjici Sponsalibus ut *demonstratio,* dum designatur persona quacum contrahitur, per aliquam ejusdem qualitatem, v. g. *Spondeo tibi Matrimonium, quæ dives es.* De demonstratione idem resolvendum est ac de causa.

Parochus exigere debet ut contrahant absoluto modo. Nota 2°. Parochum coram quo Sponsalia contrahuntur, non posse permittere, ut conditiones aut alia hujusmodi Sponsalibus adjiciantur, sed debere curare, quantum fieri potest, ut absolute et simpliciter contrahantur, ut sic difficultates et ambages præcaveantur.

Quæstio 3. *Quid copula inter sponsos interveniens facit circa Sponsalia ?*

Copula inter sponsos facit Matrimonium, ubi non viget Tridentina lex circa R. 1°. In locis ubi non viget lex Tridentina irritans Matrimonia clandestina, copula carnalis superveniens Sponsalibus, sive absolutis sive conditionatis, facit ut transeant in Matrimonium, juxta cap. *Is qui fidem, De Sponsalibus et Matrimoniis,* lib. 4 Decretal. Ratio est, quia præsumitur copula habita fuisse affectu conjugali,

adeoque signum esse præsentis consensus in Matrimonium antea promissum : conditioni autem, si quæ fuerat apposita, censentur sic renuntiare, juxta cap. *Per tuas, De conditionibus appositis,* cit. lib. Decretal. Si tamen constaret, defuisse affectum conjugalem, sed animo fornicario actum perfectum fuisse, non subsisteret Matrimonium, verum manerent Sponsalia. clandestinitatem,

2°. In locis ubi viget lex Tridentina, copula Sponsalibus superveniens ea in Matrimonium convertere non potest, cum ibi validus præstari non possit consensus, nisi in præsentia parochi et testium : sed major oritur obligatio Matrimonium contrahendi, ob mulieris defllorationem, ob periculum relapsus, et ad legitimandam prolem forte conceptam. ubi viget, auget obligationem contrahendi.

An vero Sponsalia conditionata per copulam subsequentem transeant in absoluta, non constat. Zypæus cum aliis affirmat; probabilius tamen negant Sanchez, Billuart aliique, quia hoc nulla lege sancitur.

Quæstio 4. *An in Sponsalibus licet apponere pœnam solvendam, aut tradere arrhum perdendam ab eo qui resiliret?*

Prænotandum. *Pœna* hic intelligitur mulcta pecuniaria, aliave solvenda a resiliente : *arrha* vero est res pretio æstimabilis, quæ a sponso traditur sponsæ, vel vicissim, in pignus futuri Matrimonii. Patet pœnam differre ab arrha, quod hæc in præsenti detur, illa in futuro danda statuatur.

R. ad 1. Certum est non licere apponere pœnam, ab eo qui juste resiliat, aut indiscriminatim a juste vel injuste resiliente solvendam. Constat ex cap. *Gemma, De Sponsalibus et Matrimoniis,* ubi ratio additur : *Cum libera Matrimonia esse debeant, et ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit merito improbanda.* Hinc si pœna fuit apposita, juste resiliens non tenetur eam solvere. Pœna apposita contra juste resilientem non obligat;

Si vero apponatur pœna solvenda tantum ab injuste resiliente, licet probabilis sit sententia Sanchez et aliorum, quod non liceat nec obliget; probabilior tamen videtur contraria sententia, quam Pontius, Billuart, Zypæus aliique tenent, quibus adhæret S. Alphonsus de Ligorio, n. 853, quær. 1. Ratio est, quod lex ad hunc casum non videtur extendenda, cum non sit contra necessariam Matrimonii libertatem, per pœnam impedire probabilius obligat apposita contra injuste resilientem.

sponsos ab injuste resiliendo, uti non officit libertati Matrimonii, quod judex cogat sponsos ad contrahendum per censuras, cum talis metus juste incutiatur. Unde talis pœna apposita, ab injuste resiliente solvenda videtur.

Arrha licite traditur. perdenda ab injuste resiliente.

R. ad 2. Arrham in pignus fidelitatis tradere nulla lege prohibitum est; quæ merito perditur ab injuste resiliente; juste autem resilienti restituenda est. Bene tamen advertit Steyaert, arrhæ traditionem, non secus ac pœnæ appositionem, a parochis dissuadendam esse.

N. 7. De effectibus Sponsalium.

Quinam sunt effectus Sponsalium?

Effectus sunt: publica honestas,

R. Sunt tres sequentes : 1°. Impedimentum dirimens Matrimonium cum mutuis consanguineis sponsorum in primo gradu, quod vocatur *publica honestas*, et oritur ex solis Sponsalibus absolutis : de eo agetur N°. 80.

prohibitio Matrimonii cum alia persona,

2°. Impedimentum impediens ne sponsi contrahant Matrimonium cum quacumque alia persona, quamdiu stant Sponsalia : de quo N°. 64.

gravis obligatio contrahendi,

3°. Obligatio gravis, non solum fidelitatis, sed etiam justitiæ, contrahendi Matrimonium tempore congruo cum illa persona quacum Sponsalia inita sunt. Unde auctores cum S. Thoma docent, resilientem sine justa causa peccare mortaliter : nec sufficit loco Matrimonii puellam v. g. dotare, nisi ipsa in hoc consentiat.

Intra quod tempus desponsati tenentur inire Matrimonium?

intra tempus determinatum, aut lege vel usu statutum.

R. Si tempus fuit determinatum a sponsis, illud servandum est, nisi graves rationes differendi superveniant, vel ambo in dilationem consentiant. Si tempus non fuit determinatum, servandum est illud quod jure statutum, aut usu approbatum est, aut quando alteruter requirit et commode Matrimonium contrahi potest. In nostra Diœcesi Pastorale statuit, ut ineatur infra 40 dies a Sponsalibus coram parocho contractis.

Ordinarie non expedit sponsos cogere ad Matrimonium

Nota 1°. Quod, licet sponsi a judice ecclesiastico cogi possint etiam censuris ad contrahendum Matrimonium, si id speretur profuturum, nec majora inde timeantur mala, juxta cap. *Ex litteris, De Sponsalibus et Matrimo-*

niis, ubi dicitur : *Ecclesiastica censura compellas, nisi rationabilis causa obstiterit ;* raro tamen id expediat, quia ex Matrimoniis coactis sæpe proveniunt dissensiones, rixæ, divortia aliaque mala ; vide cap. *Requisivit*, eod. tit. Resiliens vero potest cogi ad resarcienda damna, si quæ alteri parti inde oborta sint. per censuras.

Nota 2°. Cum sponsi per Sponsalia mutuo acquirant jus inchoatum in corpus alterius, seu jus ad rem, communiter admittunt auctores, contra Pontium et nonnullos alios, fornicationem sponsi seu sponsæ cum tertio, etsi non habeat veram rationem adulterii, specialem tamen induere malitiam injustitiæ. Multi quidem censent, cum Sanchez, hanc circumstantiam tantum notabiliter aggravare peccatum sponsæ, non autem peccatum sponsi, quia, secundum æstimationem hominum, sponsa inde multo fit vilior, et graviter injuriosa sponso ob periculum alieni conceptus, non autem solent similiter homines in peccato sponsi apprehendere gravem injuriam erga sponsam. Nobis vero cum Layman, Salmanticensibus aliisque dicendum videtur, esse circumstantiam notabiliter aggravantem, tam in sponso quam in sponsa : etsi enim gravior sit injuria ex parte sponsæ, ex parte sponsi tamen est simpliciter gravis ; non solet hic sane inter honestos talis injuria sponsæ illata levis reputari. Fornicatio sponsæ cum tertio est grave peccatum injustitiæ; idem probabilius dicendum de fornicatione sponsi.

N. 8. De necessitate Sponsalium solemnium et de loco ac cæremoniis eorum.

An Sponsalia Matrimonio præmitti debent ?

R. 1°. Non debent præmitti pro valore Matrimonii, potest enim res valide tradi, quin antea fuerit promissa. Sponsalia præmitti non debent pro valore Matrimonii, neque ex lege generali, sed ex usu aut lege particulari loci

2°. Non extat generalis lex aut consuetudo Ecclesiæ Sponsalia præcipiens : unde nec eorum mentionem facit Rituale Romanum.

3°. Usus passim habet ut præmittantur ; de eis etiam plura statuuntur libro 4 Decretalium. Quod Diœcesim nostram attinet, in Decreto *De Sacramento Matrimonii*, dato in Congregatione Archipresbyterorum anni 1851, Eminentissimus D. Cardinalis Sterckx sic statuit : *Cum*

valde utile sit ut Sponsalia solemnia Matrimonio præmittantur, et Pastorale nostrum dicat : Matrimonii Sacramentum justas ob causas ex Ecclesiæ consuetudine præcedere debent Sponsalia ; hinc ea semper celebrentur in locis ubi in usu sunt, nisi ob necessitatem dispensatio obtenta fuerit.

Quæ sunt causæ ob quas Sponsalia solemnia Matrimonio præmittuntur ?

Causæ cur præmittantur.

R. 1°. Ut Matrimonium tot oneribus et difficultatibus intricatum, et sola morte dissolvendum, non præcipitanter et temere, sed post maturam deliberationem contrahatur.

2°. Ut per hanc piam cæremoniam, et sacerdotis benedictionem, desponsati gratiam obtineant sese bene ad Matrimonium præparandi, et magis intelligant illud esse magnum Sacramentum, atque adeo diligentius per orationem, confessionem etc. sese disponant ad illud, qua decet pietate, recipiendum.

3°. Ut desponsati, per Sponsalia de Matrimonio contrahendo magis certi ac securi, tutius præparare possint, quæ necessaria fuerint.

4°. *Ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiraverit sponsus dilatam,* ut ait S. Augustinus, *Confessionum,* lib. 8, cap. 3.

5°. Ut interea fieri possint proclamationes antenuptiales ad detegenda impedimenta, si quæ forte subsint.

Coram quo Sponsalia solemnia sunt contrahenda ?

Celebranda coram parocho sponsæ

R. Coram parocho sponsorum, vel sacerdote ab eo delegato; si vero sponsi ad diversas parochias pertineant, iniri consueverunt coram parocho sponsæ, ut dicit Pastorale nostrum; idque magis decet, cum honestas exigat, ut spensus videatur quærere sponsam, non e contra. Cfr. Decretum Congregationis Archipresbyterorum anni 1851, § III et V.

et duobus testibus,

Etiam adesse debent testes, ut patet ex formula Pastoralis : *In præsentia astantium promitto* etc., sed numerus et qualitates eorum definitæ non sunt. Pastorale quidem dicit : *Videat* (sacerdos) *an adsint utriusque partis parentes, aut alii eorum nomine, sine quibus temere procedi non debet* : sed his verbis indicare voluit, neminem sine consensu parentum ad Sponsalia admitti posse, præsentiam eorum absolute non requisivit. Igitur sufficit ut adhibeantur duo testes idonei, qualescumque fuerint.

Quo ritu, loco et tempore Sponsalia solemnia celebranda sunt?

R. Pastorale nostrum sic ordinat: *Ea celebraturus sacerdos stola, seu ornamento officii indutus, et in ecclesia, cœmeterio, aut alio publico seu honesto loco constitutus, videat num desponsandi sobrii sint,* etc. Igitur etiam in sacristia, aut domo pastorali celebrari possunt, minime vero in taberna, aut similibus locis. Laudanda est consuetudo, ut mane post Missam celebrentur, at equidem etiam post meridiem, ac vesperi id fieri potest, cum nullum tempus sit præscriptum. et in loco honesto.

N. 9. De iis quæ Sponsalia prohibent aut irritant.

Impedimenta Sponsalium duplicis sunt generis: alia enim sunt, quæ illa impediunt tantum, alia vero dirimunt, seu irritant: de singulis hic agendum. Impedimenta Sponsalium:

Quænam simpliciter impediunt Sponsalia contrahenda?

R. Sunt illa omnia quæ Sponsalia reddunt illicita, etsi in se sint valida, adeoque publicam honestatem cæterosque effectus Sponsalium producant; qualia sunt: defectus consensus parentum, defectus ætatis convenientis, scandala oritura etc. Si vero hæc talia essent, ut ipsum Matrimonium redderent perpetuo illicitum, non tantum impedirent, sed irritarent Sponsalia, ut ex sequentibus patebit. alia impediunt tantum,

Quæ sunt impedimenta quæ dirimunt Sponsalia subsequentia?

R. Sunt generatim illa quæ Sponsalia reddunt invalida, adeoque obstant ne suos effectus producant. alia irritant, ut quæ verum consensum impediunt, aut impediunt Matrimonium de se perpetuo.

Hujusmodi sunt: I. Illa quæ obstant, ne verus et sufficiens præbeatur consensus, ut amentia, error circa personam etc.

II. Impedimenta Matrimonii de se perpetua, seu quæ ex natura rei aliquando cessare non debent, sive illa Matrimonium impediant tantum, sive illud dirimant. Ratio est, quod valide promitti non possit id, quod licite non potest dari, quia nemo potest obligari ad illicitum.

Talia sunt inter ea quæ tantum impediunt Matrimo-

nium : 1°. Sponsalia antea contracta cum alia persona, aut simplex etiam promissio Matrimonii : quod verum est, inquit P. Pauwels, etsi prior ista promissio esset sub conditione honesta adhuc pendente. 2°. Votum simplex sive non nubendi, sive suscipiendi Ordines sacros, sive ingrediendi religionem, sive servandi perpetuo castitatem : quia hæc omnia reddunt Matrimonium illicitum, primum absolute, reliqua si contrahatur ordinario modo, sive cum intentione illud consummandi. 3°. His addi potest religio mixta impediens Matrimonium inter partem catholicam et hæreticam.

Talia sunt etiam pleraque impedimenta dirimentia Matrimonium, ut votum solemne, Ordo sacer, ligamen, cognatio, affinitas, publica honestas, cultus disparitas, impotentia, crimen.

An valent Sponsalia contracta sub conditione amovendi impedimenti?

Quid si addatur conditio amovendi impedimenti,

R. Si impedimenta Matrimonii, licet de se perpetua, amovibilia sint, seu auferri possint per voluntariam mutationem, tunc videntur valide contrahi Sponsalia sub conditione amovendi impedimenti. Hinc docet S. Thomas, quæst. 59, art. 1, ad 3, inter fidelem et infidelem valere Sponsalia sub conditione futuræ conversionis.

et signanter obtinendæ dispensationis.

Si autem impedimentum sola dispensatione tolli possit, distinguendum est.

Si tale sit impedimentum, in quo nunquam aut raro concedatur dispensatio, aut si desit sponsis justa ratio illius obtinendæ, invalida sunt Sponsalia sub conditione petendæ dispensationis inita.

Quodsi impedimentum ex illis sit in quibus Pontifex dispensare soleat, et justa ratio detur dispensationem petendi, in duplicem præsertim viam abierunt auctores. S. Alphonsus et alii, perpensis tantum natura et conditionibus contractuum, resolvunt Sponsalia sub hujusmodi conditione inita valere, ita ut inducatur duplex obligatio, petendi scilicet hanc dispensationem et, ea obtenta, Matrimonium contrahendi. Alii, ut Gury, docent illa esse invalida, et hanc doctrinam, variis S. Rotæ et S. Congregationis Concilii resolutionibus firmatam, tenendam esse.

Irrita promissio Matrimo-

Hic nota, quod promissio Matrimonii post mortem conjugis contrahendi, seu facta sub conditione *si conjux*

moriatur, videatur omnino irrita; quia est inhonesta, et fidelitas conjugalis ac indissolubilitas Matrimonii obstant, ne quis, vivente comparte, possit se promissione alteri obligatum efficere. Nii sub conditione : si conjux moriatur.

Post Sponsalia autem contracta cum una persona, juxta aliquos auctores, valet promissio facta alteri sub conditione saltem implicita, *si non obstent priora Sponsalia*, ita ut, obligatione cessante cum prima per ejus consensum, mortem, infidelitatem etc. teneretur secundam ducere.

E contra si promissio absolute facta esset, non convalesceret, cessante impedimento per mortem prioris sponsæ, quia cum de jure ab initio nulla sit talis promissio, nullam parit obligationem : hic valet regula 18 juris in 6 : *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.*

An valida sunt Sponsalia contracta cum impedimento Matrimonii temporali tantum?

R. Si impedimentum ex natura sua non sit perpetuum, sed naturali rerum decursu natum sit cessare, tunc non obstat valori Sponsalium absoluto modo contractorum, quia per se intelligitur promissio de Matrimonio ineundo postquam cessaverit impedimentum, nisi explicite vel implicite ex circumstantiis significetur ineundum, durante impedimento. Hinc tempore clauso, etsi illicite contrahatur Matrimonium, valide contrahuntur Sponsalia, quia intelligitur promissio de Matrimonio ineundo post tempus clausum. Sic valide contrahuntur Sponsalia cum voto castitatis servandæ ad tempus, nisi explicite vel implicite intendatur Matrimonium contrahendum et consummandum durante impedimento. Sic etiam valori Sponsalium per se non obstant quædam impedimenta Matrimonium dirimentia, ut defectus pubertatis post septennium, clandestinitas, impedimentum raptus, nisi expresse vel implicite statuatur Matrimonium contrahendum ante pubertatem, clandestino modo, aut denique raptu durante. Si impedimentum Matrimonii sit ex sua natura temporale, valent Sponsalia.

An notabilis disparitas conditionis aut status inter contrahentes irritat Sponsalia?

R. I. Si talis sit disparitas, ut Matrimonium non posset iniri sine gravi dedecore familiæ, tunc Sponsalia sunt irrita, sive disparitas illa cognita fuerit sive non. Ratio est, quod tale Matrimonium esset illicitum, et irrita sit Disparitas conditionis irritat Sponsalia, si tanta sit

ut dedecus familiæ inferret Matrimonium.

pleno jure quævis promissio rei illicitæ. Hoc contingere potest, si persona nobilis familiæ velit nubere ignobili infimæ sortis.

Si tanta non sit, disputatur an valeant.

II. Si non tanta sit disparitas, ut dedecus familiæ inducat, propter quod illicitum sit dispar illud Matrimonium, distinguendum est, an nota vel ignota fuerit.

1°. Si disparitas erat nota ante Sponsalia, inter auctores non convenit an sint valida.

Plures propugnant, ea esse valida, cum Sanchez, disp. 14, quia cum contrahens sit dominus rei promissæ, et conscius notabilis excessus, videtur velle libere cedere jure suo et excessus donationem facere.

Alii, quibus adhæret S. Alphonsus de Ligorio, n. 851, invalida esse dicunt, sed cum restrictione. Præcipua horum ratio est, quod Sponsalia illa continent promissionem prodigam, et promissio prodiga rei indivisibilis, ut est Matrimonium, juxta ipsos est irrita, quia est rei saltem venialiter illicitæ, nimirum prodigæ donationis.

Sic concludit S. Alphonsus, loco citato : « Videtur » dicendum 1°. sponsum qui antecellit divitiis, in casu » proposito non teneri ad Matrimonium, necnon venialiter » peccare ratione prodigalitatis, si illud contrahat. Dicen- » dum 2°. hoc procedere, stando in terminis veræ prodi- » galitatis : verumtamen cum culpa prodigalitatis non sit » plusquam venialis, quævis mediocris justa causa vitium » prodigalitatis auferre potest. Hinc satis excusabitur » sponsus fœminam disparem ducens, si noverit in ea ali- » quam specialem prærogativam, nimirum providentiæ, » devotionis, magnæ honestatis, vel etiam alicujus dotis » naturalis, propter quam putet sponsus cum illa quietam » ducere vitam. Hinc infertur, vix casum accidere posse, » quod sponsus eam ducere non teneatur, quia rarissime » deerit aliqua ex his causis, quæ culpam prodigalitatis » excusabit. Dicendum 3°. quod, casu quo sponsus vi pro- » missionis copulam extorserit a virgine, vel a fœmina » honesta, tunc omnino tenetur eam ducere, quia perditio » virginitatis, aut bonæ famæ, est res pretio inæstimabilis, » quæ prævalet, aut saltem æquivalet excessui disparitatis » sponsi. »

Concludimus, ordinarie in praxi hujusmodi Sponsalia esse habenda ut valida ; nec propter disparitatem antea

notam per se esse rescindibilia. Per accidens autem rescindi possent, præsertim auctoritate judicis, si ex tali Matrimonio scandala, rixæ, odia familiarum, aliave mala prævideantur secutura.

2°. Si disparitas illa notabilis ignota erat ante Sponsalia, tunc plures sunt, qui tenent illa esse irrita; cæteri admittunt ea esse rescindibilia ex parte decepti. Cfr. N. 16.

N. 10. De consensu parentum requisito ad Sponsalia et Matrimonium.

Consensus parentum non requiritur ad valorem Matrimonii, jure naturali, seu divino,

Prænotandum 1°. Certum est, neque jure naturæ, neque jure divino positivo irrita esse Matrimonia contracta a filiisfamilias sine consensu parentum.

Non jure naturæ; nam jure naturæ solus contrahentium consensus efficit Matrimonium, quia soli plenum dominium habent sui corporis in ordine ad Matrimonium.

Non jure divino: nedum enim Scriptura irrita declaret hujusmodi Matrimonia, plura in ipsa occurrunt exempla Matrimoniorum sine consensu paterno initorum, quæ tamen uti vera et valida habet: qualia fuerunt Matrimonium Jacob cum Lia et duabus ancillis, Matrimonium Esau cum tribus mulieribus initum, invitis Isaac et Rebecca.

Hinc merito damnata fuit a Concilio Tridentino contraria sententia Lutheri et Calvini, Sess. XXIV, cap. I, *De reformatione Matrimonii: Jure damnandi sunt illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat,... qui falso affirmant, matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse.*

aut ecclesiastico.

2°. An jure ecclesiastico olim Matrimonia filiorumfamilias sine consensu parentum irrita fuerint, non ita liquet. Plures quidem negant, sed non pauci affirmant cum Pontio, Tournely etc., quibus accedit Benedictus XIV, *De Synodo diœcesana*, lib. 9, cap. 11, n. 3, dicens, quondam Ecclesiam in hac re civiles leges ratas habuisse.

Interim certum est, jam diu ante Concilium Tridentinum Matrimonia illa valida fuisse, et hanc disciplinam loco supra citato confirmavit Concilium Tridentinum. Apud Græcos tamen adhuc irrita esse, dicit Carrière.

His prænotatis, petitur

An ad valide contrahendum Sponsalia requiritur consensus parentum?

Non requiritur ad valorem Sponsalium;

R. Negative; quia sicut in ordine ad Matrimonium homo est sui juris, et dominus corporis sui, ita etiam in ordine ad ejus promissionem.

Notandum vero, rationes propter quas assensum denegant parentes, quandoque tales esse, ut per se nuptias reddant illicitas; atque in eo casu promissio Matrimonii irrita erit, utpote de re illicita: non præcise propter defectum consensus parentum, sed propter rationes illas, quæ parentes ab assentiendo et filium a contrahendo retinere debent; ut si tale Matrimonium vergeret in magnum dedecus honestæ familiæ.

Potest etiam dissensus parentum esse justa ratio rescindendi Sponsalia, præsertim per auctoritatem judicis.

An requiritur consensus parentum ad licite contrahendum Sponsalia, aut Matrimonium?

sed ordinarie requiritur ad liceitatem tam Sponsalium quam Matrimonii.

R. Ordinarie requiritur: 1°. quia honor et reverentia parentibus debita exigit, ut sine eorum assensu non contrahatur, nec adeo promittatur Matrimonium; quippe cum ab eo familiæ pax et prosperitas dependere possit, et parentum sane intersit, quem generum, aut quam nurum sint habituri, cui parentis officia, tamquam filio seu filiæ, impendant. 2°. Quia susceptio status matrimonialis, et electio personæ quacum perpetua vitæ societas ineunda est, res est gravissimi momenti, quam sine maturo consilio aggredi non licet; adeoque regulariter non absque assensu eorum, qui a Deo filiis dati sunt rectores ac consiliarii, et experientia norunt Matrimonii onera, ac proin saniora consilia dare possunt. 3°. Quia Ecclesia severe prohibet, nuptias invitis parentibus contrahere: ut patet ex pluribus locis juris canonici. Unde Concilium Tridentinum, loc. cit., loquens de Matrimoniis, tum clandestinis, tum contractis sine consensu parentum, dicit, quod *Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit.*

Hinc et Pastorale nostrum jubet, ut parochus Sponsalia celebraturus *videat, an adsint utriusque partis parentes, aut alii eorum nomine, sine quibus temere procedere non debet.* Cfr. Decretum Congregationis Archipresbyterorum anni 1851, § I, n. 3.

Dictum est *ordinarie*: 1°. quia excipiuntur casus in quibus consensus parentum peti non potest, ut si v. g. filio in regione dissita opportuna occurrat occasio honestum et conveniens Matrimonium ineundi: tunc autem consensus parentum præsumi potest.

2°. Quia filii non tenentur a contrahendis Sponsalibus aut nuptiis abstinere, si parentes absque justa causa consensum recusent, cum in ordine ad Matrimonium homo sit sui juris. Honori autem debito satisfactum est, si reverenter, etiam iteratis vicibus et adhibitis mediatoribus, consensum petierint. Quod si injuste denegare pergant parentes, parochus ad Sponsalia aut Matrimonium procedere tamen non poterit, nisi prius casum exposuerit Ordinario ejusve Officiali, qui, auditis utrimque rationibus, si ita videbitur, consensum supplebit. Injuste negantibus filii non tenentur obsequi.

Quæ sunt justæ rationes, ob quas parentes consensum denegare possunt?

R. Rationes magis communes sunt: si Matrimonium vergeret in grave dedecus familiæ, vel scandala, dissensiones aut alia gravia mala causaret; si proles contrahere velit cum persona indigna aut incapaci, v. g. malæ famæ, scandalosæ vitæ, multo inferioris conditionis, debilis admodum sanitatis, aut quæ sit inepta ad rem domesticam gerendam, et præcipue ad pueros honeste et christiane educandum. Justæ rationes consensum denegandi.

Gravitas culpæ, quam admittunt filii, qui, insciis parentibus, aut invitis ob hujusmodi justas causas, nihilominus Matrimonium aut Sponsalia contrahunt, pendet a magnitudine tristitiæ qua parentes afficiunt, et a gravitate rationum, ob quas hi Matrimonio opponuntur: quibus tamen conferri debent rationes, ob quas filius vult Matrimonium concludere, quæque culpam certe minuere, aut abstergere possunt; cum etiam aliquando gravissimum sit filio abstinere a nuptiis vehementer optatis. Culpa filii non obsequentis.

E contra peccant parentes quandoque etiam graviter, ubi irrationabiliter et sine justis causis conantur filiorum Matrimonia impedire, ut si obsistant æquis nuptiis ex avaritia, ambitione, injusta aversione etc. Culpa parentum injuste prohibentium.

Notandum denique, quod sicut filius non tenetur obedire parentibus, sine justa causa Matrimonio obsistentibus, ita obedire non tenetur Matrimonium præcipientibus,

aut contrahere volenti determinatam personam suadentibus, nisi rationes quæ parentes movent ad hoc imperandum, tales sint, ut filium inducere debeant ad annuendum : ut si Matrimonium illud valde referat ad tollenda gravia dissidia, vel ad sublevandam gravem necessitatem parentum.

Doctrina S. Thomæ.

Huc referri possunt verba S. Thomæ, 2. 2, quæst. 104, art. 5 : *Tenetur homo homini obedire in his quæ exterius per corpus sunt agenda ; in quibus tamen secundum ea quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo : quia omnes homines natura sunt pares, puta in his quæ pertinent ad corporis sustentationem et prolis generationem. Unde non tenentur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire de Matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda, aut aliquo alio hujusmodi.* Supplem., quæst. 47, art. 6, hæc quoque ad rem habet : *Cum in Matrimonio sit quasi quædam servitus perpetua, pater non potest cogere filium ad Matrimonium per præceptum, cum sit liberæ conditionis ; sed potest eum inducere ex rationabili causa : et tunc sicut se habet filius ad causam illam, ita se habet ad præceptum patris ; ut scilicet si causa illa cogat de necessitate, vel de honestate, et præceptum patris similiter cogat ; alias non.*

Nota. Utiliter hic subjicienda ducimus, quæ in jure civili statuuntur circa consensum parentum exquirendum, antequam filiifamilias admitti possint ad actum civilem Matrimonii coram Officiali civili.

Legis civilis statuta circa consensum parentum.

Nimirum, in Codice Civili habentur sequentia.

Art. 148. Filius ante 25, filia ante 21 ætatis annum completum contrahere nequeunt matrimonium sine consensu parentum ; hi si inter se dissentiant, sufficit consensus patris.

Art. 149. Si alteruter obierit, aut voluntatem suam manifestare nequeat, sufficit consensus alterius.

Art. 150. Utroque deficiente, jus devolvitur ad avos et avias. Si inter se dissentiant avus et avia ejusdem lineæ, sufficit avi consensus. Dissensus inter duas lineas ut consensus habetur.

Art. 160. Omnibus jam dictis deficientibus, minor 21 annis, sive filius sive filia, obtinere debet consensum concilii familiæ.

Post ætatem determinatam art. 148 jus consensum parentum seu ascendentium, etc. non exigit, sed statuit :

Art 151. Qui ætatem art. 148 præfixam expleverunt, *consilium* parentum, aut, his deficientibus, avorum et aviarum, expetiise debent per actum reverentialem.

Art. 152. Nondum obtento consensu, actus reverentialis adhuc bis iterari debet, a mense ad mensem, antequam matrimonium celebrari possit, si filius non habeat 30 annos, filia 25 completos.

Art. 153. Si hanc ætatem habeant, celebrari poterit matrimonium in defectu consensus, uno mense post semel exhibitum actum reverentialem.

Art. 154. Actus ille reverentialis intimari debet per duos notarios, vel si unus tantum adhibeatur, stipatus esse debet duobus testibus.

Præterea Art. 182 et sequenti, determinatur a quibusnam et quamdiu nullitas matrimonii, propter defectum consensus requisiti, provocari possit.

Verum hæc omnia tantum respiciunt *matrimonium civile*, ut vocant, seu actum civilem, a quo apud nos mere civiles Matrimonii effectus dependent. Jus civile autem non derogat, nec derogare potest juri ecclesiastico valida decernenti Matrimonia filiorumfamilias sine consensu parentum inita, si aliud non obstet impedimentum.

N. 11. Quibus modis Sponsalia dissolvi possint.

Variis modis

Cum Sponsalia, neque natura sua neque juris dispositione, inducant vinculum indissolubile, ex legitimis quibusdam causis dissolvi possunt : ex aliis quidem solvuntur absolute ; ex aliis fiunt tantum solubilia, seu rescindibilia ex parte unius vel utriusque ; ex aliis vero obligatio eorum suspenditur tantum pro tempore, seu sopitur.

Quæ sunt causæ ex quibus Sponsalia dissolvi possunt ?

R. Præter causam N°. 2 indicatam, quæ oritur ex dolo seu metu injuste incusso ad contrahendum, præcipuæ sunt sequentes :

1°. Mutuus et liber contrahentium puberum consensus, aut dissensus alterutrius ad pubertatem pervenientis. et ex variis causis

dissolvi possunt Sponsalia.

2°. Si superveniat aliquod impedimentum perpetuum, prohibens aut dirimens Matrimonium, signanter :

3°. Si sponsus aut sponsa Matrimonium contrahat cum tertia persona, aut si huic tertiæ Matrimonium spondeat;

4°. Aut si votum emittat, sive solemne sive simplex, vel Ordinem sacrum suscipiat.

5°. Causa est mutatio notabilis superveniens, aut notabilis defectus, ante Sponsalia quidem existens, sed postea tantum innotescens.

6°. Specialis hujusmodi causa est fornicatio cum tertia persona, commissa post Sponsalia vel ante commissa, sed postea tantum innotescens.

7°. Causa est lapsus temporis intra quod erat contrahendum, et etiam discessus alterutrius contrahentium ad locum valde remotum.

8°. Denique dissolvi possunt Sponsalia per auctoritatem judicis ecclesiastici, ob certas legitimasque causas.

Manet tamen semper publica honestas.

Nota, quod, dissolutis ex quacumque causa Sponsalibus validis et absolutis, semper maneat impedimentum publicæ honestatis ex ipsis ortum, et dirimens Matrimonium cum consanguineis compartis in primo gradu, adeoque per dissolutionem tantum tollitur mutua obligatio Matrimonium ineundi.

De præfatis causis dissolutionis Sponsalium in particulari agetur in sequentibus numeris.

N. 12. De dissolutione Sponsalium per consensum contrahentium.

An Sponsalia valide contracta a contrahentibus dissolvi possunt?

Sponsalia a contrahentibus dissolvi possunt,

R. Affirmative; si nempe contrahentes sint puberes, et ambo libere consentiant in dissolutionem. Ratio est, quod omnis contractus, natura sua solubilis, sicut ex mutuo contrahentium consensu nascitur, ita per eumdem dissolvitur, juxta notissimam regulam juris : *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur;* nisi huic dissolutioni seu dissolvendi modo jus resistat : hic autem non resistit, sed potius suffragatur, cap.

Præterea, De Sponsalibus et Matrimoniis, lib. 4 Decretal.

Dictum est 1°. *Si contrahentes sint puberes ;* quia impuberes non valent Sponsalibus renuntiare ante adeptam pubertatem ; ob eorum enim imbecillitatem lex canonica id vetuit, cap. *De illis, De Desponsatione impuberum,* cit. lib. Decretal. Postquam vero impuber ad pubertatem pervenit, potest resilire juxta dicta N°. 4.

si puberes sint,

Dictum est 2°. *Si ambo libere consentiant in dissolutionem :* nam si una pars fraude vel metu injusto ab altera extorqueat consensum in dissolutionem, ut si sponsus ideo sponsam incipiat sæve tractare, aut minari, quod eam pessime sit tractaturus in Matrimonio, nisi ipsa renuntiet, sponsus in conscientia tutus non est, sed tenetur injuriam avertere et stare promissis ; etenim non liberatur debitor a sua obligatione per condonationem vi extortam.

et ambo libere consentiant in dissolutionem.

Nota. Dum una pars sine justa causa vult resilire, potest altera pars exigere aliquam compensationem pecuniariam, quanta prudentis viri arbitrio taxabitur : quia non tenetur gratis cedere jure compartem compellendi ad Matrimonium, et injuria ipsi illata pretio æstimabilis est.

A volente resilire sine causa sufficiente exigi potest compensatio pecuniaria.

N. 13. De dissolutione Sponsalium per superveniens impedimentum Matrimonii.

Prænotandum, posse quædam impedimenta Matrimonii, sive impedientia sive dirimentia, contractis jam Sponsalibus supervenire, ut affinitas, impotentia perpetua etc.; alia vero non, ut consanguinitas et defectus pubertatis : hæc aut subsistunt ante Sponsalia, aut his contractis certo non suboriuntur. Numeris sequentibus speciatim agitur de effectu subsequentis Matrimonii, aut Sponsalium cum tertia persona, item de voto Sponsalibus superveniente ; hic vero generatim quæritur :

Impedimenta quædam Matrimonii possunt Sponsalibus contractis supervenire.

Quid circa Sponsalia faciunt impedimenta Matrimonii perpetua, contractis Sponsalibus supervenientia ?

R. 1°. Si impedimentum superveniens sit tale, per quod Matrimonium fit sponsis absolute impossibile, Sponsalia

Si Matrimonium reddant

absolute impossibile, dirimunt

absolute dissolvuntur, quia obligatio ad impossibile consistere non potest. Casus est, si superveniat impotentia perpetua, aut perpetua amentia.

Sponsalia; si dispensatione tolli possint, illam petere debet ille cujus culpa impedimentum ortum est,

2°. Si impedimentum superveniens sit tale, quod tolli possit per dispensationem, v. g. affinitas contracta ex fornicatione sponsi cum sponsæ consobrina, probabilius tenetur pars, cujus culpa impedimentum supervenit, procurare dispensationem, si altera pars ita velit, et dispensatio facile obtineri possit. Ratio est, quia quilibet tenetur, si possit, etiam cum aliquo suo incommodo, removere causas quibus culpabiliter impedivit, ne alter fruatur jure suo. Unde in eo casu Sponsalium obligatio suspenditur, potius quam solvitur.

si alter velit, et sumptus non sint nimii.

Dictum est, *si altera pars velit, et dispensatio facile obtineri possit.* Nam parti innocenti liberum est resilire, si velit. Aliunde si dispensatio nullatenus, aut tantum sumptibus conditioni delinquentis haud proportionatis, obtineri queat, censetur obtentu moraliter impossibilis. Attamen ob reparandum damnum aut injuriam illatam alteri parti, v. g. per sponsæ defllorationem, potest teneri sponsus ad procurandam dispensationem etiam cum magnis expensis, sed non cum tantis ut cogeretur a suo statu decidere. Cfr. S. Alphonsum de Ligorio, n. 858, vel multo plus perdere, qui altera pars perderetur omissione M.

Si ambo sint causa impedimenti censentur renuntiasse juri suo.

Si uterque fuit causa impedimenti, ut contingeret in cognatione spirituali v. g. si sponsus rogatus a sponsa hujus filium teneret in Confirmatione, neutra pars jus habet exigendi ut altera pars procuret dispensationem, aut oblatam acceptet : ambo enim ponendo impedimentum censentur juri suo renuntiasse.

Sola fama impedimenti est causa sufficiens dissolvendi.

Notandum, quod sola fama impedimenti possit esse causa dissolvendi Sponsalia, ut liquet ex cap. *Super eo, De consanguinitate et affinitate,* lib. 4 Decretal, ubi dicitur, quod si fama loci habeat, sponsum carnaliter cognovisse sponsæ suæ consanguineam, debeat a sponsæ impetitione absolvi.

N. 14. De dissolutione Sponsalium per subsequens Matrimonium aut Sponsalia cum alia.

An per Matrimonium subsequens unius ex sponsis cum tertia persona omnino dissolvuntur Sponsalia antecedentia?

R. S. Alphonsus, n. 875, sic respondet: « Certum » est, quod, durante Matrimonio post Sponsalia cum alia » contracto, cessat illorum obligatio, ex cap. *Si inter, De* » *Spons.* et cap. 1, *De sponsa duorum.* Dubium est, an, » illo soluto per mortem conjugis, urgeat obligatio prio- » rum Sponsalium. Prima sententia negat... Ratio, quia » obligatio semel extincta nunquam reviviscit, ex cap. » *Quæris, De Consecrat.*, dist. 4. Secunda vero sententia, » mihi absolute probabilior, affirmat... Ratio, quia nullo » jure probatur, quod Sponsalia per Matrimonium subse- » quens omnino irritentur : non jure positivo, quia nullibi » hoc habetur; non naturali, quia obligatio Sponsalium, » durante Matrimonio cum illa persona inito, utique pro » illo tunc non obstringit, et ideo suspenditur quidem, » sed non extinguitur; prout patet in eo qui post votum » religionis Matrimonium consummaret; hic enim, mor- » tuo conjuge, teneretur quidem votum adimplere. »

Matrimonium unius ex sponsis cum tertia persona, obligationem suspendit;

2° Si et sponsus et sponsa inirent Matrimonium cum aliis personis, eo ipso extingueretur prorsus utriusque obligatio, cum ipso facto uterque renuntiaret juri suo : unde non revivisceret, si postea utriusque respective compars moreretur. 3° pars una fidelis remansit certo liberatus.

Matrimonium utriusque illam solvit.

Quid faciunt Sponsalia subsequentia circa priora?

R. Sponsalia posteriora, cum invalida sint, dum contrahuntur stante obligatione priorum, hæc non dissolvunt, sed reddunt rescindibilia ad arbitrium compartis, quia qui attentat secunda Sponsalia, fidem frangit, et suo juri ipso facto renuntiasse censetur.

ergo non praesente causa dissolvendi

Sponsalia unius attentata cum tertia reddunt priora solubilia ad nutum alterius.

Si autem altera pars velit, manent priora Sponsalia firma : idque tenendum, etiamsi sponsus v. g. copulam cum secunda habuisset et prolem ex ea genuisset : nam jus prioris sponsæ non extinguitur per injuriam vel damna illata secundæ : habet quidem secunda jus, ut sibi

Si pars altera velit, manent firma, etiamsi

Superveniens M sponsalia antea contracta solvit, ita ut illo dissoluto non reviviscat illorum obligatio. Ratione tamen damni illati aliter irreparabili: [illegible] potest pars [illegible] ad M. — sed ordinarie non cogitur a judice ob [illegible] hujus rei exitum. In quasi altera parte juri suo non cedente [illegible] per dispensationem pontificiam in sponsalibus.

sponsus ex secunda prolem suscepisset.

fiat reparatio injuriæ et damnorum, sed salvo jure prioris. Etsi vero in hoc casu prior sponsa non teneatur ex justitia renuntiare juri suo, aliquando tamen id ei persuadendum est, imo potest ad hoc teneri ex charitate, si

Sed ex charitate debet aliquando prior suo jure cedere.

parvum hoc ipsi æstimetur damnum, et eo solo medio possit averti magnum damnum et jactura honoris alterius. Imo si ipsa renuat, potest judex ecclesiasticus, ad vitanda plura mala et scandala, decernere Matrimonium cum secunda et eatenus dissolvere seu impedire obligationem Sponsalium priorum.

An Sponsalia clandestina non dissolvuntur per sequentia solemnia cum alia persona?

Sponsalia priora licet privata prævalent secundis licet solemnibus.

R. Negative : solemnitas enim merum accidens est Sponsalium, nullam eis vim tribuens ad destruendam obligationem priorum, quæ, etsi clandestina, valida sunt; posteriora vero, licet solemnia, sunt invalida.

N. 15. De dissolutione Sponsalium per votum.

Inquirendo quid operetur votum circa Sponsalia ante contracta, distinctis quæstionibus agemus : 1°. de voto solemni; 2°. de ingressu in religionem approbatam; 3°. de voto religionem ingrediendi; 4°. de voto simplici castitatis, atque de voto suscipiendi Ordines sacros et de voto non nubendi; 5°. de susceptione Ordinis sacri, tum de susceptione Ordinum minorum.

Quæstio 1. *Quid facit circa Sponsalia votum solemne, seu professio in religione approbata?*

Votum solemne solvit Sponsalia;

R. Per votum solemne in religione approbata emissum, Sponsalia præcedentia, etiam jurata, simpliciter et absolute dissolvuntur; nam, secundum Tridentinum, Sess. XXIV, can. VI, Matrimonium ratum non consummatum per tale votum solvitur; ergo a fortiori Sponsalia. Deinde certum est votum illud esse validum, cum eo autem stare non potest Matrimonium; unde sequitur executionem Sponsalium factam esse impossibilem. Insuper ex jure et privilegio divino, semper subintelligitur in Sponsalibus hæc conditio : *Nisi statum religiosum suscepero.*

Quæstio 2. *Quid operatur circa Sponsalia solus ingressus in religionem approbatam?*

ingressus religionis illa facit rescindibilia ;

R. Per solum ingressum in religionem ante professionem non dirimuntur simpliciter Sponsalia, sed tantum ex parte illius qui in sæculo manet, fiunt rescindibilia. Non dissolvuntur, quia hoc neque ex rei natura, neque ex statuto legis sequitur : rescindibilia autem fiunt, quia religionem ingrediens in actu exercito declarat se juri suo renuntiare. Igitur altera pars potest acceptare illam renuntiationem, et ita dissolvere Sponsalia. Poterit etiam expectare eventum, si forte iste e novitiatu ad sæculum revertatur ; et in eo casu poterit eum cogere, vi Sponsalium, ad Matrimonium, vel adhuc renuntiare, quia pars illa quæ fuit monialis aut monachus, per abjectionem veli vel cuculli censetur judicio prudentum pejoris conditionis effecta in ordine ad Matrimonium. Cfr. S. Alphonsum, n. 870, ubi contrarias sententias repellit.

Quæstio 3. *An ille qui contraxit Sponsalia, potest facere votum ingrediendi religionem, et quid hoc votum operatur circa Sponsalia?*

item votum ingrediendi religionem : quod votum est per se licitum.

R. Votum illud per se loquendo est validum et licitum ; cum enim jure cautum sit, ut quis possit religionem ingredi et profiteri, non tantum post Sponsalia inita, sed etiam post Matrimonium ratum non consummatum, sequitur, quod illud ipsum vovere possit.

Dictum est *per se loquendo ;* nam per accidens tale votum foret illicitum et invalidum, utpote de re illicita : si nimirum sponsus sub spe aut promissione Matrimonii puellam defloresset, et damna illata non nisi per Matrimonium complete compensare posset. Tunc enim jure naturæ ipse teneretur eam ducere, nec, ipsa invita, profiteri in religione posset.

Porro per tale votum, etsi validum, non dirimuntur Sponsalia, sed fiunt rescindibilia ex parte alterius, eadem ratione ac per simplicem ingressum in religionem.

Quæstio 4. *An ille qui contraxit Sponsalia, potest facere votum simplex perpetuæ castitatis, et quid facit tale votum circa Sponsalia? Quid dicendum de voto suscipiendi Ordines sacros ; et quid de voto non nubendi?*

Dubium

R. ad 1. Datur duplex sententia. Prima, quam multi

est an solvat aut tantum rescindibilia faciat Sponsalia votum simplex castitatis,

tuentur graves auctores, Estius, Sylvius, Suarez, Vasquez, Pontius etc., dicit, votum illud esse simpliciter validum et licitum ; quia, inquiunt, Sponsalibus inest hæc conditio : *Nisi statum perfectiorem elegero.* Jam vero per votum perpetuæ castitatis sese obligat ad permanendum in statu perfectæ continentiæ, qui perfectior est statu matrimoniali, sive in mundo quis permaneat, sive in pia congregatione sub certa regula vivat.

Unde concludunt, tali voto Sponsalia etiam jurata non tantum fieri rescindibilia ex parte alterius, sed vere irritari, aut saltem suspendi seu sopiri. Dicitur, *aut saltem suspendi,* quia plerique auctores hujus sententiæ, contra alios, dicunt obligationem Sponsalium non penitus extingui, sed tantum suspendi, ita ut, si vovens postea obtineat dispensationem voti, non possit cum tertia persona contrahere Matrimonium, nisi de consensu prioris sibi desponsatæ. Id vero tunc maxime obtineret, si sic vovisset ad hanc decipiendam.

Secunda sententia, quæ nec minus probabilis, nec minus communis videtur, quamque sequuntur Sanchez, Layman, Neesen, uterque Pauwels, Daelman etc., negat, validum aut licitum esse hujusmodi votum in præjudicium Sponsalium. Dicunt autem, neque ex rei natura, neque de jure inesse Sponsalibus hanc conditionem : *Nisi statum perfectiorem elegero,* sed tantum : *Nisi statum religiosum suscepero,* seu statum perfectionis proprie dictæ. Hæc conditio inde eruitur, quod jura concedant bimestre nuptis ad deliberandum de statu religioso amplectendo, et voto solemni dirimatur etiam Matrimonium ratum non consummatum : sed nihil tale statuunt pro voto simplici. Tali autem conditione non subsistente, Deus non acceptat promissionem rei alteri obligatæ : coli enim non vult cum alterius injuria.

Unde concludunt, Sponsalia per tale votum non dirimi, sed tantum esse rescindibilia ex parte alterius, cum jam ipse vovens vovendo renuntiaverit juri suo.

Firmatur hæc sententia auctoritate S. Antonini, parte 3, tit. 1, cap. 18, § 2, ubi ait : « Si Sponsalia præcedunt » votum simplex ; tunc votum non impedit vel dirimit » Sponsalia : sed eo casu cogi debet, vel votum solemni- » zare, scilicet profitendo in religione, et sic essent soluta

» Sponsalia ; vel Sponsalia profiteri, id est contrahere » Matrimonium. »

Dictum est, non esse validum votum *in præjudicium Sponsalium ;* quia auctores hujus sententiæ communiter dicunt, votum illud tantum esse invalidum, in quantum repugnat præcedentibus illis Sponsalibus ; sed validum esse quoad cætera, sive quantum fieri potest absque præjudicio alterius partis. Proinde qui tale votum fecit, et sic init Matrimonium, debet se gerere uti habens votum castitatis in Matrimonio, de quo vide N. 46.

Si vero altera pars obligationem Sponsalium remittat, tenetur a Matrimonio abstinere ; et si, Matrimonio contracto altera pars prius moriatur, tenetur integram servare continentiam, ac si post votum nunquam nupsisset : quorum omnium ratio est, quod votum illud obligat pro tempore et modo possibili.

vel votum suscipiendi Ordines sacros,

R. ad 2. Circa votum suscipiendi Ordines sacros, an scilicet licitum sit et validum post Sponsalia contracta, an hæc tali voto dissolvantur, vel tantum dissolubilia sint ex parte non voventis ; eadem est sententiarum diversitas, ac circa votum simplex castitatis : eadem utrimque urgentur argumenta, et similes deducuntur conclusiones. Attamen cum hoc votum non includat per se votum castitatis, contracto Matrimonio, statim liceret et petere et reddere debitum.

aut votum non nubendi.

R. ad 3. Circa votum non nubendi post Sponsalia emissum, idem videtur resolvendum ac circa votum suscipiendi Ordines sacros.

Denique notandum, in his omnibus nihil attentandum esse, inconsulto Episcopo, qui, quatenus necessarium aut opportunum videbitur, voti relaxationem procurabit et Sponsalia adimplenda decernet, aut Sponsalia dissolvenda pronuntiabit et voti obligationem urgebit.

Quæstio 5. *Quid circa Sponsalia præcedentia facit ipsa susceptio Ordinis sacri?*

Ea solvit susceptio Ordinis sacri,

R. Ea absolute dissolvit, cum inducat impedimentum dirimens Matrimonii perpetuum, atque adeo adimpletionem Sponsalium impossibilem reddat.

non Ordinis minoris.

Idem dicendum non est de Ordinibus minoribus ; unde his etiam susceptis, viget obligatio Sponsalium ex parte suscipientis : sunt tamen rescindibilia ex parte sponsæ,

cum sponsus ipso facto videatur juri suo renuntiasse, cum non soleant hodie suscipi minores Ordines, nisi animo ad majores ascendendi.

N. 16. De dissolutione Sponsalium propter mutationem supervenientem, aut defectum innotescentem.

Quandonam generatim dissolvi possunt Sponsalia ob supervenientem mutationem ?

Ob notabilem mutationem possunt Sponsalia rescindi;

R. Quando ista mutatio ita notabilis est, ut si tempore contractus extitisset, et nota fuisset, alterutra pars merito contrahere noluisset.

Ratio est, quod talis censeatur rationabilis intentio contrahentium Sponsalia; hæc autem ultra intentionem contrahentium non obligant.

Itaque semper Sponsalibus inest illa conditio : *Nisi notabilis mutatio superveniat* in anima, corpore, moribus, fama, bonis temporalibus etc. Inde tamen Sponsalia non possunt dici conditionata, cum valor contractus non suspendatur, sed tantum jus tribuatur illa rescindendi, superveniente notabili mutatione; adeoque conditio non sit suspensiva, sed resolutoria. Hæc porro mutatio dum evenit, Sponsalia fiunt rescindibilia, sive ex parte unius, sive ex parte utriusque, sed non dissolvuntur ipso jure, nisi forte mutatio simul inducat impedimentum perpetuum Matrimonii.

Assigna aliquos casus in quibus Sponsalia rescindi possunt ob supervenientem notabilem mutationem.

ut sunt : hæresis,

R. Primus casus est, si una pars labatur in hæresim aut apostasiam, vel aliter a fide deficiat : nulla enim mutatio majorem influxum in Matrimonii bonum habere posset.

fornicatio,

Secundus casus est, si sponsus vel sponsa fornicationem cum tertia persona committat : de hoc casu, cum plures occurrant difficultates, speciatim agetur N°. sequenti.

grave crimen,

Tertius casus est, si alteruter admittat aliud grave crimen infamans, ut homicidium, latrocinium etc.

aversiones et odia,

Quartus casus est, si sponsi sibi invicem displiceant; et timeatur ne malum exitum sortiatur Matrimonium.

A fortiori si inter ipsos superveniat abhorrescentia, gravis aversio aut inimicitia; item si ex eorum Matrimonio gravia scandala aut inimicitiæ parentum seu consanguineorum prævideantur.

Quintus casus est, si alteruter contrahat epilepsiam, paralysim, morbum venereum, aut aliam infirmitatem insanabilem aut probrosam et comparti gravem; si alteruti gravis superveniat deformitas, ut si oculum, nasum, manum, pedem amittat. Maxime vero rescindendi rationem præbent defectus aut infirmitates, quibus quis incapax fit ad portanda onera Matrimonii, ut si rusticus vel opifex fiat incapax ad laborem, quo uxorem et prolem sustentare debuisset. morbus insanabilis aut probrosus,

Sextus casus est, si alteruter incidat in pauperiem aut ære alieno gravetur. Item si sponsa promissam dotem adferre nequeat, aut nolit: quod, juxta plerosque auctores, verum est, etsi sponsa per merum infortunium dotem adferre nequeat. paupertas;

Si uterque redigatur ad paupertatem docet communis opinio Sponsalia dissolvi posse: inde enim multo graviora solent fieri Matrimonii onera.

Quoad casum ubi una pars inexpectato fit multa ditior, per hæreditatem aut alia ratione, item si offeratur ei aliud Matrimonium cum multo ditiori aut præstantiori, diversimode sentiunt auctores. Aliqui dicunt esse rationem rescindendi Sponsalia, quia est notabilis mutatio, quam si prævidisset, Sponsalia non contraxisset. Alii tamen communissime negant, quia altera pars inde non fit deterioris conditionis, nec Matrimonium erit magis onerosum. Cfr. S. Alphonsum de Ligorio, n. 876. dubitatur de eo qui multo ditior factus est.

In praxi consulendum, ut qui ditior factus est, ob hoc solum a Sponsalibus non resiliat; si vero aliæ rationes, concurrant, comparti ex acquisitis divitiis convenientem compensationem solvat.

Nota. Sicut ex superveniente notabili mutatione seu defectu Sponsalia fiunt rescindibilia, ita etiam si notabilis hujusmodi defectus ante Sponsalia ignoratus, postea innotescat; quia eadem valet ratio; nec enim, si defectus prius innotuisset, Sponsalia contracta fuissent. Perinde est si defectus antea ignoratus innotescat.

E contra si defectus innotuit ante Sponsalia, hæc rescindi non possunt; neque etiam, ubi, defectu jam cognito,

fuerint ratificata. Nec rescindi possunt ob defectum levem supervenientem aut innotescentem; si nimirum sit talis ut prudentum judicio contrahentis animum non debeat mutare.

N. 17. De dissolutione Sponsalium propter fornicationem cum tertia persona.

Quid circa Sponsalia facit fornicatio sponsi vel sponsæ, antea commissa cum tertia persona?

Fornicatio cognita ante Sponsalia non est ratio ea solvendi,

R. 1°. Quando fornicatio sponsi vel sponsæ alteri parti cognita fuit ante Sponsalia, pars innocens non potest ob hanc causam ea rescindere; quia contrahendo Sponsalia, non obstante defectus illius cognitione, censetur illum alteri remisisse, et juxta regulam juris 21 in 6, *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.* Eadem resolutio obtinet, si ambo fornicati fuerint, et mutuo delictum innotuerit ante contractum.

bene vero fornicatio sponsæ ignorata;

2°. Fornicatio sponsæ commissa ante Sponsalia et post ea tantum innotescens sponso, reddit ea solubilia ad arbitrium sponsi. Ratio est, quod sponsa ob fornicationem, juxta cummunem æstimationem, sit notabiliter vilior et deterior in ordine ad Matrimonium.

non ita ordinarie fornicatio sponsi.

3°. Fornicatio sponsi commissa ante Sponsalia et post ea tantum innotescens sponsæ, secundum communem sententiam, ordinarie non reddit Sponsalia solubilia ad arbitrium sponsæ; quia homines non ita turpem et probrosam apprehendunt fornicationem viri, sicut fœminæ. Dicitur *ordinarie*, quia contrarium tenendum est, si adsint circumstantiæ specialiter probrosæ, quibus, juxta judicium prudentum, sponsus notabiliter vilior factus est, v. g. circumstantia adulterii, actuum frequentia, proles nata etc.

Si ambo fecerint, solus sponsus potest resilire.

4°. Si post contracta Sponsalia desponsatis innotescat, quod ambo antea fornicati sint, aliqui auctores dicunt, neutrum posse resilire, quia habetur compensatio: sed cæteri communiter dicunt, compensationem non esse æqualem, ideoque sponsum posse resilire, non sponsam, quia, ut supra dictum est, hæc inde multo vilior est, non ille.

Quid circa Sponsalia efficit fornicatio post illa a sponsis patrata cum tertia persona?

Fornicatio unius post Sponsalia est alteri ratio solvendi,

R. 1°. Fornicatio post Sponsalia commissa a solo sponso, vel a sola sponsa, reddit ea rescindibilia ex parte innocentis. Ratio est, quod pars fornicata fregerit fidem per Sponsalia datam, et merito suspecta habeatur pro futuro: hinc obtinet axioma : *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.*

fornicatio utriusque

2°. Fornicatio tum a sponso, tum a sponsa post Sponsalia commissa cum tertia persona, juxta aliquos reddit ea rescindibilia ab utroque, quia ambo sibi invicem redduntur suspecti de non servanda fide in Matrimonio.

Alii putant neutrum posse resilire, quia habetur injuriæ compensatio.

probabilius soli sponso.

Plures vero respondent, ordinarie sponsum solum posse resilire ; quia etsi detur compensatio, ex eo quod ambo fidem fregerunt, sponsa tamen ex fornicatione facta est notabiliter deterior, quod ordinarie non obtinet pro sponso, juxta dicta in præc. quæst.

Similiter docent Sanchez, Bonacina etc., sponsum dissolvere posse Sponsalia, si sponsa voluntarie admittat ab alio tactus impudicos, amplexus liberiores etc. ; quia talia ex parte sponsæ admissa cedunt in magnum dedecus sponsi. Aliter dicendum de sponso, qui similia egit cum alia, saltem si transeunter et raro fiat.

An sponsus potest a Sponsalibus resilire, si sponsa fuerit violenter oppressa?

Item si sponsa fuerit violenter oppressa.

R. Negant aliqui, quos citat S. Alphonsus, n. 861; quia cum culpa vacet, non est suo jure privanda. Sed alii communiter et verius affirmant, quia, licet culpa vacet, notabiliter tamen deterior facta est. Et propter hanc rationem idem videtur resolvendum, si oppressio contigerit ante Sponsalia, et postea tantum innotescat.

N. 18. An sponsi teneantur sibi mutuo occultos defectus revelare.

An laborans defectu gravi occulto, ob quem altera pars forte nollet contrahere, tenetur illum manifestare ante Sponsalia, vel, iis contractis, ante Matrimonium?

Sponsi tenentur invicem propalare defectus, si sint damnosi aut probrosi alteri,

R. Theologi communiter distinguunt: 1°. Si defectus foret damnosus vel probrosus comparti, seu damnum grave vel infamiam ei adferret, tenetur sub gravi illum manifestare, nisi malit Sponsalibus et Matrimonio renuntiare: casus est, si sponsus gravetur ære alieno, laboret lue venerea, sponsa sit imprægnata ab alio. Ratio est, quod non liceat commodum suum quærere cum injuria alterius: unde sicut in aliis contractibus non licet tradere rem occulto defectu laborantem, ex quo alteri damnum imminet, ita non licet cum occulto defectu pernicioso Sponsalia aut Matrimonium contrahere. Accedit quod aliter causa poneretur gravissimorum malorum, quæ ex tali Matrimonio nata sunt sequi. Excipit S. Alphonsus, n. 864, cum aliis, nisi alter simili defectu laboret, quia tunc illi nulla fit injuria, seu habetur compensatio.

secus non tenentur,

2°. Si vero defectus, etsi postea innotesceret, non redderet nuptias damnosas aut probrosas alteri, sed tantum minus gratas, non debet manifestari: v. g. si sponsa, quæ putatur virgo, fuerit fornicata, non tamen ingravidata. Ratio est, tum quod nemo teneatur cum proprio detrimento defectus suos qui aliis non nocent propalare, et seipsum infamare, ad avertendam simplicem alterius displicentiam forte secuturam; tum, inquit S. Alphonsus, quia est consuetudine jam receptum, ut non sit obligatio tales defectus manifestandi.

Imo, etsi non liceat contrarium mentiendo affirmare, aut fingere, v. g. se divitem aut nobilem, ubi quis pauper est vel ignobilis; licet tamen defectus, v. g. rem angustam parentum occultare, omnem paupertatis apparentiam vitando; imo dicit P. Pauwels, quod puella corrupta possit simpliciter affirmare se virginem, quia vulgo dicuntur virgines, quæcumque non publice noscuntur corruptæ.

a interrogata dissimulare, æquivoce respondendo.

Attamen si merito timeatur, ne defectus talis post initas nuptias propaletur, et graves discordias, aut rixas producat, plures auctores dicunt, quod tunc teneatur quis proprium defectum manifestare comparti, aut a nuptiis abstinere, quia tenetur ex charitate tanta mala præcavere; nisi tamen ipse ex manifestatione grave malum subire deberet, ut si puella seipsam deberet infamare, aut diu manere innupta; quia tunc videndum, an hic et nunc charitas obliget cum tanto incommodo ad avertendum scandalum alterius. Cfr. S. Alphonsum de Ligorio, n. 865.

nisi forte prævideantur fore causa majorum malorum.

Contingere potest, quod sponsa a tertio fuerit impræ- gnata, et sponsus rei ignarus velit absolute contrahere Matrimonium cum ipsa: an hæc, si alius non videatur evadendi modus, tenetur statum suum declarare sponso?

An sponsa imprægnata a tertio teneatur id declarare sponso, si hic absolute velit contrahere.

La Croix cum aliis affirmat, quia ex duobus malis minus eligendum est, et infamatio sponsæ minus malum est, quam injuria quæ sponso ejusque familiæ inferretur ei obtrudendo prolem alienam. Alii vero dicunt, ad hoc non teneri, quia amissio famæ, utpote altioris ordinis, ipsis videtur majus malum. Interim prudens parochus sæpe inducere poterit sponsum aliis rationibus, ut a Matrimonio desistat, quin crimen sponsæ ei reveletur.

N. 19. De dissolutione Sponsalium propter lapsum temporis aut discessum alterutrius.

Prænotandum. In Sponsalibus sæpe nullum determinatur tempus intra quod Matrimonium contrahi debeat; aliquando vero expresse statuitur tempus, sed ad urgendam executionem Sponsalium tantum; aliquando vero tempus adjicitur ceu terminus ad finiendam obligationem. De singulis casibus inquiritur:

Quando ob temporis lapsum dissolvi possunt Sponsalia.

Quæstio 1. *An Sponsalia, quibus nullum tempus adjectum fuit, aliquando dissolvi possunt, ratione temporis elapsi?*

R. 1°. Dissolvi non possunt quamdiu currit ordinarium tempus, intra quod Matrimonium iniri solet. Cfr. N. 7.

1°. Si nullum fuit tempus appositum.

2°. Elapso tempore ordinario, si una pars Matrimonium urgeat, Sponsalia ad hujus nutum sunt solubilia, si altera

pars notabiliter differat sine justa causa; secus vero si justam differendi causam habeat.

Quæstio 2. *An propter elapsum tempus, Sponsalibus adjectum ad urgendam eorum executionem, ea dissolvi possunt?*

2°. Si fuit appositum ad urgendam obligationem.

R. Negative; quia in illo modo contrahendi duæ obligationes distinctæ includuntur: una Matrimonium contrahendi, altera intra tale tempus promissum adimplendi; et licet hæc, elapso tempore, fiat impossibilis, ideo prior non desinit. Unde Sponsalia tantum ab una parte dissolvi possent, si altera pars sine justa causa, et priori invita, tamdiu differat ultra statutum tempus, ut suo juri renuntiasse censeri posset.

Quæstio 3. *An elapso tempore Sponsalibus adjecto ad finiendam eorum obligationem, ea dissolvuntur?*

3°. Si fuit appositum ad finiendam obligationem.

R. Distinguendo: 1°. Si tempus sit elapsum per culpabilem dilationem unius partis, certum est, quod altera pars sit libera, cum prior amiserit jus suum.

An vero pars quæ est in mora, etiam libera sit, non convenit inter auctores: alii affirmant, quia, cum terminus fuerit appositus ad finiendam obligationem, hæc, eo elapso, cessat vi ipsius contractus; alii negant dicentes, neminem debere ex sua culpa commodum reportare, ideoque in talibus Sponsalibus casum istum tacite exceptum esse: hanc posteriorem sententiam S. Alphonsus de Ligorio, n. 868, longe communiorem et probabiliorem vocat.

2°. Si tempus præfixum elapsum sit ob dilationem inculpabilem unius partis, multi auctores dicunt, quod altera pars maneat ipsi obligata, quia cum prior legitime impedita fuerit, æquum non est, ut privetur jure suo. Communior vero et probabilior sententia, juxta S. Alphonsum dicit, alteram partem manere liberam, quia terminus apponitur ad hoc, ne pars parata diu maneat sine nuptiis. Billuart hanc moderationem ponit: si mora sit brevis non videtur præcise cessare obligatio; si autem sit tanta, ut ad eam se non censeatur voluisse obligare altera pars, extinguitur obligatio. Optimum est in talibus circumstantiis, ait De Coninck, implorare judicis auctoritatem, qui, ponderatis omnibus, rem determinabit.

3°. Idem ac in præcedenti casu videtur dicendum, ubi neuter fuit voluntaria causa dilationis, seu uterque

legitime fuit impeditus intra tempus præfixum contrahere : eædem enim rationes in casu adferri possunt pro vel contra utriusque obligationem.

4°. E contra si tempus præfixum elapsum fuerit ob dilationem voluntariam utriusque partis, certum est apud omnes, quod ex utraque parte Sponsalia solvantur cum ultra hoc tempus non voluerint se obligare.

Notandum denique, sæpe difficile discerni posse, an tempus contrahendo Matrimonio præfixum fuerit ad finiendam obligationem, vel potius ad urgendam ejus adimpletionem. In dubio judicium viri prudentis exquirendum est, aut ad judicem ecclesiasticum recurrendum, qui, ponderatis circumstantiis, determinet quid a desponsatis fieri debeat.

Quæstio 4. *An dissolvuntur Sponsalia, si una pars, altera invita, discedat in regionem longinquam ?*

R. 1°. Si illa in longinqua regione figat domicilium, certum est alteram partem manere liberam : constat ex cap. *De illis, De Sponsalibus et Matrimoniis.* Quando, ob discessum in regionem longinquam.

2°. Si vero pars una abeat cum animo ad pristinum domicilium revertendi, ex iis quæ supra de temporis lapsu dicta sunt, judicandum est, quamdiu altera pars illam debeat expectare ; interim si una pars ultra justum tempus abfutura prævideatur, statim altera pars liberata censebitur. Securius tamen erit causam remittere ad arbitrium judicis. Circa hanc rem laudat Benedictus XIV, *Institutione* 46, n. 4, sequentia Estii verba : « Quamvis » jus civile biennium tantum præcipiat expectare, jure » tamen pontificio post cognitam sponsi in remotas ter- » ras profectionem , nullum tempus ad expectandum » præscribitur, quia ille per talem discessum censetur juri » suo renuntiare. »

N. 20. An et quando requiratur auctoritas judicis ad solvenda Sponsalia.

Quis est judex competens in causis sponsalitiis ?

R. Cum Sponsalia ad Sacramentum Matrimonii referantur, adeoque res sit spiritualis, judex competens, non Judex competens

in causis sponsalitiis est Episcopus.

secus ac in causis matrimonialibus, est judex ecclesiasticus, adeoque in singulis diœcesibus Episcopus, utpote qui ibi foro externo gaudeat, et etiam alios delegare possit. Huc spectat propositio 58ª synodi Pistoriensis, damnata a Pio VI. Cum autem ad forum externum hoc judicium pertineat, parochus sententiam tanquam judex ferre non potest, nisi fuerit ab Episcopo delegatus; potest tamen, uti et reliqui confessarii, tanquam doctor et consiliarius, casus resolvere pro directione animarum.

An ad dissolvenda Sponsalia intervenire debet auctoritas Episcopi ejusve delegati?

Sponsalia privata sine ejus auctoritate solvi possunt, si causa sit certa et non obstet scandalum;

R. Distinguendo. 1°. Si Sponsalia sint tantum privata, et causa dissolvendi certo existat, ac evidenter sit sufficiens, possunt desponsati propria auctoritate resilire a Sponsalibus; cum nullibi jubeatur, ut tunc ad superiorem recurrant: per accidens tamen ad id teneri possent, ratione scandali ex privata dissolutione orituri. Si autem dubitetur de existentia vel sufficientia causæ, recurrendum est ad Ordinarium.

solemnia ejus auctoritate solvi debent; nisi ipso facto sint soluta.

2°. Si Sponsalia sint solemnia, tum nisi causa ipso facto dissolvat Sponsalia, ut si una pars emiserit vota solemnia, vel sacros Ordines susceperit, semper recurrendum est ad Episcopum ejusve delegatum; quia cum Ecclesia manum istis Sponsalibus apposuerit, non licet ea sine ejus auctoritate supprimere; quod quidem obtinet, etiamsi mutuo contrahentium consensu dissolvantur.

Unde in Pastorali nostro, tit. *De Matrimonio*, art. 13, specialiter statuitur: *Non consentiant parochi, ut illi, qui in ætate legitima constituti Sponsalia contraxerunt, se mutuo ab ejusmodi promissione futurarum nuptiarum absolvant; sed illos spiritualis Curiæ promotori denuntient; ut causa per Episcopum ejusve Officialem discussa, si ea secundum juris dispositionem legitima sit, ab ejusmodi promissione absolvantur.* Similia statuuntur in Decreto Congregationis Archipresbyterorum anni 1851, § XI.

Quomodo debet constare de existentia causæ, ut liceat ab eam Sponsalia dissolvere?

Causa solutionis debet moraliter certo probari.

R. Moraliter certo: ratio est, quod jus certum per Sponsalia acquisitum, tollere non liceat per jus incertum resiliendi. Pro foro interno sufficere potest unus testis fide dignus, ut alicui moraliter certo constet de causa

resiliendi. Pro foro externo unus quoque testis sufficere potest, ubi pro causa allegatur aliquod impedimentum Matrimonii, dirimens aut impediens; sic enim statuitur cap. *Super eo, De testibus et attestationibus,* lib. 2 Decretal. Si autem causa allegata non inducat impedimentum Matrimonii, attamen sit de jure sufficiens ut alter sponsorum possit a Sponsalibus resilire, tunc requiruntur duo testes, secundum cap. *In omni,* tit. cit. Secundum aliquos tamen, sufficit unus testis fide dignus, in casu quo ipse testaretur sponsæ fornicationem cum tertio. Saltem vix cogi posset sponsus ad ineundum Matrimonium cum sponsa, cujus fidelitas ex testimonio fide digno ipsi suspecta est, quia infausti exitus inde timendi essent : suadendum ideo esset, ut sponte Matrimonio renuntient.

In dubio causæ, solutio pronuntiari non potest per se, sed per accidens.

In dubio de existentia aut sufficientia causæ, per se non potest judex dissolutionem pronuntiare, quia in dubio melior est conditio possidentis; per accidens vero potest, ut si timendum sit, ne Matrimonium cedat in detrimentum Ecclesiæ, reipublicæ, familiæ, ipsorum contrahentium. Hinc ratio sufficiens ut judex dissolvat Sponsalia, esse poterit magna aversio, quam sponsus v. g. contra sponsam concepit, familiarum dissensiones et rixæ aliave scandala oriunda. Dissensus etiam parentum, quamvis per se non irritet Sponsalia, ut N°. 10 diximus, ratio sufficiens esse potest judici illa dissolvendi; uti etiam quod sponsus contrahere velit cum alia fœmina ex qua prolem concepit. In hujusmodi autem casibus judex aliquando statuet aliquam compensationem pecuniariam solvendam parti innocenti.

N. 21. De proclamationibus antenuptialibus.

Plura hic occurrunt scitu necessaria circa proclamationes antenuptiales, quæ distinctis quæstionibus investigabimus. Unde, exposito prius quid sit proclamatio, dicetur de præcepto proclamationes faciendi et de obligatione denuntiandi impedimenta; dein inquiretur de circumstantiis proclamationum, quoties et quando, a quo et ubi sint faciendæ, an aliquando sint iterandæ, et an statim

post eas liceat inire nuptias ; tandem agetur de dispensatione in proclamationibus, et legitima earum omissione.

Quæstio 1. *Quid dicitur proclamatio antenuptialis ?*

Proclamationes antenuptiales

R. Actus quo parochus, aut alius legitime deputatus, publice annuntiat, Matrimonium inter personas quas nominat, brevi contrahendum esse, ut qui noverit inter eas impedimentum existere, illud declaret.

Proclamationes vocantur etiam *banna*, a voce germanica significante edictum, seu proclamationem publicam.

Finis proclamationum antenuptialium est detegere impedimentum Matrimonii sive dirimens, sive prohibens, si quod forte subsit, ut ita præcaveri possint tum nullitas contractus, tum sacrilegium contrahentis, tum irreverentia Sacramenti.

Quæstio 2. *An datur præceptum ecclesiasticum faciendi proclamationes ?*

faciendæ ex præcepto Ecclesiæ,

R. Affirmative, latum quidem in magno Concilio Lateranensi sub Innocentio III, relatum cap. *Cum inhibitio, De clandestina desponsatione,* lib. 4 Decretal. et a Concilio Tridentino, Sess. XXIV, cap. I, *de reformatione Matrimonii,* innovatum et determinatum quoad numerum, locum et tempus, his verbis : *Sancta Synodus..... præcipit ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festivis, in ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum.... Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel, saltem parocho et duobus vel tribus testibus præsentibus, matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in ecclesia fiant, ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur : nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur : quod illius prudentiæ et judicio sancta Synodus relinquit.*

An præceptum faciendi proclamationes antenuptiales obligat sub gravi ?

obligante sub gravi.

R. Affirmative : licet enim proclamationes non sint de substantia Matrimonii, cum sine eis initum subsistat, finis tamen ob quem præceptæ sunt, valde gravis est, ut ex antedictis patet. Colligitur etiam ex gravitate pœnæ contra

transgressores statutæ. Concilium enim Lateranense parochum Matrimonio assistentem sine prævíis proclamationibus ad triennium suspendi jubet, contrahentibus autem condignam pœnitentiam injungi. Insuper si Matrimonium sine proclamationibus contractum, postea reperiatur nullum ob impedimentum dirimens, proles nata erit illegitima, non obstante bona fide parentum, et mandat Concilium Tridentinum, ut *separentur et spe dispensationis consequendæ careant.* Cfr. Benedictum XIV, *De Synodo diœcesana,* lib. 12, cap. 6, n. 2.

Aliqui auctores docent, non esse peccatum mortale, si tantum duæ proclamationes omittantur; sed probabilius contradicit Concina, ut ait S. Alphonsus de Ligorio, n. 990, qui probabilem putat sententiam Sanchez et aliorum, qui negant, mortale esse si tantum una proclamatio omittatur, quia respectu ad totum præceptum una proclamatio non videtur gravis materia, et per binas proclamationes factas finis legis censetur obtentus.

Nullum erit peccatum si omittantur ex justa causa, ut si, omissa tertia proclamatione ex inadvertentia, Matrimonium commode differri non possit, nec detur tempus obtinendi dispensationem.

Quæstio 3. *An qui novit impedimentum inter nupturientes existere, tenetur illud revelare?*

R. Generatim et per se tenetur, sive impedimentum sit dirimens aut impediens tantum, et quantumvis sit secretum, et sive contracturi id sciant sive non. Id enim præcipit Ecclesia, dum ideo proclamationes fieri jubet, ut qui noverint impedimentum, illud denuntient, et sic injuriam Sacramenti avertant, aut etiam Matrimonii nullitatem et plura mala impediant. Cumque materia sit gravis, præceptum hoc obligat sub gravi.

Qui novit impedimentum, generatim et per se tenetur illud revelare.

Neque cessat obligatio, si cui commissa sit notitia impedimenti sub secreto naturali, etiam cum juramento non propalandi : secretum enim et juramentum non obligant cum detrimento tertii et communitatis.

Dictum est *generatim et per se,* quia per accidens et in quibusdam circumstantiis, qui cognoscit impedimentum, non tenetur illud revelare.

Excipitur qui scit ex confessione sacramentali,

Ita 1°. non tenetur nec potest, si illud cognoscat tantum ex confessione sacramentali.

item juxta plures qui scit sub sigillo consilii,

2°. Item, juxta plures inter quos Carrière, *De Matrimonio, Compendii* n. 120, qui noverunt sub sigillo *consilii*, quia ratione suæ professionis ab iis petitum est consilium, quales sunt parochi, doctores, advocati, medici, obstetrices etc., eximuntur etiam ab obligatione revelandi. Ita enim expostulat bonum commune; quia si hi fidem fallant, jam nemo erit, qui in rebus difficilibus consuli possit, et omnis consiliis præcluditur aditus, cum maximo totius societatis detrimento.

Illi tamen tenerentur monitis aliisve mediis, si possent, a Matrimonio ineundo absque dispensatione, sponsos avertere aut impedire.

tum ille qui non potest revelare sine magno suo damno, infamia etc.

3°. Non obligatur, qui sine propria infamia, aut alio gravi detrimento suo aut suorum, impedimentum revelare non posset: cum gravi enim proprio detrimento non tenemur avertere malum alterius, nec obligat lex ecclesiastica.

Sola infamia tertiæ personæ apud parochum vel Episcopum non videtur excusare, alioquin lex Ecclesiæ fere inutilis redderetur: si tamen in casu extraordinario alia gravia mala et scandala ex revelatione merito timerentur, obligatio cessaret.

Prius monendi sunt sponsi,

Advertunt etiam auctores, quod antequam parocho fiat denuntiatio, sponsi fraterne monendi sint, præsertim si impedimentum sit infamans, ut dispensationem petant aut a Matrimonio desistant; nisi tamen prævideatur hanc monitionem fore inutilem. Cfr. S. Alphonsum de Ligorio, n. 994 et seq.

Quid agendum sit parocho, dum ipsi denuntiatur impedimentum, dicetur N°. 62.

Quæstio 4. *Quoties et quando proclamationes fieri debent?*[11]

Proclamationes ter faciendæ,

R. Præcipit Concilium Tridentinum ut fiant *ter*, et quidem *tribus continuis diebus festivis*. Debent fieri *ter*, ut certius ad omnium notitiam perveniant, et tempus detur impedimenta, si quæ subsint, revelandi.

tribus diebus festivis

Dicitur *diebus festivis*, quo nomine, juxta omnes, intelliguntur dies dominici et festivi de præcepto, seu cum obligatione audiendi Missam.

Apud nos etiam fieri possunt in festis, pro quibus abrogata est obligatio audiendi Missam per indultum anni 1802. Cum enim Sancta Sedes voluerit, ut istis diebus

nihil immutaretur in divinis officiis, eatenus adhuc sunt festivi; cumque fideles specialiter ad Missam audiendam istis diebus excitari debeant, et satis frequentes accedant, etiam sic satisfit fini legis : unde merito deductum fuit, nihil immutandum esse circa proclamationes, quæ ideo, ut ante, istis diebus fieri consueverunt. Eadem ratio non valet pro festis abrogatis a Clemente XIV.

Probabilis quoque videtur sententia, quam tenent Sanchez, Bosco et alii, fieri posse proclamationes etiam diebus ferialibus, si ex aliqua causa fieret magnus concursus in ecclesia, eo quod finis legis etiam tunc perfecte obtineatur. Pontius autem cum multis contradicit.

Dicitur *continuis,* seu sibi succedentibus, ita ut nullus dies festivus prætermittatur; vult enim Ecclesia, ut ubi conventum est de Matrimonio ineundo, ejus celebratio non differatur diu. Si tamen tria festa immediate se contingerent, v. g. festo Nativitatis Domini incidente in feriam VI, non videtur obligatio singulis diebus banna faciendi : non enim æstimari debet esse contra intentum Concilii Tridentini, si tunc una proclamatio in festum subsequens reservetur. Imo multi improbant, quod tribus diebus immediate sequentibus fiant, quia tunc vix datur tempus ad impedimenta denuntianda.

Notat Steyaert, quod proclamationes fieri possint etiam tempore clauso; et pro eo adducitur declaratio Congregationis Concilii.

Quæstio 5. *A quo, et ubi fieri debent proclamationes antenuptiales ?*

R. *A proprio contrahentium parocho... in ecclesia, inter Missarum solemnia,* ut loquitur Concilium Tridentinum. Synodus autem provincialis Mechliniensis anni 1607, tit. 10, cap. 2, dicit : *Sub summo Sacro, vel concione, aut alioqui sub frequenti populi conventu.*

Layman aliique aiunt, posse fieri etiam extra ecclesiam in loco magni concursus, quia sic jam obtinetur finis Concilii. Hoc tamen non videtur posse fieri sine justa causa, cum Concilium Tridentinum expresse dicat, *in ecclesia.*

Ubi fieri debent proclamationes, si desponsati sint diversarum parochiarum ?

R. In ecclesia utriusque, quia in Concilio Tridentino præscribitur, ut fiant *a proprio contrahentium parocho;*

ergo in casu a parocho utriusque : sic semper intellectum fuit, et ita decernit Synodus Mechliniensis supra citata, cap. 3, item Decretum Congregationis Archipresbyterorum anni 1851. Unde in tali casu parochus qui Matrimonio assistere debet, procedere non potest, nisi constet proclamationes in altera parochia quoque factas esse. Si sponsus, aut sponsa, æquale domicilium habeat in duabus parochiis, aut in una habituale domicilium et in alia quasi domicilium, etiam in utraque videntur proclamationes faciendæ. Cfr. Carrière, op. cit., n. 112, tum dicenda postea de proprio parocho contrahentium, N°. 88 et seq.

Ubinam fieri debent proclamationes, si sponsi, aut alteruter eorum recenter in parochia habitent?

etiam aliquando in duobus unius domiciliis,

R. Fieri debent tum in parochia in qua nunc degunt, tum in parochia ex qua nuper discesserunt : id enim exigit finis proclamationum, et ita declarasse S. Congregationem Concilii Tridentini plures referunt auctores. Idem statuitur in Synodo diœcesana Mechliniensi anni 1609, tit. 9, cap. 8 : *Si Matrimonium contracturi in parochia, in qua est moderna eorum habitatio, brevem moram traxerint, ita ut ibidem non sint satis noti; etsi ibidem Matrimonio jungi possint, nihilominus in parochia in qua prius habitarunt, ubi virisimilius est fore, ut impedimenta sciantur, denuntiationes omnes fieri volumus.* In Decreto autem Congregationis Archipresbyterorum anni 1851, tempus sic determinatur : *Si infra sex menses aliam parochiam deseruerint, in ea etiam proclamationes fieri oportet.*

Quæstio 6. *An proclamationes antenuptiales aliquando sunt iterandæ?*

et aliquando iterandæ.

R. Affirmative; equidem Rituale Romanum sic statuit : *Si infra duos menses post factas denuntiationes Matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur.* Juxta Decretum vero Congregationis Archipresbyterorum anni 1851, in nostra Diœcesi repetendæ sunt post intervallum trium mensium, *nisi dispensatio obtenta fuerit, quæ in duabus duntaxat concedetur.* Additur ibid. : *Si autem post contracta Sponsalia sponsa, vel etiam sponsus, in aliam parochiam transmigraverint, ibidem sine novis proclamationibus ad Matrimonium admitti possunt, dummodo proclamationum a priore parocho factarum testimonium adferant.*

Quæstio 7. *An facta ultima proclamatione, licet eadem die Matrimonium celebrare?*

R. Id nulla generali lege expresse videtur prohibitum; unde Pontius, Salmanticenses aliique licitum esse affirmant; alii tamen negant, quia sic ultima proclamatio redderetur inanis. In quibusdam diœcesibus speciali lege id prohibitum est. Synodus diœcesana Mechliniensis anni 1609, id vetat in casu quo super una vel duabus proclamationibus dispensatum est; Decreto vero sæpe memorato Congregationis Archipresbyterorum anni 1851 generatim prohibetur, *ne eo ipso die quo ultima proclamatio facta fuerit, Matrimonium contrahatur.*

Matrimonium ne contrahatur eo die, quo facta est ultima proclamatio.

Quæstio 8. *Quis potest dispensare in proclamationibus?*

R. Ordinarius sponsorum, cujus prudentiæ et judicio sancta Synodus Tridentina id reliquit, ut ex citatis supra ejus verbis patet. Nomine autem Ordinarii ex unanimi sententia doctorum hic venit Episcopus loci, neutiquam vero parochus. Communius et probabilius sustinent Sanchez et alii, contra Pontium aliosque, id etiam posse Vicarium generalem Episcopi, quia facit unum tribunal cum Episcopo. Insuper dispensare possunt, qui ad hoc sunt delegati ab Episcopo, uti sunt in nostra Diœcesi Decani, ut patet ex Decreto anni 1829, quo eorum officia determinantur.

In proclamationibus dispensat Episcopus,

Juxta Concilium Provinciale Mechliniense anni 1607 dispensatio in bannis in scriptis haberi debet.

Si duæ partes sint diversæ diœcesis, contendunt multi sufficere unius Episcopi dispensationem. Verum communius aliter sentiunt auctores, ait Carrière,

S. Alphonsus de Ligorio, n. 1006, sentire videtur, Episcopum etiam cum altero sponsorum non sibi subdito posse dispensare: hanc enim solam refert auctorum sententiam.

Giraldi, *Expositio juris pontificii*, parte 2, sect. 114, citat decretum S. Congregationis Concilii 20 April. 1606, requirens, ut etiam proprius alterius Ordinarius denuntiationes remittat, vel saltem testetur de illius statu libero. Hoc in praxi servandum est.

Porro ad dispensandum requiritur justa ratio; imo Benedictus XIV, in Bulla NIMIAM LICENTIAM, requirit causam *legitimam, gravissimam et ineluctabilem*. Unam

ex variis causis.

tantum indicat Concilium Tridentinum, nimirum *si probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes;* sed alias plures esse convenit inter auctores, et sæpius declaravit S. Congregatio Concilii, et patet ex eo quod Concilium Tridentinum has causas committat prudentiæ et judicio Episcoporum.

S. Alphonsus de Ligorio, n. 1005, plures allegat rationes, propter quas dispensatio concedi possit aut debeat, nimirum : 1°. Si adsit probabilis timor ne Matrimonium malitiose impediatur juxta sensum Tridentini. 2°. Si Matrimonium sit necessarium ad vitandum damnum, sive infamiam contrahentium, vel prolis : nempe si concubinarii reputabantur conjuges, vel si præcesserit defloratio, et timeatur, ne vir mutet voluntatem, aut ipse statim sit longe profecturus; item si alter sponsorum esset in periculo mortis, et esset proles legitimanda. 3°. Si immineat tempus Adventus vel Quadragesimæ et urgeat periculum incontinentiæ, aut gravis præjudicii. 4°. Si nuptiæ sint contrahendæ inter magnates, quia horum conjugia non fiunt nisi magna præcedente consideratione. 5°. Si sponsi sint valde senes, aut valde dispares in conditione, ætate, divitiis aut qualitate. 6°. Si certo moraliter constet nullum adesse impedimentum. « Hic autem notandum, » ait S. Alphonsus, « quod Episcopus dispensando in denun» tiationibus, semper tenetur diligenter aliunde inquirere » de impedimentis, nisi communiter constaret non ad» esse. » 7°. Hodiedum sæpe occurrit hæc ratio, quod sponsi formas civiles jamjam impleturi sint, et expediat eos eadem die Matrimonium contrahere.

Si partialis dispensatio data sit, id annuntiandum.

Dum data est dispensatio pro una aut altera proclamatione, oportet, aiunt Steyaert et Braunman, eam quæ superest, facere cum expressione partialis dispensationis. Imo convenit in singula proclamatione annuntiare quota sit, pro directione eorum qui forte impedimentum cognoscerent.

Quæstio 9. *An aliquando parochus, omissis proclamationibus sine dispensatione, ad Matrimonium celebrandum procedere potest ?*

In gravi necessitate potest

R. Affirmative, nimirum si urgeat gravis necessitas Matrimonium statim celebrandi, ita ut tempus non habeatur

ad superiorem recurrendi. Hoc clare innuit ipsum Concilium Tridentinum, loc. supra cit. Tunc quidem ipse parochus non dispensat; sed per epikeiam judicat, legem in casu non obligare : casus est, si proles legitimanda sit per Matrimonium moribundi statim morituri, — parochus sine dispensatione omittere proclamationes.

Ubi vero Matrimonium ita celebratum fuit, nullis præviis proclamationibus, præscribit Concilium Tridentinum, loc. cit., *ut deinde ante consummationem denuntiationes in ecclesia fiant*, ut scilicet impedimentum, si forte subsit, detegatur, nec sponsi periculo fornicationis se exponant : *nisi*, addit, *Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur*. Unde casus Ordinario exponendus esset, ut judicet an proclamationes fieri adhuc debeant, vel in eis dispensandum sit. Zypæus, *Juris pontificii novi, De Sponsalibus et Matrimoniis*, lib. 4, n. 10, testatur quidem, hic non solere fieri, ut non audierit unquam, inquit, post contractum jam Matrimonium proclamationes fuisse factas; idem quoad Germaniam testatur modernus auctor eximius J. H. Bangen, *Instructio practica de Sponsalibus et Matrimonio*, parte 2, § 15 : verumtamen Episcopi est de singulis casibus judicare. quo casu ante consummationem faciendæ sunt, nisi dispenset Episcopus.

Notandum, quod, ubi dispensatur in Matrimonio mixto partis catholicæ cum hæretica, rescriptum apostolicum continere soleat clausulam de omittendis proclamationibus antenuptialibus cum cæteris cæremoniis Matrimonii ; unde tunc fieri nequaquam possunt. In Matrimoniis mixtis omitti debent.

Notandum denique, quod ipse etiam Codex Civilis pro matrimonio civili præscribat publicationes antenuptiales bis faciendas ante portam domus communis, duobus dominicis immediate sequentibus (Cod. Civ., art. 63) in loco domicilii utriusque contrahentis (art. 166), seu in loco ubi jam sex menses habitavit (art. 74), et si tantum sex menses, etiam in loco ubi habitabat antea (art. 167), atque insuper in loco habitationis eorum sub quorum potestate quoad matrimonium quis forte existit (art. 168). Statuta Codicis Civilis circa proclamationes civiles.

Art. autem 64 statuitur, ut exemplar proclamationis valvis communalibus appensum maneat, toto octiduo a prima ad secundam proclamationem, et ne ad actum civilem procedatur ante diem tertiam post secundam proclamationem, adeoque non ante feriam IV. Si autem

matrimonium intra annum non celebretur, iterandæ sunt proclamationes (art. 65). Dispensatio in secunda tantum proclamatione obtineri potest a rege et ministris ad hoc designatis, nimirum procuratoribus regis (art. 169).

Admittunt tamen communiter legisperiti, prædictas publicationes non requiri sub pœna nullitatis matrimonii civilis; disputant autem circa casum quo in regione extranea celebretur, de quo art. 170 statuit expresse, validum fore si formæ ibidem usitatæ servatæ fuerint, modo, addit, præcesserint publicationes art. 63 præscriptæ.

N. 22. De officio parochi circa eos qui petunt admitti ad Sponsalia et Matrimonium.

Desponsandus sedulo examinetur

Quia non tantum salutis animarum, verum etiam pacis et quietis familiarum, parochiarum et totius societatis christianæ maximopere interest, ut nemo nisi bene instructus et rite præparatus Matrimonium contrahat, inter præcipuas officii pastoralis curas merito recensetur sedula instructio fidelium circa status matrimonialis obligationes, et dispositiones ad illum prærequisitas. Quapropter omittere non debent parochi de hisce fideles e cathedra interdum admonere; omni vero sollicitudine, ubi jam proxime quis Matrimonium inire intendit, oportet eum examinare atque instruere, ne magnum illud Sacramentum indigne forte, aut etiam invalide suscipiat. Hinc petitur

Circa quæ examinari debet, qui petit admitti ad Sponsalia et Matrimonium?

R. Præcipue circa sequentia : quæ eo ordine proponimus, quo in Decreto Archiepiscopali anni 1851 recensentur :

1°. circa ejus libertatem,

1°. An sponte et libere se præsentet, et an tertiæ personæ per anteriorem promissionem, aut alio modo non sit obligatus. Si autem sit ignotus, ut in magnis civitatibus facile contingit, parochus etiam interrogabit an in parochia, ubi et quamdiu habitet; tunc etiam testes requiret et in vicinia inquiret, utrum talis persona in parochia habitet, et cognoscatur esse libera.

2°. An sit sui juris, an vero habeat parentes, et an ipsi, seu illi quorum in parentum defectu consensus requiritur, consentiant. Si ipsi commode possint consensum personaliter declarare parocho, hoc exigendum, nisi declarationi in scriptis aut per testes fidere liceat, aut aliunde de consensu satis constet. 2°. consensum parentum,

3°. Inquirat semper in generali, an forte inter partes sit impedimentum; in particulari quoque circa quædam impedimenta interroget, si ob circumstantias personarum forte latere suspicari possit. Ita si sponsa habeat sorores nubiles, aliquando interrogandus erit sponsus circa impedimentum publicæ honestatis; si recenter viduus petat jungi ancillæ suæ, erit ratio indagandi super impedimento criminis; si sponsa valde pie vixerit, erit ratio interrogandi de impedimento voti; aliquando inquiret circa impedimentum cognationis spiritualis; quandoque etiam circa impedimentum affinitatis ex copula illicita, signanter si sint inferioris conditionis, aut vitæ dissolutioris. 3°. impedimenta Matrimonii,

Porro, ut qui Matrimonio jungi petunt, impedimenta facilius declarent, suggeri potest spes facile dispensationem obtinendi; imo quandoque parochus monere debet ut si quid dicere non audeant, id confessario declarent, qui ipse secreto dispensationem procurare poterit.

Convenit etiam quandoque, ad vitandam eorum offensionem, ut impedimenta quædam non per modum interrogationis proponantur, quasi aliqua haberetur suspicio, quod forte talia contraxerint, sed per modum instructionis, dicendo ista esse præcipua impedimenta, de quibus instrui solent nupturientes.

4°. Sponsa, coram cujus parocho Matrimonium contrahi solet, aliquando interroganda est, utrum in parochia habitatura sit usque dum Matrimonium fuerit contractum. 4°. habitationem in parochia,

5°. Examinabit parochus, an in principiis fidei et officiis christiani hominis, et signanter circa obligationes conjugatorum, sufficienter sit instructus. Interrogationes autem instituere potest, advertendo inter obligationes parentum erga proles hanc esse præcipuam, ut infantes doceant Doctrinam Christianam; deinde petendo, quæ sint præcipua quæ pueros docere oporteat etc. Jubebit omnes recitare orationem dominicam, salutationem angelicam, symbolum Apostolorum, decalogum et præcepta Ecclesiæ. 5°. instructionem in fide et officiis conjugatorum.

Expedit omnes sine exceptione interrogare, eos etiam de quorum instructione constat, ut nemo prætextum habeat se subducendi.

Si interrogatus ignoret ea quæ scitu necessaria sunt, oportet ipsum inducere, ut ea statim addiscat, et ante celebrationem Matrimonii redeat ad novum examen subeundum; etenim, ut scribit Benedictus XIV ad universos Episcopos, Constitutione Etsi minime : *Matrimonio jungendi non sunt, si parochus, ut debet, prius interrogando, deprehenderit marem seu fœminam, quæ ad salutem necessaria sunt, ignorare.* Rituale Romanum etiam in iis, qui Matrimonio jungendi sunt, requirit, ut sciant *rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant.* Fusius id probat Benedictus XIV, *De Synodo diœcesana*, lib. 8, cap. 14, ubi etiam refutat rationes Sanchez, contrarium docentis.

Cum eo tamen optime consistit, in necessitate ignorantes ad Matrimonium admitti posse. Cfr. N. 29.

Si alter jungendorum etiam in parochia habitet, eodem modo a parocho interrogandus est, et seorsim quidem, ne ob alterius præsentiam non audeat, quæ necessaria sunt, revelare.

Ubi ambo satisfecerint, tempus statuendum erit, quo cum testibus ad ineunda Sponsalia redeant. Pro his autem adhibendus est ritus in Pastorali descriptus.

De quibus post contracta Sponsalia deponsati moneri debent?

Post Sponsalia monendi ut se pie ad Sacramentum disponant, et saltem triduo ante confiteantur, et ab omni peccato, præsertim luxuriæ abstineant.

R. 1°. Ut per pietatis opera sese bene præparent ad Sacramentum Matrimonii digne et fructuose suscipiendum.

2°. Ut prima die opportuna, et saltem triduo ante Matrimonium, ad confessarium accedant, ut hic possit dispicere, num forte confessio generalis instituenda, aut alia ante absolutionem præstanda, aut dispensatio procuranda sit.

3°. Monendi sunt, ut interea Deum non offendant, maxime per peccata luxuriæ, nihil jam magis licere, quam ante, ex iis quæ inter conjugatos tantum non sunt illicita; ut ne habitent sub eodem tecto, quod Ecclesia ipsis interdicit ob periculum et scandala inde facile oriunda. Vide Decretum Congregationis Archipresbyterorum anni 1851, § V et VI.

An sponsi teneantur ante celebrationem Matrimonii sacramentaliter confiteri?

Confessio non est necessaria per se ratione Sacramenti suscipiendi, neque vi legis generalis,

R. 1°. Ratione Sacramenti suscipiendi per se non tenentur, quandoquidem ad licite contrahendum Matrimonium sufficiat status gratiæ : per accidens vero tenentur, si nempe sint in statu peccati mortalis, juxta ea quæ traduntur in tractatu *De Sacramentis in genere*, N°. 37.

2°. Non datur lex generalis Ecclesiæ, confessionem præcipiens; attamen Concilium Tridentinum sponsos hortatur, ut saltem triduo ante Matrimonium confiteantur et communicent.

sed vi legis localis.

3°. In pluribus diœcesibus confessio præscripta est. Ita hic præscribitur in Synodo provinciali Mechliniensi anni 1574 : *Non admittatur ad Matrimonium nisi confessus et confirmatus.*

An vero in necessitate admitti possint, qui confessi non sunt, dicetur N°. 29.

An confessarius, excipiens confessionem nupturientis, et intelligens inter sponsum et sponsam esse occultum impedimentum dirimens, tenetur semper pœnitentem monere?

An confessarius monere debeat nupturientes de impedimento occulto.

R. Collet, Holzman aliique docent, quod semper monere debeat, etiamsi monitio magis obfutura quam profutura videatur; quia magis præcavenda est nullitas Sacramenti, quam peccatum aut infamia pœnitentis. Sed hæc ratio non est admittenda, quia, ut dicit S. Alphonsus de Ligorio, n. 612 : « Sacramenta non exposcunt majorem reverentiam, quam præcepta divina. Unde si in præceptis » divinis permitti potest materiale peccatum..., cur non » poterit permitti materialis irreverentia Sacramenti in » tanta necessitate, ut peccatum formale vitetur? »

E contra Sanchez aliique sustinent, semper omittendam esse monitionem, quando ipsa videtur probabiliter non profutura.

Hoc etiam non ita universaliter admittendum censet laudatus S. Auctor; sed loquens de casu, quo aliquis vellet ducere consanguineam, dicit : « Probabilius mihi » videtur dicendum, cum Palao et Salmanticensibus, quod » regulariter loquendo, omnino monitio tunc facienda » est : tum quia ex Matrimonio nullo frequenter plura » inconvenientia oriuntur; tum quia sæpe post tale Matri» monium ignorantia cessare solet, et tunc facile adest

» periculum peccandi formaliter. Unde bene ait Layman » quod eo casu monitio facienda est, si aliqualis saltem » spes adsit profectus.... Si vero confessarius certo mo- » raliter desperet de fructu, tunc merito dicit Croix cum » Aversa..... quod omittere debeat monitionem, donec » obtineat dispensationem; quia melius est permittere » peccatum materiale, quam præbere occasionem certi » peccati formalis. »

Quænam a parocho sunt præstanda, si alter desponsandorum ad aliam parochiam pertineat?

Quid faciendum si sponsi sint ex diversis parochiis.

R. 1°. Si solus sponsus ad suam parochiam pertineat, parochus ipsum examinabit, ac deinde litteras clausas ipsi tradet ad parochum sponsæ, hac vel simili forma conscriptas :

Reverende Domine Pastor,

N.., parochianus meus, intendens contrahere Sponsalia cum N.., parochiana tua, ad illa tuto, quantum ad me spectat, admitti potest.

Sincera veneratione signor

Humill. famulus tuus
N.., pastor in N...

N.., die... mensis.... anni...

2°. Si sola sponsa ad suam parochiam pertineat, ipsam rite examinabit, et, receptis litteris testimonialibus parochi sponsi, ambos ad Sponsalia admittet. Deinde ad parochum sponsi rescribet hoc vel simili modo :

Reverende Domine Pastor,

N.., parochianus tuus, et N.., parochiana mea, contraxerunt Sponsalia solemnia, hac... Rogo, ut ipsos proclamare velis, ac deinde rescribere, an aliquod impedimentum innotuerit.

Sincera veneratione signor

Humill. famulus tuus
N.., pastor in N...

Proclamationibus factis, parochus sponsi rescribit ut sequitur :

Reverende Domine Pastor,

N.., parochianus meus, et N.., parochiana tua, ter in ecclesia mea proclamati fuerunt in ordine ad Matrimonium,

et nullum innotuit impedimentum. Insuper præfatus N... sacramentaliter confessus est; quare ad ipsorum Matrimonium, quantum me attinet, tuto procedi potest.

Sincera veneratione signor

Humill. famulus tuus
N.., pastor in N...

Cæterum in admissione ad Sponsalia et Matrimonium, accurate serventur, quæ ab Eminentissimo D. Cardinali Sterckx statuta sunt in Congregatione Archipresbyterorum anni 1851, et in fine tractatus referuntur.

DE MATRIMONIO.

N. 23. De nomine, definitione et essentia Matrimonii, ut est in officium naturæ.

S. Thom., Supplem. quæst. 41 et 44.

Abstrahentes a ratione Sacramenti, hoc numero et duobus sequentibus agimus de Matrimonio, prout fuit ab initio mundi a Deo institutum in officium seu obsequium naturæ, id est, ad naturam humanam debite propagandam.

Quibus præcipue nominibus Matrimonium vocari solet?

Matri nonium; R. 1°. Ipsum *Matrimonii* nomen omnium usitatissimum est. Sic dicitur a voce *mater*, quia mater præcipua in Matrimonio munia implet, et onera suffert : ipsi enim, ut dicitur cap. *Ex litteris, De conversione infidelium*, lib. 3 Decretal.: *Infans ante partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus.., et ex hoc legitima conjunctio maris et fœminæ magis Matrimonium quam patrimonium nuncupatur.*

quod etiam connubium, nuptiæ 2°. Vocatur *connubium*, item *nuptiæ*, a nubendo, seu velando; quia in signum pudoris puellæ olim caput velabant, dum maritis tradebantur; hodie etiam in quibusdam locis capita nubentium a sacerdote velo teguntur.

et conjugium dicitur, 3°. Vocatur *conjugium*, id est, conjunctio sub eodem jugo; quia vir et mulier mutuo conjunguntur uno eodemque vinculo, ad onera Matrimonii simul sustinenda.

Quomodo definitur Matrimonium, prout est in officium naturæ?

definitur. R. *Conjunctio maritalis viri et mulieris, inter legitimas personas, individuum vitæ consuetudinem retinens.* Cfr. Alexandrum III, cap. *Illud quoque, De præsumptionibus*, lib. 2 Decretal., et Magistrum, *Sententiarum* lib. 4, dist. 27.

Dicitur, *conjunctio*, quæ vox si *active* sumatur, pro actu quo vir et mulier primum conjunguntur, erit definitio Matrimonii *in fieri*, seu actus illius quo conjuges fiunt;

si vero sumatur *passive*, erit definitio Matrimonii *in facto esse*, seu vinculi permanentis quod ex mutuo consensu resultat.

Dicitur, *maritalis*, ut significetur conjunctionem hanc fieri in ordine ad legitimam prolis generationem, aliaque quæ propria sunt maritis erga uxores, et vicissim ; et sic distinguitur a cæteris conjunctionibus, ob alios fines initis inter homines ; a marito autem dicitur *maritalis*, quia maritus est caput conjunctionis.

Per verba definitionis, *viri et mulieris*, significatur subjectum Matrimonii, quod diversitatem sexuum exigit ; ponuntur autem in numero singulari, ad excludendam polygamiam.

Additur, *inter legitimas personas*, id est, habiles ad contrahendum, et nullo juris naturalis, divini vel humani impedimento irritante ligatas.

Tandem dicitur, *individuam vitæ consuetudinem retinens*, id est, perpetuum et indissolubile consortium, adeoque innuitur, conjuges indissolubili vinculo conjungi, et ad continuam societatem mutuaque auxilia obligari.

In quo consistit essentia Matrimonii, ut est in officium naturæ ?

Ante responsionem notandum est, in Matrimonio, sive *in fieri* sive *in facto esse* spectetur, plura occurrere distinguenda. Ita in Matrimonio contrahendo seu *in fieri* distinguuntur : 1°. actus, quo duæ personæ diversi sexus, vir et mulier, habiles ad contrahendum, per mutuum liberum consensum ad invicem se obligant conjugali vinculo ; 2°. pacta seu conventiones, quæ non raro fiunt, circa educationem prolis, dotem, administrationem et successionem bonorum possessorum aut acquirendorum etc. ; 3°. in nonnullis regionibus civilis potestas quasdam solemnitates adimplendas præscribit, ut Matrimonium in foro civili reputetur legitimum, et effectus civiles obtineat. Plura in Matrimonio distinguenda sunt.

In Matrimonio contracto seu *in facto esse* distinguuntur : 1°. nexus seu vinculum morale, quo conjuges conjuncti sunt et invicem obligantur ; 2°. obligatio inde resultans ad fidelitatem mutuo servandam, et munia conjugalia adimplenda, nimirum ad conjugale debitum reddendum, prolem susceptam benigne nutriendum et

religiosè educandum, sibi mutuo auxilium et solatium præstandum etc.; 3°. jus ad munia conjugalia ab invicem exigenda; 4°. usus istius juris seu potestatis, sive actus quo officium conjugale perficitur, et signanter actus quo proles generatur. His notatis,

Essentia Matrimonii in fieri,

R. I. Essentia Matrimonii *in fieri* consistit in actu seu pacto, quo sponsi per mutuum consensum datum et acceptatum de præsenti se obligant ad invicem conjugali vinculo. Ratio est, quod eo ipso quo talis consensus, inter legitimas personas legitimo modo præstitus, adest, Matrimonium subsistat, etsi cætera deficiant; hoc autem deficiente, Matrimonium existere nequeat. Conventiones itaque matrimoniales circa educationem prolis, circa dotem, bona temporalia etc., item solemnitates civiles ad Matrimonii essentiam non pertinent, sed eidem accidentalia et extrinseca sunt, sine quibus adeoque valide contrahi potest, et revera sæpe contrahitur.

in facto esse.

II. Essentia Matrimonii *in facto esse* consistit in vinculo permanente, quod oritur ex præfato pacto, seu consensu mutuo; quo vinculo invicem obligati manent usque ad Matrimonii dissolutionem, et formaliter sunt conjuges seu maritus et uxor; quodque adeo realem et specialem inter ipsos relationem importat, et varia jura ac obligationes inducit. Ratio est, quod Matrimonium subsistit, quamdiu hoc vinculum perdurat, etsi ex cæteris quæ ad Matrimonium spectant, quædam deficiant; et e contra, hoc vinculo dissoluto, Matrimonium cesset, cæteraque ad ipsum spectantia subsistere nequeant.

An copula carnalis non est de essentia Matrimonii?

Copula carnalis non est de essentia,

R. Nequaquam: sicut usus rei de qua contrahitur, non pertinet ad essentiam contractus, ita usus juris, aut adimpletio obligationis matrimonialis, non pertinet ad essentiam Matrimonii. Hinc, ut advertunt plures theologi, omnium animis insita est hæc opinio, ideo virum et mulierem sine crimine uniri, quia conjuges sunt, nedum ideo sint conjuges, quia uniuntur.

Probatur etiam auctoritate sanctorum Patrum, signanter S. Ambrosii, *De institutione virginis*, cap. 6, ubi ait: *Non defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis;* et S. Augustini, qui ex professo contrariam sententiam Juliani profligavit. Cum enim Julianus diceret:

Nihil aliud esse nuptias, quam corporum commixtionem, ipse e contra Augustinus docet, *Contra Julianum*, lib. 5 : *Sine corporum commixtione posse esse conjuges.*

Confirmant hoc iidem Patres, ex eo quod verum Matrimonium fuerit inter sanctum Josephum et Beatissimam Virginem Mariam, quin unquam inter se convenerint ; unde Beata Virgo in Scriptura sacra dicitur uxor S. Josephi, Luc. II, 5, hic autem et vir illius, et Christi Domini pater, ibid., 48 ; adeo ut sine temeritate, aut, secundum Suarez, sine hæresi, contrarium sustineri non possit.

An saltem jus ad copulam carnalem non est de essentia Matrimonii?

R. Cum communiori sententia theologorum, contra Pontium, dicendum est, Matrimonium essentialiter dicere ordinem ad copulam carnalem, et necessario *radicale* saltem jus ad illam conferre, adeo quidem ut absque eo nullum validum sit Matrimonium. sed jus ad copulam radicale est de essentia,

Pontius cum paucis contrarium sustinet : ex eo nempe quod Matrimonii finis sit, non tantum legitima prolis generatio et educatio, sed etiam mutuum conjugum solamen et vitæ consortium, contendit, posse Matrimonium contrahi unice in hunc posteriorem finem, sine respectu ad alterum ; atque inde infert, Matrimonium hujusmodi inter perpetuo impotentes, non jure naturæ, sed jure positivo tantum esse invalidum.

Verum cum primarius Matrimonii finis, ob quem institutum est a Deo, sit legitima prolis generatio et educatio, cæteri sentiunt, illud ex rei natura et essentialiter dicere ordinem ad actum quo proles generatur, seu ad actum conjugalem, etsi forte alius finis intendatur a contrahentibus. Alioquin nec videretur, cur Matrimonium de jure naturæ absolute subsistere non posset inter matrem et filium, patrem et filiam, imo inter duas personas ejusdem sexus, cum ideo præcise tale Matrimonium videatur jure naturæ invalidum, quia necessario ordinem dicit ad copulam carnalem, quæ inter dictas personas esse, aut licita esse non potest. Illud etiam sequeretur absurdum, quod conjuges, qui tantum ob vitæ consortium Matrimonium inivissent, fornicationis rei forent, si se carnaliter cognoscerent, nec iidem adulterii notam incurrerent, si cum tertia persona copularentur.

Unde omni Matrimonio censemus necessario convenire illud Apostoli, I Cor. VII, 4 : *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.*

Hæc ipsissima videtur doctrina S. Thomæ, qui Supplem. quæst 48, art. 1, dicit : *Matrimonium non est essentialiter ipsa conjunctio carnalis, sed quædam associatio viri et uxoris in ordine ad carnalem copulam, et alia quæ ex consequenti ad virum et uxorem pertinent, secundum quod eis datur potestas ad invicem respectu carnalis copulæ.*

non jus expeditum. Dictum est jus *radicale* esse de essentia Matrimonii, non jus morale et *expeditum*, quod amitti, suspendi aut desinere potest, stante vinculo matrimoniali : pluribus enim de causis cessat jus aut obligatio ad debitum conjugale, ad cohabitationem etc., ut postea videbimus.

An Matrimonium habet rationem contractus, et qualis contractus?

Matrimonium habet rationem contractus R. ad 1. Matrimonium habet rationem contractus, cum sit essentialiter duorum in idem consensus, ut ex dictis modo constat. Cæteris autem contractibus, etiam abstrahendo a ratione Sacramenti, longe præstat, ex parte tum originis, tum objecti, tum etiam finis. Originem habet non ex institutione hominum, sed ab ipso Deo naturæ humanæ auctore; objectum non est, ut in aliis contractibus, res aliqua quæ sit in commercio, sed ipsæ personæ contrahentium ; finis autem excellentissimus, honesta nimirum et legitima propagatio generis humani. In eo etiam differt ab aliis contractibus, quod consensus matrimonialis a nullo alio, nec a lege, nec a principe suppleri potest.

naturalis, R. ad 2. Contractus est *naturalis*, quia ab ipsa natura hominis originem habet ; quatenus ipsa naturalis ratio dictat, genus humanum propagandum esse per Matrimonium, et non aliter; tum quatenus lege naturali regitur.

moralis et religiosi ; Merito etiam dicitur contractus *moralis* et *religiosus*, et quidem multiplici ratione : 1°. quia a Deo institutus, regitur lege positiva divina, signanter quoad indissolubilitatem et unitatem ; 2°. quia honestas et moralitas totius vitæ conjugalis, et actuum huc pertinentium inde pendet ; 3°. quia Matrimonium ab initio institutum fuit ut signum sacrum unionis Christi cum Ecclesia, et deinceps a Christo ad dignitatem Sacramenti Novæ Legis fuit elevatum.

Unde patet matrimonialem contractum subjici auctoritati religiosæ, quam Deus ipse constituit interpretem legis naturalis et divinæ, regulatricem morum, et dispensatricem Sacramentorum. Ipsi ethnici solo naturæ lumine ducti Matrimonio *aliquid divini inesse arbitrabantur*, ut notat Catechismus Romanus, *De Matrimonii Sacramento*, n. 22. Hinc multis adhibitis sacris ritibus illud celebrare solebant.

secundario tantum contractus civilis,

Non autem nisi secundario, et quoad effectus secundarios, accidentales, et a contractu Matrimonii separabiles, civiles nimirum, hic contractus dici potest *civilis*, et a civili potestate dependens.

sine quo verum subsistit Matrimonium.

Unde verum Matrimonium subsistit, quin rationem contractus civilis habeat. Tale fuit Matrimonium Adami et Evæ, cum tunc nulla civilis societas existeret : imo ipsum Matrimonium est principium societatis domesticæ, quæ natura et tempore societatem civilem præcedit. Ita adhuc verum Matrimonium subsistere potest inter eos qui extra societatem civilem vivunt : tum inter illos qui civiliter mortui sunt, et alicubi lege habentur incapaces contractus civilis ; tum denique inter illos omnes, qui quavis de causa per legem civilem actu civili interdicuntur, aut quorum Matrimonium secundum leges vigentes civili effectu caret.

Huc referimus verba Pii VI, in litteris ad Episcopum Agriensem, 11 Julii 1789 : *Fallitur quisquis existimat.... Matrimonium, dummodo absit ab eo ratio Sacramenti, non esse nisi contractum mere civilem ; atque adeo civili potestate solubilem. Quod secus est ; nam primo Matrimonium non est contractus mere civilis, sed et contractus naturalis, divino jure ante omnem societatem civilem institutus, et firmatus ; qui etiam hoc insigni discrimine differt ab alio quocumque mere civili contractu, quod in eo genere civili consensus certis de causis interdum per legem suppleatur ; in Matrimonio vero nulla humana potestate suppleri consensus valeat.*

Quid vocant Matrimonium legitimum ; quid ratum ; quid consummatum ?

Matrimonium quando legitimum, ratum,

R. Secundum communiorem acceptionem, Matrimonium *legitimum* est, quod inter personas habiles seu legitimas contrahitur, quale est Matrimonium validum infidelium.

Matrimonium *ratum* est, quod inter baptizatos contrahitur ; et ideo inter infideles Matrimonium ratum esse

non potest, ut declarat Innocentius III, cap. *Quanto, De divortiis,* lib. 4 Decretal.

consummatum dicatur.

Matrimonium *consummatum* est, quod per copulam carnalem completur.

Ista tria differunt inter se ratione firmitatis : primum enim dissolvi potest in casu Apostoli, etiam si sit consummatum, de quo vide N. 54 ; ratum non consummatum dissolvitur per professionem religiosam et dispensationem Pontificis, de quo vide N. 52 et 53; ratum et consummatum non dissolvitur, nisi per mortem alterutrius conjugis.

Dictum est, secundum communiorem hodie acceptionem, *legitimum* dici omne Matrimonium validum, etsi signanter hoc nomine vocetur Matrimonium validum infidelium, quod defectu Baptismi ratum non est. Olim vero non omne Matrimonium fidelium, etsi validum et ratum, habebatur ut legitimum, sed illud tantum, quod celebratum erat, omnibus servatis ritibus atque solemnitatibus a legibus præscriptis, ut dicit Benedictus XIV, *De Synodo diœcesana,* lib. 8, cap. 12, n. 5. Patet ex Gratiano, causa 28, quæst. 1, in fine, ubi de conjugiis fidelium sic loquitur : *Horum quædam sunt legitima, velut cum uxor a parentibus traditur, a sponso dotatur, et a sacerdote benedicitur, hæc talia conjugia legitima et rata appellantur. Illorum vero conjugia qui, contemptis omnibus illis solemnitatibus, solo affectu aliquam sibi in conjugem copulant, hujusmodi conjugium, non legitimum, sed ratum tantummodo esse creditur.*

N. 24. De institutione et fine Matrimonii.

A quo institutum fuit Matrimonium, prout est in officium naturæ ?

Matrimonium institutum a Deo implicite in creatione hominis,

R. Institutum est a Deo, et quidem duplici ratione : 1°. implicite in creatione Adami et Evæ : Deus enim eos creando ad imaginem et similitudinem suam, anima rationali præditos, qua ipsum cognoscere ipsique servire possent, simul vero sexu diversos et generationi aptos, se velle ostendit, ut genus humanum propagaretur via generationis, et quidem per matrimonialem viri ac mulieris conjunctionem. Etenim ad finem creationis, et perfectionem

naturæ suæ consequendum, non solum proles generari, sed per plures annos nutriri et religiose institui debet; ipsa autem natura dictat, ad utrumque cooperari debere tam patrem quam matrem, qui ad generationem cooperati sunt, adeoque tenentur ad stabile vitæ consortium, seu Matrimonio jungi debent.

2°. Deus positiva ordinatione Matrimonium instituit, et explicite post illam, dum post creationem Adami, Evam formavit in consortium et adjutorium ejus, ut patet ex verbis, Gen. II, 18 : *Non est bonum esse hominem solum : faciamus ei adjutorium simile sibi;* atque idcirco, ut habetur, ibid. I, 27 : *Masculum et fœminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, et ait : Crescite et multiplicamini et replete terram.*

Idem confirmatur ex verbis Adami, II, 23 : quæ referens, ait Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, cap. unico *De Matrimonio : Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens, divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea : quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.*

Unde ipse Christus Dominus, eadem verba referens, Matth. XIX, 6, ait : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Si Deus conjunxit primos, et cæteros deinceps conjuges, profecto ipse Matrimonii institutor est.

In quem finem Matrimonium est institutum?

R. 1°. Principaliter ad propagandum genus humanum in triplicem finem. per convenientem generationem et debitam educationem prolis : hic finis notatur in supra citatis verbis : *Crescite et multiplicamini.*

2°. Ad mutuum viri et mulieris adjutorium ac solatium : secundum illud : *Faciamus ei adjutorium simile sibi.*

3°. Post peccatum Adami etiam cessit in remedium inordinatæ concupiscentiæ, secundum quod Apostolus dicit, I Cor. VII, 9 : *Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri.*

N. 25. De honestate Matrimonii; an sit præceptum, aut virginitati præferendum.

S. Thom., Supplem. quæst. 41, art. 2 et 3.

Errores hæreticorum.

Nota. Primis Ecclesiæ sæculis plures ex Gnosticis, ut Marcionitæ, Manichæi etc., prolium generationi infensi, quia corpus humanum a malis geniis seu a malo principio esse reputabant, Matrimonium et conjugalem consuetudinem omnino damnabant.

E contra, sæculo IV, Jovinianus, teste S. Augustino, *De peccatorum meritis et remissione,* lib. 3, cap. 7, Matrimonium virginitati et perfectæ continentiæ æquale meritis æstimabat.

Hunc errorem adoptarunt Lutherani et Calvinistæ. Imo, in initio præsertim reformationis, multi ex ipsis nuptias virginitate meliores esse dictitabant, atque sub hac specie vota Deo solemniter dicata, violare non erubuerunt.

Contra illos probabimus : 1°. Matrimonium in se licitum esse et honestum : 2°. ipsi tamen præstare virginitatem : 3°. inquiremus, an et quale detur præceptum Matrimonii.

Quæstio 1. *Proba Matrimonium esse in se honestum et licitum.*

Matrimonium in se honestum est.

R. Prænotandum, Matrimonium hic considerari cum respectu ad principalem ejus finem, seu prolis generationem, quæ conjugalem consuetudinem seu copulam carnalem supponit. Porro sic intellectum, honestum et licitum esse probatur ex eo, quod Deus ipse Matrimonium instituit, ut supra modo ostendimus, et principaliter quidem in hunc finem, ut ex legitima viri et mulieris conjunctione proles nasceretur, et recte institueretur. Atqui quod a Deo institutum est, inhonestum esse non potest, nec illiciti omnino esse possunt actus, sine quibus finis a Deo intentus obtineri nequit.

Confirmatur ex eo, quod Christus ad illud cohonestandum sua præsentia, Matrimonio interfuit, illudque ad dignitatem Sacramenti elevavit.

Insuper Apostolus Paulus illud sæpius laudat ac commendat, ut I Cor. VII, 38 : *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit ;* junioribus viduis consulit, I Tim. V, 14 : *Volo juniores nubere, filios procreare ;* conjugibus præcipit ut invicem debitum reddant, I Cor. VII, 3 : imo inter doctrinas dæmoniorum, quas futuras prædicit, recenset illam ipsam doctrinam *prohibentium nubere*, I Tim. IV, 1 et 3.

Hinc statim ac præfati errores apparuerunt, sancti Patres, inter quos Clemens Alexandrinus, Epiphanius, Augustinus, illos confutarunt, et Concilia eos damnarunt : ita Concilium Gangrense anni 376, can. 1 : *Si quis nuptias accusat, anathema sit ;* item Toletanum anni 407, can. 21. Optime hic observat S. Thomas, falsam istorum hæreticorum doctrinam sustineri nequaquam posse, nisi posito eorum absurdo principio, *quod res corruptibiles creatæ sunt a malo deo :* cum autem falsum, hæreticum et impium sit hoc principium, ruit consequentia inde deducta.

Quæstio 2. *Proba statum perfectæ continentiæ, seu cœlibatum per se Matrimonio anteponendum esse.*

R. Probatur I. *Ex Scriptura sacra*, signanter ex verbis Christi Domini, Matth. XIX, 10 et seq. Postquam enim Matrimonii indissolubilitatem commendasset, et discipuli, hoc audito, dixissent : *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere ;* Salvator respondit : *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* Quasi diceret : Non omnes capiunt verbum quod locuti estis, scilicet, non expedire homini nubere, adeoque magis expedire manere hominem innuptum ; sed illi soli hoc capiunt, præsertim practice, ita ut revera hoc vitæ institutum amplectantur, *quibus datum est*, utique a Deo. Ergo tale vitæ propositum ex speciali Dei dono est : quod sane dici non posset, nisi esset de meliori bono. Cum vero deinceps ad sententiam suam explanandam Dominus dixisset, esse viros, qui, sive a natura sive ab hominibus facti eunuchi, ad opus conjugii inepti sunt, alios vero esse, *qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum :* id est, qui quemadmodum castrati ex necessitate, ita se ex propria electione omnino continent, et opus conjugale sibi interdicunt, idque ad regni cœlestis bona securius et abundantius promerenda, adhortans addit : *Qui potest capere, capiat.* Qui, nimirum,

Virginitas Matrimonio anteponenda est. Prob. I, ex Scriptura.

in se experitur firmam et constantem voluntatem hoc vitæ institutum practice capiendi et sequendi, ille capiat et sequatur.

Inde concludimus : si perfecta continentia ex speciali Dei dono est, et ipse Christus ad eam amplectendam propter regnum cœlorum adhortatur, sequitur, eam per se vita conjugali perfectiorem esse, et tutiorem viam ad cœlum.

Confirmatur ex eo, quod ipse Dominus virginalem vitam duxit, de matre virgine nasci voluit, virginem habuit nutritium patrem S. Josephum, et præcursorem Joannem Baptistam, et ex Apostolis præ cæteris dilexit S. Joannem, quia is *Virgo ab ipso electus virgo in ævum permansit,* ut legitur in ejus Officio.

Præterea S. Paulus, I Cor. VII, ubi officia explicat conjugatorum, viduarum et virginum ita clare virginalem matrimoniali statui præfert, ut nullus sit ambigendi locus : *Bonum est*, inquit, *homini mulierem non tangere.... Dico autem non nuptis, et viduis : bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego.... Mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro... Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit.* Nihil luculentius.

Prob. II, ex Traditione.

Probatur II. *Ex Traditione*, quæ elucet ex doctrina Patrum, qui unanimi ore excellentiam virginitatis extollunt, signanter S. Clementis Romani, in *Epistolis de virginitate,* quas nuper syriace et latine edidit, et authenticas comprobavit cl. Beelen, in Catholica Lovaniensi Universitate professor. Epist. 1, cap 4, docet ille Pater, quod Deus virginibus excellentius præmium daturus sit, quam castis conjugibus, et addit : *Utriusque sexus virginibus, ob sublimem illam et heroicam professionem, daturus est Deus regnum cœlorum, sicut sanctis Angelis.* Innumera hujusmodi testimonia colligere licet ex subsequentibus Patribus : Tertulliano, Cypriano, Ambrosio, Hieronymo, Chrysostomo, Augustino etc. Quibus accedunt infinita exempla Sanctorum omnis sexus et omnis nationis, qui virginalem continentiam propter regnum cœlorum professi sunt.

Accedit, quod Jovinianus, statim ac suum errorem

spargere cœpit, tanquam hæreticus ubique habitus fuit et a Siricio Papa damnatus.

Denique Concilium Tridentinum errorem Protestantium, Matrimonium virginitati anteponentium aut adæquantium anathemate percussit, Sess. XXIV, can. X : *Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu, quam jungi matrimonio ; anathema sit.* Cfr. tract. *De Sacramento Ordinis*, N. 18, et Litteras Apostolicas 10 Junii 1851, in quibus a Summo Pontifice Pio IX, inter plures Francisci de Paula Vigil erroneas sententias, illa damnatur, qua hic *Novatorum more statum conjugalem anteponit statui virginitatis.*

Quæstio 3. *An Matrimonium est in præcepto ?*

R. 1°. Conformiter ad ea quæ habet S. Thomas, 2. 2, quæst. 152, art. 2, ad 1, et Supplem. quæst. 41, art. 2, plerique admittunt præceptum naturale Matrimonii, obligans communitatem generis humani, in quantum jus naturæ exigit, ut provideatur conservationi speciei, sed nullum obligans in particulari, nisi ob paucitatem hominum ipsius Matrimonium esset necessarium ad conservationem humani generis. Hinc initio mundi Matrimonium omnibus videtur fuisse præceptum lege naturæ, et, ut quidam volunt, etiam lege positiva divina, illis verbis : *Crescite et multiplicamini*, Gen. I, 28. Postquam vero genus humanum fuit satis multiplicatum, istud præceptum cessavit obligare omnes et singulos. Post diluvium autem ad tempus revixit, ob eamdem causam.

Præceptum Matrimonii obligat communitatem generis humani,

2°. Quidam existimant, sub Veteri Lege præceptum Matrimonii singulos obligasse, aut saltem fœminas, juxta ea quæ leguntur, Exod. XXIII, 26 : *Non erit infœcunda nec sterilis in terra tua*, et Deut. VII, 14 : *Non erit apud te sterilis utriusque sexus.* Hanc sententiam attribuunt S. Hieronymo et S. Augustino.

juxta aliquos obligabat singulos Judæos.

Verumtamen de tali præcepto non satis constat, cum citata verba de simplici promissione fœcunditatis interpretari liceat. Patres vero citati intelligi possunt de præcepto improprie dicto, seu de convenientia, per consuetudinem roborata. Revera, juxta ipsum S. Hieronymum, *Adversus Jovinianum*, lib. 1, cælibes fuerunt Josue, Elias, Elisæus.

Certe non obligat per se ullum christianum,

3°. In Nova Lege certe nullum hujusmodi præceptum obligans singulos extat, ut ex dictis in quæstione præcedenti liquet.

Quod autem dicit S. Paulus, virginitatem commendans, I Cor. VII, 2 : *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat;* non significat, unumquemque debere Matrimonium inire, cum aliunde dicat, 27 : *Solutus es ab uxore ? Noli quærere uxorem ;* sed hortatur, ut ille qui uxorem habet, eam apud se habeat, nec ab ea discedat, ad vitandam incontinentiam ; vel ad summum hortatur eos qui sunt in periculo fornicationis, ut legitimo Matrimonio periculum avertant.

sed aliquando per accidens.

Hinc enim per accidens potest aliquis obligari ad Matrimonium, si nimirum continentiam non servet, aut media eam servandi non velit adhibere. Sic etiam per accidens potest aliquis ad Matrimonium obligari, quia jam Sponsalia contraxit, aut prolem legitimare tenetur; vel quia per tale Matrimonium pax inter principes est concilianda, fides catholica in regno conservanda etc.

N. 26. An Matrimonium sit Sacramentum.

S. Thom., Supplem. quæst. 42, art. 1.

Prænotandum. Veteres illi hæretici, qui contendebant Matrimonium esse illicitum, eo ipso illud e numero Sacramentorum Novæ Legis expungebant. Lutherani et Calvinistæ Matrimonium quidem magnis encomiis efferunt, dignitatem tamen Sacramenti ei denegant. Contra illos

Proba Matrimonium esse verum et proprie dictum Novæ Legis Sacramentum.

Matrimonium est verum et proprie dictum Novæ Legis Sacramentum. Prob. I, ex Scriptura sacra.

R. Probatur I. *Ex Scriptura sacra.* Etsi insignes theologi, ut Vasquez, Estius etc. putent, ex Scriptura sacra hoc dogma probari non posse, alii merito urgent argumentum deductum ex Epistola S. Pauli ad Ephesios, V.

Revera ex hoc loco probatur Matrimonium esse Sacramentum, si constet : 1°. esse signum rei sacræ a Domino institutum ; 2°. esse signum practicum, seu collativum gratiæ. Atqui utrumque inde eruitur.

S. Paulus,

Primum quidem, seu signum esse rei sacræ, claris

verbis dicit Apostolus. Postquam enim, a versu 22, exhortatus fuit conjuges circa mutua officia, utque *sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus;* viri autem diligant uxores suas, *sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret;* in confirmationem addit, quod eorum matrimonialis conjunctio est signum sacrum conjugii spiritualis, seu conjunctionis Christi cum Ecclesia. Recitatis enim verbis, quibus Adam intimam arctissimamque conjunctionem viri et mulieris expressit, ita ut sint *duo in carne una,* dicit Apostolus, 32 : *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Quasi diceret : Etsi maritalis illa conjunctio res non ita magna videri possit, si in se spectetur, vere tamen magna, sancta, divina res, seu sacramentum est magnum, quatenus magnum quid et divinissimum significat, in Christo et in Ecclesia, id est, unionem Christi cum Ecclesia, tum per Incarnationem, tum maxime per gratiam et charitatem. Ergo est vere signum rei sacræ, a Domino institutum. Eph. V, docens christianos conjuges,

Secundum vero, quod probandum est, scilicet non esse signum tantum speculativum, sed in Nova Lege esse signum practicum et collativum gratiæ, non ita clare quidem dicit Apostolus, sed *innuit* tamen, ut ait Concilium Tridentinum, atque supponit.

Nam 1°. etsi concedamus, quod de Matrimonio generatim hic dicat, quod sit *magnum Sacramentum,* speciatim tamen id innuit de Matrimonio christiano, siquidem specialiter officia conjugatorum fidelium inde confirmat. eorum Matrimonium esse Sacramentum,

Unde videtur vox *Sacramentum* accommode accipienda, secundum diversitatem temporum : ita ut latiori sensu, pro nudo signo rei sacræ sumatur, quatenus convenit Matrimonio sub lege naturæ atque scripta ; et strictiori sensu, pro signo sacro collativo gratiæ, quatenus convenit Matrimonio sub Lege Nova, cujus quidem Sacramentis proprium hoc est, ut conferant gratiam, quam significant.

2°. Idem colligitur ex eo, quod Apostolus ex ipsa ratione Sacramenti, quam habet eorum conjugium, conjuges christianos obligatos esse doceat ad excellentissimam charitatem, qua se invicem sic diligant, sicut Christus dilexit Ecclesiam in ipsius sanctificationem. Cum enim ad talem charitatem jugiter sibi exhibendam, jugi indigeant quod eos obligat ad supernaturalem dilectionem,

gratia Christi, qualem nimirum conferunt Sacramenta Novæ Legis, satis insinuat Paulus, eos gratiam illam jugiter habituros, idque vi ejusdem Sacramenti : nec enim aliunde quærendam esse docet. Imo non bene intelligitur, quomodo hæc ratio Sacramenti conjuges christianos specialiter et præ reliquis obligaret ad christianam et supernaturalem charitatem, nisi Sacramentum sponsos vere sanctificaret, et specialem gratiam ac charitatem eis conferret.

Igitur conjugium Christianorum et signum est charitatis qua Christus dilexit Ecclesiam, et eos participes reddit illius charitatis, seu gratiam ac charitatem tribuit, qua similiter se diligant : ergo non est nudum signum, sed practicum, et quidem a Christo Domino eatenus institutum ; adeoque est verum et proprie dictum Novæ Legis Sacramentum.

innuit per illud conferri gratiam.

Hæc conformia putamus iis, quæ tradit Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, *De Sacramento Matrimonii : Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem* (conjugum) *perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit, quod Paulus Apostolus innuit dicens : Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea : mox subjungens : Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.*

Prob. II, ex Traditione fundata

Probatur II. *Ex Traditione*, cujus diversa et plura monumenta, quæ idem dogma, quod Scriptura satis clare innuit, abunde demonstrant.

1°. in doctrina Patrum,

1°. Est unanimis et constans doctrina Patrum. Horum testimonia, perspicuitatis causa, ad quasdam classes referemus :

Prima classis est eorum qui docent, Christum, dum nuptiis interfuit in Cana Galilææ, eisdem benedixisse, gratiam et sanctitatem adjunxisse, qua ante carebant.

Ita Episcopi 201 in Synodo Ephesina congregati, præsidente, Romanæ atque Apostolicæ Sedis nomine, S. Cyrillo Alexandrino, declarant : *Christum dispensatorie ipsis tunc.. benedixisse nuptiis, cum in Cana Galilææ, cum sanctis vocatus Apostolis, adesse dignatus est.*

Ipse S. Cyrillus, *Comment. in Joan.*, lib. 2, cap. 2 :

Christus, inquit, *ipse cum discipulis suis invitatus venit* (ad nuptias).., *ut generis humani principium sanctificaret.*

S. Maximus, *Hom.* 1 *de Epiphania Domini*, sic loquitur : *Vadit ad nuptias Dei Filius, ut quas dudum potestate constituit, nunc præsentiæ suæ benedictione sanctificet.*

Itaque in Cana Christus non benedixit tantum tunc nubentibus, sed ipsi Matrimonio, illudque sua benedictione sanctificavit : quomodo autem Matrimonium christianum sanctum seu sanctificatum esset, nisi vim haberet nubentes sanctificandi per gratiam? Hoc ipsum inde colligit S. Epiphanius, *Hær.* 67 : *Venerabiles esse nuptias*, inquit, *ac, Dei aspirante gratia, cœleste regnum obtinere, quis vel ex eo non agnoscat, quod ad nuptias invitatus Salvator ipse fuerit, ut iis benediceret?* Porro si Matrimonium confert gratiam nubentibus, profecto est Sacramentum.

Consequenter etiam Patres Matrimonium tanquam rem sacram exhibent, solemni Ecclesiæ benedictione obsignandam, quæque gratiam dat conjugibus. Hæc eorum testimonia secundam classem constituunt.

Ita Tertullianus, *Ad uxorem*, lib. 2, cap. 8 : *Unde sufficiamus ad enarrandum felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater ratum habet.* Ubi nota antiquum ritum Matrimonium benedicendi inter Missarum solemnia. In eodem libro, cap. 7, dicit conjugium *habere jam ex parte divinæ gratiæ patrocinium*, adversus tentationes scilicet et tribulationes. S. Ambrosius, *Epist. ad Siricium Papam*, apud Coustant : *Neque vero nos negamus*, inquit, *sanctificatum a Christo esse conjugium.* S. Epiphanium vide supra.

Tertia classis testimoniorum constat ex iis, ubi expresse Matrimonium nuncupatur Sacramenti nomine.

Ita sæpius Tertullianus in libris, *De monogamia* et *De exhortatione castitatis;* S. Ambrosius, *De Abraham*, lib. 1 ; S. Augustinus passim, præsertim vere in libro, *De bono conjugali*, ubi inter cætera scribit, cap. 18 : *In nostrarum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri ;* cap. 24, illud comparat Sacramento Ordinis, et cap. 10, Sacramento Baptismatis, quatenus vinculum quod inducit Matrimonium, est indissolubile, sicut character Baptismi est inamissibilis. Hinc colligitur, a S. Augustino

non tantum in latiori sensu dici Sacramentum, sed in proprio sensu, sicut Baptismus et Ordo dicuntur Sacramenta. Idem conficitur ex eo, quod sæpius docet Augustinus, in hac ratione Sacramenti præstare conjugia fidelium conjugiis infidelium, quæ tamen in latiori sensu etiam sunt sacramenta, seu nuda signa rei sacræ.

Ex his omnibus patet, quam inepte dixerit Calvinus, quod nemo, ante Gregorii Magni tempora, viderat Matrimonium esse Sacramentum.

2°. in Conciliorum decretis,

2°. Conciliorum decreta hanc perpetuam Traditionem confirmant, et fidem catholicam de veritate Sacramenti Matrimonii stabiliunt. Dogma hoc clare definitur tum in Concilio Florentino, tum in Tridentino, his verbis : *Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum; neque gratiam conferre; anathema sit.*

Antea vero, in Concilio Lugdunensi, ubi pax inter Latinos et Græcos inita fuit, Matrimonium inter septem Ecclesiæ Sacramenta recensetur : unde certe sæculo XIII utraque Ecclesia, Orientalis et Occidentalis, hanc fidem unanimiter profitebatur.

Sæculo XII, S. Pontifex Lucius III, in Concilio Veronæ celebrato, anathema dicit iis, qui de Eucharistia, Baptismo, Pœnitentia, Matrimonio, aut alio Ecclesiæ Sacramento, aliter sentiunt, quam Sancta Romana Ecclesia.

Sæculo IV, Concilium Carthaginense IV, cui interfuit S. Augustinus, clare manifestat, quid de sanctitate hujus Sacramenti sentiat, dum statuit, ut *sponsus et sponsa, cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis vel paranymphis offerantur. Qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte, pro reverentia ipsius benedictionis, in virginitate permaneant.* Hic canon a nonnullis apocryphus habetur; sed hi fatentur illum ante medium sæculi VI fuisse suppositum, et disciplinam istius ætatis referre.

3°. in libris iturgicis,

3°. His Conciliorum decretis accedunt libri liturgici, seu vetera *Sacramentaria* Latinorum, et *Euchologia* Græcorum, quæ *celebritatem nuptiarum*, seu *officium coronationis*, ut Græci vocant, describunt, et fidem ac praxim ecclesiarum exhibent. Quædam ex ipsis antiquissima sunt, et Traditionem referunt saltem usque ad V sæculum, quo

compositum fuit Sacramentarium Gelasianum; seu potius usque ad ipsos Apostolos, a quibus Ecclesia præcipuas cæremonias accepit, et fideliter custodivit. Porro in omnibus istis libris liturgicis Deus exoratur, ut gratiam suam sponsis elargiatur, Matrimonium exhibetur ut res sanctissima, peragenda inter Missarum solemnia; in nonnullis etiam Sacramentum nuncupatur. Hæc igitur praxis omnino doctrinam Patrum, et reliqua Traditionis documenta confirmat.

4°. in consensu ecclesiarum orientalium cum Latina.

4°. Tandem hanc Traditionem et fidem catholicam confirmat consensus omnium ecclesiarum orientalium cum Latina. Imo ipsa græca schismatica, necnon variæ Orientis sectæ, ut Eutychianorum et Nestorianorum, ante sæculum VI a Catholicis separatorum, conveniunt in septenario numero Sacramentorum, inter quæ unanimiter Matrimonium recensent. Cfr. Renaudotium, *De la perpétuité de la foi*, lib. 5.

Prob. III, argumento præscriptionis.

Probatur III. Argumento *præscriptionis*, quod contra hæreticos validissimum est, et in demonstranda aliorum Sacramentorum veritate jam alibi adhibuimus, signanter ubi de reali præsentia Christi in Eucharistia agebatur. Breviter sic proponi potest : Quando novatores cœperunt suos errores spargere, totus orbis christianus, in Oriente et in Occidente, tenebat unanimi consensu, Matrimonium esse verum Sacramentum. Jam vero dici nequit, quando, ubi, a quo hæc doctrina in Ecclesiam invecta fuerit, aut quomodo universalem persuasionem sibi acquisiverit; imo impossibile est, ut unquam introduci potuisset, si non ab Apostolis fuisset tradita; cum et fideles et maxime Ecclesiæ præpositi contra novitatem reclamassent. Ergo.

Objectiones : 1°. contra argumentum ex Scriptura,

Objicitur 1°. Contra argumentum desumptum ex Scriptura sacra. In textu Paulino vox Sacramentum significat mysterium, ut græce legitur, et refertur non ad Matrimonium, sed ad mysterium Incarnationis, quod idem Apostolus, I Tim. II, vocat *magnum pietatis Sacramentum;* sensus igitur est : Magnum est mysterium hæc unio Christi cum Ecclesia per Incarnationem. Ita Lutherus, Calvinus, Erasmus etc.

R. Neg. assertum. Non mirum, si Apostolus græce dixerit mysterium : græce enim scribens non poterat Sacramentum denominare nisi græco vocabulo ; id ipsum

autem quod latine Sacramentum dicimus, græci mysterium vocant. Jam vero per pronomen *hoc* vox Sacramentum evidenter refertur, non ad sequentia, sed ad præcedentia, in quibus matrimoniale vinculum exprimitur his verbis : *Relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc,* inquit, *magnum est;* et rationem addit, nimirum, quia unionem Christi cum Ecclesia repræsentat. Scopus insuper Apostoli id exigit, qui is est, ut inducat conjuges ad mutuam benevolentiam ; ad hanc vero eos provocat hoc mysterio, quod Matrimonium in se refert, conjunctionis Christi cum Ecclesia. Adde, quod in græco textu legitur : *εἰς Χριστὸν, καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν, in Christum et in Ecclesiam ;* quibus verbis clare indicatur, mysterium esse in conjugio, cujus significatio, tanquam in terminum, refertur ad Christum et Ecclesiam. Ita quoque latine legisse videtur Tertullianus, *De exhortatione castitatis*, scribens : *Apostolus in Christum et in Ecclesiam interpretatur : Erunt duo in unam carnem, secundum spiritales nuptias Ecclesiæ et Christi ;* et propterea Matrimonium ibi vocat *Christi Sacramentum.* Cæteri Patres hanc vocem *Sacramentum* similiter ad Matrimonium referunt; nec dissentiunt moderni protestantes Koppe, Rosenmuller, apud Perrone citati, *De Matrimonio christiano,* lib. 1, sect. 1, cap. 7, art. 3.

Instant 1°. Etsi vox *Sacramentum* referatur ad præcedentia, ad summum concludi posset, Matrimonium primorum parentum, signum fuisse unionis Christi cum Ecclesia, non autem quodvis aliud Matrimonium : verba enim recitata de solo Matrimonio Adami et Evæ dicta sunt.

R. Neg. assumptum. Adamus, cujus hæc sunt verba, eo loco non loquitur de suo tantum, sed de omni alio conjugio. Alias non diceret : *Relinquet homo,* sed *relinquam;* neque diceret : *Relinquet patrem et matrem :* ipse enim patrem et matrem non habebat. Cæterum Christus, Matth. XIX, 5, verba illa refert ad omne legitimum conjugium.

Inst. 2°. Quemadmodum verba Adami de omni legitimo conjugio intelliguntur, ita quoque verba Apostoli : *Sacramentum hoc magnum est,* de omni legitimo conjugio verificari debent; atqui de omni legitimo conjugio verificari

nequeunt, nisi intellecta de Sacramento improprie dicto; ergo.

R. 1°. Quidam negant majorem. Apostolus enim non simpliciter dicit : *Sacramentum hoc magnum est*, sed addit : *in Christo et in Ecclesia*, id est, in Ecclesia Christi, non in synagoga, aut inter paganos. Hic enim, ut volunt, obvius sensus est hujus textus Scripturæ sacræ, juxta lectionem Vulgatæ, quam ita interpretantur Magister Sententiarum, Dominicus Soto etc.

2°. Alii distinguunt majorem : verba Apostoli intelligi debent de omni legitimo Matrimonio in sensu accommodo, juxta diversitatem temporum, ita ut aliter sit Sacramentum ante Christi adventum, aliter post, concedo; in sensu identico, nego. Rationem hujus distinctionis deduximus supra ex eo, quod ipse Apostolus speciales obligationes conjugum fidelium infert ex ratione Sacramenti, quæ eorum conjugio inest; tum ex communi differentia, quæ inter Sacramenta vetera et Sacramenta Novæ Legis intercedit. Apposite hic notat Habert, quod Matrimonium ante Christum præfigurabat futuram ejus unionem cum Ecclesia, Matrimonium vero Christianorum jam factam significat. Porro Christus post adventum suum sustulit Sacramenta ipsum promittentia, et alia augustiora instituit, quæ exhiberent quod vetera promittebant. Aliquando, sublatis antiquis signis, nova instituit, v. g. loco agni paschalis, Eucharistiam; aliquando idem signum servavit, eique vim indidit gratiam conferendi, quam antea non habebat. Ita in Matrimonio signum futuram ejus unionem promittens, novo ac augustiori modo instituit in signum peractæ unionis, et in signum quidem, non effectu vacuum, sed vi cujus gratia, quæ ex unione Christi cum Ecclesia, quæ est corpus ejus, effluit, derivetur in conjuges, ejusdem corporis membra.

Obj. 2°. Contra argumentum ex doctrina Patrum. Nullibi sancti Patres dicunt, Matrimonium esse proprie dictum Sacramentum Novæ Legis, a Christo Domino institutum, collativum gratiæ ex opere operato; ergo inferri non potest, eos de Sacramento proprie dicto locutos esse, etsi interdum Sacramentum dixerunt. 2°. contra argumentum ex doctrina Patrum,

R. Dist. antec. Hoc conceptis verbis non dixerunt, concedo; non dixerunt in æquivalenti, nego. Ex supra

allegatis testimoniis constat, juxta Patres, Christum sua præsentia sanctificasse nuptias, gratiam per nuptias haberi, rem sacram esse benedictione Ecclesiæ muniendam, Sacramentum esse, quoad aliquos effectus Baptismo et Ordini comparandum. Porro quid hæc sibi volunt, nisi Sacramentum esse proprie dictum Novæ Legis.

3°. ex doctrina theologorum.

Obj. 3°. Non defuerunt variis temporibus, sive ex canonistis, sive ex theologis catholicis, qui negaverint, per Matrimonium gratiam conferri.

Ita sæculo XII, Magister sententiarum, lib. 4, dist. 2, clare docet, in Matrimonio non conferri gratiam adjutricem, sed tantum remedium contra concupiscentiam : ex Sacramentis Novæ Legis, ait, *alia remedia contra peccatum præbent et gratiam adjutricem, ut Baptismus ; alia in remedium tantum sunt, ut conjugium ; alia gratia et virtute nos fulciunt, ut Eucharistia et Ordo.*

Sæculo XIII, S. Thomas, relata sententia, quæ dicit, Matrimonium habere, *ut conferat gratiam adjuvantem, ad illa operanda quæ in Matrimonio requiruntur,* addit : *et hoc probabilius est,* Supplem. quæst. 42, art. 3 ; ergo non est certum.

Sæculo XIV, Durandus, lib. 4, dist. 26, art. 3, relatis opinionibus quorumdam canonistarum, tenet ut probabile, quod Matrimonium non conferat gratiam, adeoque nec sit Sacramentum *univoce* sed *æquivoce* cum aliis Sacramentis Novæ Legis.

Ergo non datur in Ecclesia Traditio constans quod Sacramentum Matrimonii sit collativum gratiæ, adeoque verum Novæ Legis Sacramentum.

R. 1°. Neg. conseq. Etenim privatus quorumdam doctorum error potest quidem veritatem aliquando obscurare, sed Traditionem catholicam non potest abrumpere ; de qua aliunde ex communi Patrum et Conciliorum doctrina, atque Ecclesiæ praxi certo constat. Ita, quamvis S. Cyprianus cum aliis impugnaverit valorem Baptismi ab hæreticis collati, nihilominus contrarium ex constanti Ecclesiæ doctrina et praxi satis constat, et ut fidei dogma definitum est.

2°. Neg. antec., quatenus asseritur, omnes doctores citatos absolute negasse per Matrimonium christianum gratiam conferri.

Quod spectat Magistrum, dicit quidem, Sacramentum Matrimonii esse in remedium tantum, sed non dicit, esse tantum in remedium naturale contra concupiscentiam ; imo ex tota ejus doctrina sequitur, quod sit in remedium sacramentale, seu per gratiam quam confert. Sic eum interpretatur S. Thomas, *Comment. in 4 Sent.*, dist. 2, quæst. 1, art. 1 : *Magister dicit, quod Matrimonium est tantum in remedium, sed hoc est per gratiam quæ in eo confertur.* Revera Magister, non secus ac reliqui doctores ante et post ipsum, docet, dist. 1, Sacramenta non tantum significandi vim habere, *sed etiam sanctificandi ;* et cum S. Augustino differentiam Sacramentorum Veteris et Novæ Legis in eo constituit, quod *illa promittebant tantum, et significabant, hæc autem dant salutem.* Ergo et Matrimonium sanctificat, et gratiam salutarem confert.

Quoad S. Thomam, absurde hic contra nos adducitur, cum ipse citato loco paulo supra scribat : *Quidam dixerunt, quod Matrimonium nullo modo est causa gratiæ ; sed est tantum signum. Sed hoc non potest stare : quia secundum hoc in nullo abundaret a Sacramentis Veteris Legis. Unde non esset aliqua ratio, quare Sacramentis Novæ Legis annumeraretur.* Hac itaque sententia penitus rejecta ut falsa, duæ aliæ ponuntur, quarum utraque admittit, per Matrimonium dari gratiam, sed prior dicit, gratiam tantum dari quæ impediat peccatum constringendo concupiscentiam, altera vero dicit, gratiam etiam dari adjuvantem ad bene operandum, et hanc probabiliorem censet S. Doctor. Unde patet, disceptatum solummodo fuisse inter scholasticos de natura gratiæ, quam hoc Sacramentum confert.

Sic facile conciliantur, quæ primo intuitu contraria videri possent apud S. Bonaventuram, Scotum aliosque. Præcipuorum scholasticorum sententias relatas vide apud Perrone, *De Matrimonio christiano,* tom. 1, sect. 1, cap. 1, art. 2.

Hinc toto cœlo a vero aberravit Melchior Canus, ubi universim de theologis scholæ pronuntiavit : « Cum quæ- » runt, an Matrimonium conferat gratiam, id quod eo » loco maxime finiendum erat, non definiunt tamen, sed » in his referunt, quæ in hominum opinione sunt posita.»

Solus Durandus, propter quatuor canonistas opinantes

per Matrimonium non conferri gratiam, autumat, probabiliter et citra hæresim Matrimonium dici posse Sacramentum *æquivoce* tantum, et non *univoce,* respectu ad reliqua, et producere gratiam, non ex opere operato, sed solum ex opere operantis. Verum in eo desciscit a cæteris, nec constat sibi, cum alibi doceat, in eo differre Sacramenta Veteris a Sacramentis Novæ Legis, quod illa *saltem per se non continerent gratiam,* hæc vero *dent,* quodque *omnia* plenius gratiam conferant, quam antiqua; quodque de fide sit, Matrimonium esse Sacramentum Novæ Legis. Cæterum solius Durandi auctoritas non tanti ponderis est, cum vir, licet doctissimus, talis fuerit ingenii, ut nova conjicere, singulares opiniones sectari, ab antiquis recedere, magno sibi honori duxisse videatur. Hoc de ipso judicium profert P. Berthier, *Histoire de l'église gallicane,* lib. 37.

eorumque dissidiis.

Obj. 4°. Dissentiunt doctores catholici circa materiam, formam, ministrum, tempus institutionis hujus Sacramenti; ergo certo probari nequit ejus existentia.

R. Neg. conseq. Eo ipso enim quod de Sacramenti materia, forma, ministro, et institutione inquirunt, ostendunt, se Sacramenti existentiam in Ecclesia agnoscere. Omnes sane agnoscunt, et semper agnoverunt, Sacramentum Matrimonii constare, quando personæ habiles, coram testibus et sacerdote benedicente, legitime contrahunt, etsi circa ea, quæ in istis præcise essentialiter Sacramentum constituant, hic, uti de aliis plerisque Sacramentis, disceptent.

Quandonam a Christo Domino institutum est Sacramentum Matrimonii?

Incertum quando Sacramentum Matrimonii fuerit institutum.

R. Incertum est : tres sunt sententiæ :

Prima assignat tempus, quo Christus interfuit nuptiis in Cana Galilææ; pro qua sententia allegatur auctoritas Concilii Ephesini et sanctorum Patrum, qui tradunt, tunc Christum benedixisse, et sua benedictione sanctificasse conjugium.

Secunda sententia assignat tempus, quo Christus, Matth. XIX, Matrimonium reduxit ad legem indissolubilitatis, dicens : *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Tertia sententia institutum putat tantum post Resurrectionem, quo tempore Christus conversatus est cum discipulis suis, loquens eis de regno Dei.

An Christus Sacramentum Matrimonii sic instituit, ut dignitatem Sacramenti contractui addiderit, tanquam aliquid accessorium contractui perfecto superveniens, et ab eo realiter diversum?

R. Negative; sed ipsum contractum Matrimonii naturalem, qualis primitus a Deo in paradiso fuit institutus, ad rationem et dignitatem Sacramenti elevavit; adeo ut in Matrimonio christiano realiter separari nullo modo possint ratio contractus et ratio Sacramenti, quasi hæc unice in sacerdotis benedictione reponenda foret: imo nec ipse Melchior Canus, nec alii qui cum ipso sustinuerunt, sacerdotem esse hujus Sacramenti ministrum, unquam hanc distinctionem inter contractum et Sacramentum admiserunt cum ageretur de connubiis per sacerdotis benedictionem sanctificatis, prout supponunt neoterici, quos hoc loco refellimus.

An Sacramentum sit a contractu realiter distinctum.

Responsio probatur auctoritate S. Thomæ, Supplém. quæst. 42, art. 3, ad 2, dicentis: *Actus exteriores, et verba exprimentia consensum, directe faciunt nexum quemdam, qui est Sacramentum Matrimonii: et hujusmodi nexus, ex virtute divinæ institutionis, dispositive operatur ad gratiam.*

Idem liquet ex doctrina Concilii Tridentini, quod Sess. XXIV, can. 1, definit: *Matrimonium esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis.* Atqui, si distinctio admitteretur inter contractum et Sacramentum, Matrimonium dici non posset vere et proprie Sacramentum, sed dici deberet Sacramentum hoc esse adjectum Matrimonio. Cum autem Concilium pronuntiet, ipsum Matrimonium esse Sacramentum, recte concluditur, illud in quo consistit essentia Matrimonii, seu ipsum contractum conjugalem a Christo ad dignitatem Sacramenti fuisse elevatum.

Contrariam doctrinam, quæ totam rationem Sacramenti unice in benedictione sacerdotis reponit, quidam neoterici in Gallia propugnarunt, sæculo elapso, ut sic facilius omnem potestatem in Matrimonia fidelium Ecclesiæ præriperent: quales fuerunt Leridant, Maultrot, Agier, Tabaraud.

Id ipsum recentius docuit Joan. Nep. Nuytz, in regio Taurinensi athenæo professor, qui, ut suam sententiam de reali admittenda distinctione inter contractum et

Sacramentum in Matrimoniis christianis magis urgeret, eo etiam devenit, ut negaverit, Christum evexisse Matrimonium ad dignitatem Sacramenti; non negavit quidem, Matrimonium esse unum ex septem Ecclesiæ Sacramentis a Christo Domino institutis, sed inficiatus est quod Christus contractum naturalem fecerit Sacramentum, ei vim tribuens producendæ gratiæ contrahentibus in actu ipso, et per actum contrahendi, ut inde deduceret, rationem Sacramenti ipsi contractui in esse suo jam constituto per benedictionem sacerdotis accedere, et sic contractum a Sacramento realiter distingueret. Cfr. Perrone, *De Matrimonio christiano,* lib. 1, sect. 1, cap. 6, art. 1. Doctrinam Nuytzii proscripsit S. Pontifex Pius IX, in Brevi 22 Aug. 1851, damnans has duas propositiones : *Nulla ratione ferri posse Christum evexisse Matrimonium ad dignitatem Sacramenti,* et : *Matrimonii Sacramentum non esse nisi quid contractui accessorium, ab eoque separabile, ipsumque Sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm esse ;* quæ propositiones damnatæ, dein insertæ fuerunt LXV et LXVI Syllabo annexo Encyclicæ QUANTA CURA, 8 Decemb. 1864.

Eumdem errorem, in litteris ad regem Sardiniæ datis 19 Septemb. 1852, proscripsit idem Pontifex scribens : *Dogma fidei est, Matrimonium a Jesu Christo Domino nostro ad dignitatem Sacramenti esse elevatum, atque doctrina Ecclesiæ Catholicæ, Sacramentum non esse qualitatem accidentalem contractui superadditam, sed de ipsa Matrimonii essentia esse, ita ut unio conjugalis inter Christianos non sit legitima, nisi in Matrimonio Sacramento, extra quod merus concubinatus tantum invenitur.*

Ex dictis patet, quantum a vero aberraverit Marcus Antonius de Dominis, cum scripsit : « Supernaturalis con-» ditio et ratio Sacramenti supervenit Matrimonio jam » plene et perfecte in usu *civilis contractus* constituto, eo » scilicet modo, quo perfectæ jam tabulæ additur cælata » corona, vel phrygium opus vestibus. »

Circa hoc effatum famosi illius apostatæ adhuc observandum, quod ratio contractus civilis, cum non sit de essentia contractus matrimonialis, sed mere ei accidentalis sit, nequaquam ad essentiam Sacramenti pertineat, sed tantum contractus naturalis et religiosus. Unde sicut

verum Matrimonium fuit inter Adamum et Evam, inter quos tamen non poterat esse contractus civilis, ita verum Matrimonium et Sacramentum esse potest inter eos, qui contractum civilem non ineunt aut inire non possunt, quales sunt qui extra societatem civilem vivunt, qui civiliter mortui sunt, aut aliter legibus prohibentur inire contractum civilem. Quod vero contractus matrimonialis, quatenus naturalis est, non vero quatenus civilis, a Christo ad dignitatem Sacramenti fuerit elevatus, pluribus argumentis probat Moser, tract. *De impedimentis Matrimonii*, cap. 24, n. 19.

Quomodo definitur Matrimonium, ut est Sacramentum?

R. Sacramentum Novæ Legis, in quo vir et mulier maritaliter conjunguntur, et gratia divina donantur. Definitio Sacramenti Matrimonii.

N. 27. De ministro Sacramenti Matrimonii.

Cum Matrimonium sit Sacramentum, et juxta Concilium Florentinum Sacramenta Novæ Legis tribus perficiantur, videlicet *rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia*, sequitur, in Matrimonio hæc omnia occurrere, de quibus proin hoc et seq. N. inquiritur. Prius quidem de ministro agemus, quia ab ejus determinatione designatio materiæ et formæ imprimis dependet.

Quis est minister Sacramenti Matrimonii?

R. Duplex præcipue est sententia : una quæ sustinet, contrahentes esse ministros ; juxta hanc sententiam contrahentes, uti contractum inter se perficiunt, Sacramentum sibi ipsi administrant : sacerdos autem Matrimonium tantum confirmat et benedicit ; unde etiam *minister solemnitatis* vocatur. Altera sententia dicit, sacerdotem esse proprie Sacramenti ministrum. Variæ sententiæ circa ministrum Sacramenti.

Priorem sententiam tenuerunt omnes theologi antiqui, et fere omnes canonistæ ; communior semper remansit, saltem extra Galliam et Germaniam ; eique novum pondus accessit ex recentioribus Sanctæ Sedis effatis, quæ infra referemus.

Alteram vero sententiam, duce potissimum Melchiore Cano, amplexi sunt multi insignes theologi, circa finem sæculi XVI usque hodie; inter quos Estius, Sylvius, Tournely, Drouin, Daelman, Roskovany etc. Hanc sententiam Benedictus XIV, in opere *De Synodo diœcesana*, probabilem appellabat; alii cum Cano eam certam dicere, et contrariam commentitiam et falsam conclamare non timuerunt.

Horum tamen argumenta non tam firma sunt, ut ab antiqua et communi sententia recedere cogant, quam S. Alphonsus de Ligorio, n. 897, moraliter certam censet; et P. Perrone ita certo demonstratam, et a contrariis argumentis vindicatam putat, ut in opere *De Matrimonio christiano*, lib. 1, sect. 1, cap. 5, art. 4, concludat, eam esse unice veram, imo et Ecclesiæ Catholicæ doctrinam.

Dictum est, duplicem *præcipue* esse sententiam, quia duæ aliæ referuntur: una Maldonati, qui putat, ordinarium hujus Sacramenti ministrum esse sacerdotem, extraordinarium vero contrahentes; sed hæc sententia auctoritate et ratione indigere videtur. Alia est, quæ asserit, sacerdotem et contrahentes simul esse ministrum totalem et completum, quia contrahentes ponunt materiam, sacerdos vero formam: D. Baston hujus sententiæ auctor habetur a cl. Carrière, qui optime notat, eam in re non differre a sententia Melchioris Cani.

Proba ipsos contrahentes ministros esse Sacramenti Matrimonii.

Contrahentes esse ministros, prob. I, ex Concilio Florentino.

R. Probatur I, *Ex Concilio Florentino*, quod in Decreto ad Armenos dicit: *Causa efficiens matrimonii est regulariter mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Jam vero contrahentes, non vero sacerdos, consensum dant et per verba exprimunt, adeoque efficiunt Sacramentum Matrimonii; qui autem efficit Sacramentum, est illius minister; ergo.

Hoc argumentum minime diluunt, qui opponunt, quod a Concilio dicatur *causa matrimonii*, non vero *causa Sacramenti*, adeoque agatur de Matrimonio, ut contractu tantum.

Nam imprimis scopus Concilii erat Armenis tradere veram doctrinam de Sacramentis Ecclesiæ; initio enim capitis dicit: *Ecclesiasticorum Sacramentorum veritatem,*

pro Armenorum faciliori doctrina, sub hac brevissima redigimus formula. Deinde paragraphum de Matrimonio sic incipiendo : *Septimum est Sacramentum Matrimonii ;* clare ostendit, se velle Matrimonium explicare ut Sacramentum, et hujus causam efficientem declarare verbis citatis.

Adde, quod tempore hujus Concilii inusitata erat in scholis distinctio contractus et Sacramenti in Matrimonio christiano, quemadmodum inaudita erat sententia de sacerdote Sacramenti ministro : unde incredibile est, Concilium hanc distinctionem posuisse.

Accedit, quod tota hæc instructionis pars, de Sacramentis, desumpta est ad verbum ex opusculo quinto S. Thomæ : jam vero Angelicus Doctor promiscue usurpat voces *Sacramentum* ac *Matrimonium*, ut synonymas ; et in *Commentariis in 4 lib. Sententiarum* clare docet, ejus ministrum esse contrahentes.

Probatur II. *Ex Concilio Tridentino ;* quod Sess. XXIV, cap. I, *De reformatione Matrimonii*, ritum describens, quo Matrimonium in facie Ecclesiæ celebrandum est, ait : *Parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat : Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, vel*, addit, *aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum.* Hoc ultimum sane non addidisset, si existimasset, verba sacerdotis constituere formam Sacramenti : fieri enim non potest, ut Ecclesia formas Sacramentorum arbitrio provinciarum relinquat, cum facile mutationes essentiales irrepere possent. Prob. II, ex Concilio Tridentino.

Hinc ubi eodem capite irrita declarat Matrimonia clandestina, ad valorem Matrimonii contrahendi requirit nudam præsentiam parochi et testium, nulla vero sacerdotis verba : *Qui aliter, quam præsente parocho,.. matrimonium contrahere attentabunt*, etc. In sententia autem quæ dicit, sacerdotem esse ministrum Sacramenti, Concilium parum sollicitum fuisset, ut fideles Matrimonium contrahentes Sacramentum susciperent.

Aliunde vero docet : *Clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit.* Rata autem dicuntur Christianorum Matrimonia, ob majorem eorum firmitatem,

et omnimodam indissolubilitatem post consummationem ; hanc porro probabilius habent, non immediate ex Sacramento Baptismi, sed ex Sacramento Matrimonii, cujus Sacramenti *rem* esse illam indissolubilem firmitatem, dicit S. Augustinus, *De nuptiis*, lib. 1, cap. 10, n. 11 : *Hujus procul dubio Sacramenti res est, ut mas et fœmina connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent.*

Ex his omnibus colligitur, ad mentem Concilii ipsos contrahentes, uti contractus, ita Sacramenti ministros esse, nec contractum a Sacramento separari in fidelibus. Aliunde ex historia Card. Pallavicini constat, paucissimos Patres Tridentinos nuper exortæ Cani sententiæ adhæsisse.

Prob. III, ex Ritualibus.

Probatur III. *Ex Ritualibus*, quæ varia et substantialiter diversa verba a sacerdote adhibenda præscribunt, quorum nihilominus usus a Concilio Tridentino probatur, ut supra vidimus. Horum nonnulla evidenter supponunt jam perfectum Sacramentum. Ita in quibusdam præscribitur hæc forma : *Ego vos sponso et Sacramentum confirmo ;* in aliis : *Quod Deus conjunxit, homo non separet ;* in Constantiensi : *Matrimonium inter vos contractum... ratifico, confirmo et benedico.* Similia habentur in aliis multis ; in Eichstattensi : *Matrimonium inter vos contractum Deus confirmet, et ego in facie Ecclesiæ illud solemnizo.* Hæc varietas et ipsa formularum significatio indicant, ecclesiarum sensum non fuisse, sacerdotem esse ministrum.

Prob. IV, ex Ecclesiæ praxi circa Matrimonia absque sacerdotis benedictione contracta.

Probatur IV. *Ex Ecclesiæ praxi* hic sensus ejus manifestus fit. Sic Matrimonia clandestina in locis ubi Tridentinum non est promulgatum, postea benedici non jubet ; item ea quæ furtim coram parocho et testibus celebrata sunt, deinceps non benedicit ; neque Matrimonia, coram parocho nondum sacerdote contracta, a sacerdote benedicuntur. Elucet quoque Ecclesiæ sensus in ejus praxi quoad Matrimonia mixta, in quibus parochus jubetur exhibere assistentiam mere passivam ; item quoad Matrimonia invalida propter impedimentum occultum, quæ semper convalidari permisit sacra Pœnitentiaria sine sacerdotis præsentia, per solum conjugum consensum. Si autem existimaret Ecclesia in his casibus non perfici Sacramentum, sollicita esset, ut conjuges per sacerdotis benedictionem Sacramenti gratiam, valde sibi necessariam, consequerentur.

Probatur V. *Ex unanimi sententia omnium scholasticorum,* quorum scripta habemus, per quinque integra sæcula. Præcipuorum sententias, refert Perrone, op. cit., incipiendo ab Hugone a S. Victore, qui obiit anno 1140. Ne unus quidem noscitur contrariam sententiam docuisse et scriptis edidisse, ante Melchiorem Canum, qui suum edidit opus, *De locis theologicis,* anno 1562. Hic equidem aliquos antiquiores ad suam sententiam pertrahere conatur, sed frustra, ut plures auctores probarunt ; solus Guilielmus Parisiensis ambigue locutus est, sed probabilius a cæteris non dissentit. Prob. V ex unanimi sententia scholasticorum per quinque sæcula.

Unum hic allegamus S. Thomam, qui, *In 4 Sent.*, dist. 26, quæst. 2, art. 1, ad 1, et Supplem. quæst. 42, art. 1, ad 1, ait : *Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur sunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale.*

Porro hæc unanimis doctorum sententia clare innuit, quis circa hanc rem fuerit Ecclesiæ sensus, et illa ætate et ante ipsos ; si enim contraria sententia antea viguisset, non potuisset penitus et tamdiu obliterari.

Probatur VI. *Ex natura Sacramenti Matrimonii,* quod non est aliquid contractui accessorium et superadditum, sed est ipse contractus ad dignitatem Sacramenti a Christo elevatus, ut præc. N. ostendimus : nisi autem ipsi sponsi contrahendo Sacramentum perficerent, stricte contractus non esset Sacramentum, sed pars tantum Sacramenti, adeoque non proprie diceretur a Christo ad dignitatem Sacramenti elevatus. Prob. VI, ex natura hujus Sacramenti.

Probatur VII. Huic sententiæ tandem magnum pondus accedit *ex doctrina Summorum Pontificum :* Benedicti XIV in Brevi Paucis abhinc, ad Episcopum Goanum, ubi dicit, quod hujus Sacramenti *materia sit mutua corporum traditio, verbis ac nutibus assensum exprimentibus, et mutua acceptatio forma ;* tum Pii IX, in Brevi ad Regem Sardiniæ, ubi affirmat, doctrinam Ecclesiæ Catholicæ esse, *Sacramentum de ipsa Matrimonii essentia esse, ita ut unio conjugalis inter Christianos non sit legitima, nisi in Matrimonio Sacramento, extra quod,* inquit, *merus concubinatus tantum invenitur.* Prob. VII, ex doctrina Pontificum Benedicti XIV et Pii IX.

His argumentis tamen contrariæ sententiæ patroni argumenta sua opponunt.

Objectiones.

Objicitur 1°. Ex Scriptura sacra. S. Paulus, I Cor. IV,1, sacerdotes exhibet ut *dispensatores mysteriorum Dei*, id est, Sacramentorum; ergo et Sacramenti Matrimonii sunt dispensatores, seu ministri.

R. Neg. conseq. Recte enim dicuntur sacerdotes dispensatores et ministri Sacramentorum, etsi detur aliqua exceptio quoad Matrimonium, cujus equidem ministri sunt quoad solemnitatem. Exceptio autem illa satis constat ex Traditione, ut probant argumenta allata, sicut ex Traditione constat, Baptismum valide per laicum conferri.

Observandum etiam cum plerisque interpretibus, citato loco Apostoli, non præcise agi de Sacramentis Ecclesiæ, sed generatim de mysteriis fidei, quorum dispensatores dicuntur Apostoli eorumque successores, per prædicationem etc.

Obj. 2°. Ex Patribus. Benedictioni sacerdotali Patres adscribunt effectum gratiæ; ut cum dicunt, *benedictione jugum imponi*, conjugium *obsignari, sanctificari;* pro *ipsius benedictionis reverentia* virginitatem servandam prima nocte, etc. Ergo illa est essentialis Sacramento, et sacerdos vere est minister Sacramenti.

R. Dist. antec. Adscribunt benedictioni sacerdotis gratiam accidentalem, conc.; essentialem et sacramentalem, subdist.: dum per benedictionem designant totum ritum Sacramenti integraliter sumptum, conc.; secus neg. Nec mirandum, quod per ritum accidentalem, sed qui magis afficit sensus, et rei sanctitatem manifestius declarat, Sacramentum denotetur; sic Sacramentum Pœnitentiæ olim sæpe designabatur per impositionem manuum, qui ritus tamen Pœnitentiæ accidentalis est. Confirmatur hæc interpretatio ex eo quod eadem ratione loquantur Patres de benedictione, et de aliis cæremoniis certe accidentalibus, ut de oblatione Sacrificii, velamine capitis etc.

Obj. 3°. Ex Sacerdotali Romano, edito circa annum 1494, ubi legitur: *Sacerdos pronuntiet verba, quæ sunt forma Sacramenti cum consensu utriusque;* in aliis Rituali bus et Manualibus sacerdos *minister* vocatur; ergo.

R. Sacerdos minister Matrimonii aliquando dicitur in libris liturgicis et etiam in Synodis, quia, ut ait Benedictus XIV, *De Synodo diœcesana*, lib. 8, cap. 12, n. 2, ipse est publicus minister, cui soli Ecclesia auctoritatem

tribuit sua præsentia roborandi Matrimonii contractum, eique vires et firmitatem adjiciendi. Quoad Sacerdotale Romanum, non simpliciter dicit, verba sacerdotis esse formam Sacramenti, sed addit *cum consensu utriusque;* ergo consensus utriusque ad formam pertinet, verba autem sacerdotis ad eam pertinere possunt, quatenus consensus utriusque sunt signum, fere ut in Matrimonio per procuratores verba procuratorum sunt signa mutui consensus partium.

Obj. 4°. Ex Concilio Florentino. Docet hoc Concilium, Sacramenta perfici *verbis tanquam forma;* atqui consensus contrahentium non per verba tantum exprimi potest, sed etiam per nutus, aut alia signa; ergo formam Sacramenti non constituunt, nec adeo contrahentes sunt ministri.

R. In reliquis Sacramentis necessario requiruntur verba pro forma, in Matrimonio etiam *regulariter* mutuus consensus per verba de præsenti exprimitur, ut habet ipsum Concilium supra a nobis allegatum; adeoque dicere potuit, quod Sacramenta perficiuntur *verbis tanquam forma,* etsi in Matrimonio verba per alia signa suppleri possint. Cæterum Concilium Florentinum aperte tradit, Matrimonii causam efficientem esse mutuum consensum, ut supra vidimus.

Hic vero notandum, quod cum peculiare sit Matrimonio, quod consistat in ratione contractus, inde in pluribus differat a cæteris Sacramentis: ut, quod verba non sint absolute necessaria pro forma, siquidem contractus etiam per alia signa concluduntur inter homines; item, quod non requirat ministrum aliquem sacrum; quod minister Sacramenti non sit distinctus a suscipiente, etc. Quorum omnium ratio est, quod Christus Dominus ipsum contractum naturalem ad dignitatem Sacramenti elevaverit. Unde immerito hinc arguunt contra doctrinam de contrahentibus hujus Sacramenti ministris.

Nota. Licet contrahentes dicantur ministri, non est tamen necesse eos de hoc instruere: eo ipso autem quod volunt contrahere juxta institutionem Dei et prout fit in Ecclesia, intentionem habent faciendi quod facit Ecclesia, seu quod Christus instituit.

N. 28. De materia, forma et cæremoniis Sacramenti Matrimonii.

Quænam est materia et quæ forma hujus Sacramenti?

Sacramenti materia remota,

R. 1°. Materia remota, seu circa quam, sunt corpora contrahentium, vel dominium in corpora, in ordine ad usum conjugalem : id ipsum scilicet, quod est objectum contractus.

materia proxima, forma.

2°. Quoad materiam proximam et formam, variant sententiæ, sicut variant circa ministrum.

In sententia quæ contrahentes statuit Sacramenti ministros, communius docent, quod materia proxima, sive ex qua, sint verba seu alia signa consensum exprimentia, quatenus significant traditionem juris in mutua corpora ; forma vero, eadem verba seu signa, quatenus mutuam exhibent istius traditionis acceptationem. Cfr. Benedictum XIV, *De Synodo*, lib. 8, cap. 13, n. 2.

In sententia quæ sacerdotem ponit hujus Sacramenti ministrum, materia proxima est contractus matrimonialis, quatenus scilicet importat dictam traditionem et acceptationem ; forma sunt verba sacerdotis benedicentis. Non omnino conveniunt in determinando quæ benedictio, seu quæ verba ad formam essentialem pertineant ; communius vero assignant verba : *Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris* etc., aut his similia seu æquivalentia, juxta locorum consuetudinem.

Pro praxi bene concludit Carrière, *De Matrimonio*, n. 116 : « In variis casibus, qui quamdam habent con- » nexionem cum præsenti quæstione, semper standum » disciplinæ in Ecclesia receptæ, si qua sit conspicua : » nec enim tutum, nec viro prudente dignum esset, velle » sapere ultra quam sapiat Ecclesia. Si vero nihil Eccle- » sia statuerit, sequendum videtur, quod est tutius, ubi » præsertim periclitari potest valor Sacramenti. »

Hic adverte, quod juxta falsum neotericorum commentum, N. 26 excussum et reprobatum, totam nimirum rationem Sacramenti in sacerdotis benedictione reponens, consensus contrahentium neque ad formam neque ad

materiam Sacramenti proprie pertineret : quod quantum abhorreat ab Ecclesiæ doctrina, ex relatis supra theologorum sententiis liquet.

Quinam ritus in celebratione Matrimonii servandi sunt?

R. Juxta Rituale Romanum, *Parochus in ecclesia superpelliceo et alba stola indutus, adhibito uno saltem clerico superpelliceo pariter induto, qui librum et vas aquæ benedictæ cum aspersorio deferat, coram tribus aut duobus testibus, virum et mulierem, quos parentum vel propinquorum suorum præsentia cohonestari decet, de consensu in Matrimonium interroget utrumque singillatim vulgari sermone... Mutuo contrahentium consensu intellecto, sacerdos jubeat eos invicem jungere dexteras dicens : Ego conjungo vos in Matrimonium, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Additur : *vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum.* Cæremoniæ juxta Rituale Romanum,

Dein sacerdos conjuges aspergit aqua benedicta, et benedicit annulum, quem tradit sponso, qui eum imponit digito annulari sinistræ manus sponsæ, sacerdote dicente : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

Subjungit sacerdos aliquos versus cum responsoriis, et orationem.

His expletis, ait Rituale, *si benedicendæ sint nuptiæ, parochus Missam pro sponso et sponsa, ut in Missali Romano, celebret, servatis omnibus quæ ibi præscribuntur.*

Hic nota, sub nomine *benedictionis nuptialis* in, sacra liturgia non proprie venire ritus, de quibus supra, sed illas orationes, quas deinceps vel ante Missam, vel sub Missæ Sacrificio, juxta Ritum Romanum, post *Pater noster* et post *Benedicamus Domino*, seu *Ite missa est*, super sponsos recitat sacerdos.

In fine notat Rituale : *Si quæ provinciæ aliis, ultra prædictas, laudabilibus consuetudinibus et cæremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utantur, ea sancta Tridentina Synodus optat retineri.*

Jam vero Pastorale Mechliniense, ultra prædictos ritus, nonnulla præscribit hic notanda. juxta Pastorale Mechliniense.

Imprimis, ut sacerdos initio sponsos aqua benedicta aspergat cum precatiuncula correspondente ; deinde expetitis eorum nominibus et cognominibus, inquirat ab

unoquoque, an libera voluntate et a nemine coacti venerint ad Matrimonium simul contrahendum.

Post hæc, invocato Numine, conjunctis amborum dextris et stola involutis cum signo crucis, explicat eis quanta sit hujus vinculi obligatio. His peractis, primo sponsus, dein sponsa, vulgari idiomate verba mutui consensus pronuntiant, præeunte sacerdote, nimirum : *Ego N... do tibi N.., quam* (vel *quem*) *hic manu teneo, fidem meam conjugalem, et accipio te in meam legitimam uxorem* (vel *in meum legitimum maritum*) *coram Deo et sancta ejus Ecclesia.* Tunc ipse sacerdos formulam pronuntiat : *Ego vos conjungo* etc., quæ modo ex Rituali Romano allata fuit, sed Pastorale addit verba : *tanquam Dei minister.*

Revoluta stola de manibus eorum, sacerdos benedicit annulum, et ipse illum inserit digito dexteræ manus sponsæ annulari, aut alii secundum morem loci, recitando preces in Pastorali indicatas.

Peractis sic quæ ad Matrimonii celebrationem pertinent, si nuptiæ sint benedicendæ, *sponsus decenter ad altare procedet, quo sponsa contingens fimbriam stolæ pastoris sequetur,* ibique flexis genibus benedictionem suscipiunt sub ea forma quæ in Pastorali habetur. Convenit autem ut, his peractis, novi conjuges audiant Missam, quæ tunc celebratur secundum ritum Missalis Romani, ut supra, et in qua proinde benedictionem sacerdotalem iterum suscipiunt sub forma ibi præscripta.

Quænam nuptiæ benedicendæ.

Quoad benedictionem nuptialem impertiendam, alicubi viget consuetudo, ut secundæ nuptiæ nunquam benedicantur, sive secundæ sint ex parte viri, sive ex parte mulieris, ut observat Rituale. In nostra vero Diœcesi tantum illæ non benedicuntur, quæ sunt secundæ ex parte fœminæ, si hæc jam benedictionem in primis susceperit. In eo autem casu permittit Pastorale, ut super iisdem recitetur post Missam specialis quædam benedictio, quam tradit.

Quis est sensus verborum : Ego vos in Matrimonium conjungo etc. ?

Quis sit sensus formæ.

R. Juxta eos qui putant contrahentes esse ministros, sensus est : *Ego Matrimonium vestrum, auctoritate Ecclesiæ, ratum habeo et confirmo, seu approbo.*

Secundum eos qui tenent, sacerdotem esse hujus Sacramenti ministrum, et dicta verba esse illius formam, sensus est : *Ego vos supernaturaliter conjungo per gratiam Sacramenti.*

In quo loco Matrimonium celebrari debet?

Ubi celebrandum Matrimonium.

R. Rituale Romanum dicit : *Matrimonium in ecclesia maxime celebrari decet.* Pastorale autem Mechliniense sub pœna suspensionis ferendæ sententiæ id præcipit : *Laudabilis est hujus Diœcesis consuetudo, quod Matrimonia in ecclesia, quæ Sacramentorum proprius locus est, contrahantur; quare cum sacrum Concilium Tridentinum ejusmodi consuetudines retineri vehementer optet, prohibitum est, sub pœna suspensionis a divinis, ne quis, extra urgentem necessitatem, absque speciali licentia ei contravenire audeat.*

Sub nomine ecclesiæ comprehenduntur sacristia et sacella lateralia.

Si autem domi celebratum fuerit, ait Rituale Romanum, *sponsi veniant ad ecclesiam benedictionem accepturi, et tunc caveat sacerdos, ne iterum a contrahentibus consensum exigat, sed tantum benedictionem illis conferat, celebrata Missa ;* ut in Missali scilicet habetur.

De descriptione Matrimonii in registro Matrimoniorum, vide Decretum Cardinalis Sterckx supra cit., § XVII.

N. 29. De dispositionibus requisitis ad valide et fructuose suscipiendum Matrimonii Sacramentum.

Quænam requiruntur ad Sacramentum Matrimonii suscipiendum?

Requisita ad validam,

R. 1°. Ad illud valide suscipiendum, requiritur Baptismus, intentio, et habilitas ad simul contrahendum Matrimonium.

et fructuosam Sacramenti susceptionem.

2°. Ad illud licite et fructuose suscipiendum requiritur status gratiæ, et observatio eorum quæ ab Ecclesia præscripta sunt, quoad locum, tempus, Sponsalia, proclamationem bannorum etc., signanter vero confessio sacramentalis, saltem triduo ante Matrimonium instituta, uti dictum est N. 22.

An parochus quandoque ad Matrimonium admittere possit peccatorem, seu illum quem novit esse in statu peccati mortalis?

Quando indignus admitti possit.

R. Affirmative, scilicet : 1°. si ex sola confessione sacramentali sciat aliquem esse indignum. Tunc quidem in confessione eum vehementer a sacrilegio deterrere debet, sed si nihilominus ille ad Matrimonium se præsentet, eum admittere oportet, juxta regulas traditas N. 114, *De Sacramento Pœnitentiæ*.

2°. Si parochus extra confessionem noscat aliquem esse indignum, et defectus sit occultus, ipsum privatim monebit, et a Matrimonio impedire conabitur. Si equidem publice se præsentet ad Matrimonium incundum, admitti debet, sicut ei publice petenti Eucharistia daretur, nisi ob aliam causam, v. g. ignorantiam mysteriorum fidei, impedimentum etc., repellendus sit. Cfr. N. 43, *De Sacramentis in genere*. Quis habendus sit peccator occultus, quis publicus, vide N. 40 et 41, *De Eucharistia*.

3°. Si peccator publicus sit, ipse etiam privatim monendus est; si equidem indispositus se præsentet, parochus *per se*, et generaliter loquendo, non potest eum ad Matrimonium admittere. Etsi enim hujus Sacramenti non sit minister, sed tantum testis qualificatus, non licet ei sic cooperari sacrilegio alterius ; cooperari autem censetur assistendo, nisi ob justas rationes præsentiam exhibere possit, et se habere permissive ad sacrilegium quod committitur.

Dictum est *per se*, quia *per accidens*, et per modum exceptionis, parochus talem admittere potest, quando justæ rationes adsunt, propter quas permissive se habere possit ad peccatum alterius: ut si bonum tertii, v. g. prolis natæ, bonum publicum, pax familiæ, bonum ipsorum contrahentium, peccata impedienda, aut scandala vitanda requirant, ut duo Matrimonio jungantur. Ita ex justis rationibus dispensare solet Ecclesia in Matrimonio mixto partis catholicæ cum hæretica ; tunc certe præsentiam suam exhibere potest parochus.

Non raro sufficiens ratio assistendi Matrimonio indigni est proles nata legitimanda, periculum partis bene dispositæ, scandalum illicitæ cohabitationis, seu matrimonii mere civilis, præveniendum aut tollendum. In singulis

vero casibus perpendendum est, an malum quod ex præsentiæ denegatione sequeretur, prævaleat malo quod ex ejusdem concessione timetur. Cfr. Card. Gousset, *Théologie morale,* tom. 2, n. 755, et Bouvier, tract. *De Matrimonio,* cap. 1, art. 2, § 2. Monent tamen apposite, ut, si res moram patiatur, prius Ordinarius consulatur. Hoc ipsum mandatur in Decreto Episcoporum Belgii, 23 April. 1697.

An parochus assistens Matrimonio indigni potest proferre verba : Ego vos conjungo etc., aut sponsos benedicere?

An tunc benedictio sit impertienda.

R. 1°. Quoad Matrimonia mixta, negative. De iis sic loquitur Benedictus XIV, *De Synodo,* lib. 6, cap. 5, n. 5 : « Putant aliqui et fidenter docent, hujusmodi Matrimonia » a sacerdote benedicenda esse. Ita censet Theophilus » Raynaudus in libro, cui titulus *Heteroclita spiritualia,* » etc. Sed rectius judicat Pontius, *De Sacramento Matri-* » *monii,* in Appendice etc., admonens hujusmodi Matri- » moniis sacerdotalem benedictionem impendendam non » esse, neque Missam in præsentia hæretici celebrari de- » bere, nec Matrimonium ipsum intra ecclesiæ ambitum » contrahi ; quoniam nihil horum ad illius validitatem » intervenire necesse est. »

Imo Sancta Sedes, quotiescumque ejusmodi Matrimonia permittit, adjicere solet hanc clausulam : *Matrimonium vero celebretur coram parocho et duobus testibus, juxta præscripta a S. Concilio Tridentino, extra tamen ecclesiam et absque parochi benedictione.*

Juxta consuetudinem hic et alibi vigentem, sub nomine ecclesiæ etiam venit sacristia, etsi in aliis locis, ut Parisiis, in sacristia celebrari possint, imo alicubi toleretur ut etiam in ecclesia celebrentur et benedicantur. Apud nos celebrari solent in domo pastorali, aut alio decente, sed profano loco.

Sub nomine autem benedictionis, quæ tali Matrimonio deneganda est, non tantum venit solemnis benedictio, quæ secundis etiam nuptiis denegatur, sed illa quoque quæ in contrahendo Matrimonio impertiri solet : ita ut parochus in Matrimoniis mixtis, omisso omni ritu sacro, sine superpelliceo aut stola, nudam præsentiam *passivam,* ut vocant, tanquam testis exhibere debeat, nullaque verba pronuntiare. Ita tenendum esse, contra Binterim

late defendit eximius D. Feije, in dissertatione *De Matrimoniis mixtis*. Cfr. Carrière, *De Matrimonio*, n. 763.

2°. Quoad Matrimonia catholicorum inter se, dicendum videtur, quod, quoties justa adest ratio assistendi Matrimonio indigni, parochus totum ritum Pastoralis seu Ritualis sui observare debeat, solemnem etiam benedictionem impertiendo, si aliunde nihil obstet. Nisi tamen aliquando Episcopus, ad minuendum scandalum hujus profanationis, vel ex aliis justis causis, mere passivam parochi præsentiam exhibendam decerneret.

N. 30. De effectibus Matrimonii.

Quinam sunt effectus Matrimonii ?

Effectus contractus,

R. I. Effectus Matrimonii, prout est contractus, sunt sequentes : 1°. vinculum indissolubile ; 2°. potestas in mutua corpora, in ordine ad copulam conjugalem ; ex qua potestate sequitur jus petendi et obligatio reddendi debitum conjugale ; 3°. obligatio mutua fidelitatis ; 4°. obligatio prolem susceptam debite educandi ; 5°. obligatio cohabitandi et se invicem adjuvandi : de quibus N. 40 et sequentibus, ubi de bonis Matrimonii, erit dicendum.

Cum isti effectus ex Matrimonio, quatenus contractus est, proveniant, etiam Matrimoniis infidelium conveniunt.

et Sacramenti Matrimonii ;

II. Effectus Matrimonii, prout est Sacramentum, sunt : 1°. Augmentum gratiæ sanctificantis, seu gratia sanctificans per se secunda, cum sit Sacramentum vivorum ; per accidens vero probabilius confert gratiam primam ; prout traditur in tract. *De Sacramentis in genere*, N. 21.

Proprium habet hæc gratia, quod sit *unitiva* animorum et *refrænativa* concupiscentiæ carnis, conjuges inclinans, ut sese sancte et caste diligant, sicut Christus dilexit Ecclesiam.

2°. Sunt gratiæ sacramentales seu actuales, opportuno tempore dandæ, ad amorem conjugum perficiendum, ad libidinem refrænandam, ad mutuas infirmitates supportandas, ad religiose prolem educandam, ad mutuam fidelitatem servandam etc.

5°. Est augmentum virtutum theologicarum et moralium, præcipue charitatis, religionis, fidelitatis et patientiæ.

Quam opportuna seu necessaria conjugibus sint dona illa spiritualia, ex eo patet, quod statui matrimoniali specialia annexa sint incommoda ac onera, et plura quam cælibatui. Ideo Salvator mundi, volens providere saluti conjugum, dignitatem et effectus Sacramenti Matrimonio benigne attribuit, ut hac ope muneri suo facilius satisfacerent. Hujus gratiæ conjugibus valde necessariæ.

Quod autem conjuges effectus illos frequenter non obtineant, ex eo provenit, quod vel indigne Sacramentum suscipiant, vel si digne susceperint, per peccatum mortale gratia excidant, et sic jus ad gratias sacramentales amittant. Quare fidelibus diligenter inculcandum est, ut cum legitima dispositione hoc Sacramentum suscipiant, et gratiam acceptam caute custodiant, ne magno cum salutis periculo tam necessariis auxiliis se privent. Qui autem sine debitis dispositionibus istud receperunt, monendi sunt, ut pœnitentia, orationibus ac bonis operibus damnum resarcire studeant.

N. 31. An Matrimonium potest esse validum in ratione contractus, non in ratione Sacramenti; et an potest claudicare.

Prænotandum, quæstionem non esse de infidelibus, seu non baptizatis: illi enim, defectu Baptismi, incapaces sunt aliorum Sacramentorum; adeoque si Matrimonium contrahant, in ratione contractus validum esse potest, quin sit Sacramentum. Sed quæritur:

An Matrimonium, quod contrahunt duo baptizati, potest esse validum in ratione contractus, et non in ratione Sacramenti; seu: *an in Matrimonio fidelium contractus subsistere potest, quin sit Sacramentum?*

R. Melchior Canus, et qui cum ipso sustinuerunt, sacerdotem in Matrimonio esse ministrum Sacramenti, consequenter docuerunt, contractum subsistere sine Sacramento, quotiescumque duo fideles valide Matrimonium ineunt, quin sacerdos formam pronuntiet: quod contingit In Matrimonio fidelium contractus subsistere non potest

sine Sacramento,

in Matrimoniis mixtis, ut supra vidimus ; item dum duo furtim coram parocho invito contrahunt, aut dum clandestine contrahunt in locis, aut in casibus, in quibus clandestinus contractus est validus.

Ex iis etiam qui tenent, contrahentes esse ministros, multi cum Salmanticensibus, Billuart etc. sustinuerunt, contractum sine Sacramento subsistere posse, si duo fideles velint quidem contrahere, nullatenus autem Sacramentum suscipere aut conferre.

Plerique vero ex iis qui tenent, contrahentes esse ministros, simul docent, nunquam contractum inter fideles a Sacramento separari posse. Ita Sanchez, P. Antoine, Kugler, P. Perrone.

quod evincitur ex recentioribus S. Sedis declarationibus.

Hæc tertia sententia, quæ semper communior fuit, recentioribus Sanctæ Sedis declarationibus egregie confirmatur. Supra, N. 26, relata fuerunt verba Summi Pontificis Pii IX ad regem Sardiniæ, quibus decernit, *Sacramentum.... de ipsa Matrimonii essentia esse, ita ut unio conjugalis inter Christianos non sit legitima, nisi in Matrimonio Sacramento, extra quod merus concubinatus tantum invenitur.* Idem Pontifex, in Allocutione 27 Septemb. 1852, super negotiis ecclesiasticis Reipublicæ Neogranatensis, sequentia verba pronuntiavit : *Cum nemo ex Catholicis ignoret aut ignorare possit, Matrimonium esse vere et proprie unum ex septem Evangelicæ legis Sacramentis, a Christo Domino institutum ; ac propterea inter fideles Matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter Christianos viri et mulieris, præter Sacramentum, conjunctionem, cujuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse, nisi turpem atque exitialem concubinatum, ab Ecclesia tantopere damnatum ; ac proinde a conjugali fœdere Sacramentum separari nunquam posse ; et omnino spectare ad Ecclesiæ potestatem ea omnia decernere, quæ ad idem Matrimonium quovis modo possunt pertinere.* Tandem, ejusdem Pontificis jussu, Syllabo 8 Decemb. 1864 inserta fuit inter propositiones ab ipso notatas hæc LXXIII : *Vi contractus mere civilis potest inter Christianos constare veri nominis Matrimonium ; falsumque est, aut contractum Matrimonii inter Christianos semper esse Sacramentum, aut nullum esse conrtactum, si Sacramentum excludatur.*

Hinc provide cl. Carrière, qui in majori opere *De Matrimonio,* sententiam separabilitati faventem probabiliorem judicaverat, in Compendio anni 1857, n. 51, jam contrariæ standum censet : quam merito magis consentaneam dicit loquendi modo Traditionis, et melius recedere ab errore neotericorum, qui, nimirum, Sacramentum habent ut quid mere accessorium ad contractum, de quibus N. 26 dictum est.

Recte igitur observat idem auctor :« Si qui vellent inire » Matrimonium et non Sacramentum, expendenda esset » voluntas eorum prædominans : si ferretur in contra- » ctum, implicite includeret quidquid ab eo est insepara- » bile, ac proinde Sacramentum ; si contra voluntate » prædominanti vellent excludere Sacramentum, ne con- » tractum quidem efficerent, cum illum non vellent nisi » sub conditione impossibili. » Quid si volens contrahere, nollet Sacramentum.

An Matrimonium potest claudicare, sive ab una solum parte subsistere ?

R. 1°. Certum est, quod in ratione contractus non possit claudicare ; quia de essentia contractus matrimonialis est, quod inducat vinculum indissolubile duos invicem obligans, seu obligationem reciprocam. Matrimonium non claudicat in ratione contractus ;

2°. Quod Sacramentum attinet, non convenit inter auctores, an Matrimonium, in ratione contractus validum, possit claudicare in ratione Sacramenti, sive ex una tantum parte esse Sacramentum, v. g. ubi fidelis ex dispensatione contrahit cum infideli. an in ratione Sacramenti, incertum est.

Affirmant Salmanticenses, Daelman, Collet etc., eo quod, supposito valido contractu, possint respectu unius partis adesse omnia essentialia Sacramenti, licet non adsint respectu alterius, ut contingit in casu allegato.

Negant Sanchez, Pontius, Steyaert, Billuart etc., quia, aiunt, ambo contrahentes hic se habent per modum unius subjecti ejusdem Sacramenti ; non enim Matrimonium in duobus contrahentibus duplex, sed unicum est Sacramentum : unde dum una pars non suscipit Sacramentum, neque illud suscipit altera pars defectu capacitatis.

Cum res pendeat a Dei institutione, quæ nec ex Scriptura, nec ex Traditione innotescit, nobis videtur plane incerta, ait Carrière.

Interim certum est, quod, licet ambæ partes fideles

Sacramentum suscipiant, una tamen sine alia possit percipere effectus Sacramenti, si nempe, una sola pars sit legitime disposita.

N. 32. *An Matrimonium validum in ratione contractus, non Sacramenti, postea fieri possit Sacramentum.*

Casus est, quando duo conjuges infideles amplectuntur fidem catholicam, et baptizantur. Itaque quæritur:

An Matrimonium ita validum tantum in ratione contractus, postea fieri potest Sacramentum?

An contractus non Sacramentum, postea fieri possit Sacramentum, incertum est.

R. Res incerta est.

Vasquez, Pontius, Salmanticenses, Tournely, Billuart, P. Pauwels etc. negant. Etenim Matrimonium hujusmodi fieret Sacramentum, vel per contractum jam initum, vel per illius renovationem; atqui neutrum esse potest.

Non prius: quia de essentia hujus Sacramenti est contractus actualis, qui supponitur transiisse et habuisse suum effectum, ita ut nequidem virtualiter perduret in ratione actus, sed solummodo in effectu, seu vinculo.

Nec per renovationem consensus potest constare Sacramentum: quia ille solum consensus est Sacramenti materia, per quem efficitur verus contractus; atqui hic non efficitur: res enim semel donata, et sub alterius inabdicabile dominium translata, non potest de novo donari, cum non remaneat sub potestate donatoris. Unde consensus renovatus non est novus contractus, sed tantum præteriti ratihabitio.

Communior vero sententia, ut asserit Benedictus XIV, *De Synodo*, lib. 8, cap. 13, n. 8, tenet, fieri posse Sacramentum. Sed non omnes eodem modo explicant. Juxta S. Thomam, *Comment. in 4 Sent.*, dist. 39, quæst. 1, art. 2, Sanchez aliosque, Matrimonium in infidelitate contractum transit in Sacramentum per ipsum Baptismum, quem dum debite suscipiunt, virtualiter et implicite consentiunt in præcedens Matrimonium, et volunt posthac, non amplius ut infideles, sed more christiano esse veri conjuges.

Juxta Bellarminum, Wirceburgenses aliosque, fiet Sacramentum, si renovetur consensus cum intentione recipiendi Sacramentum; et in sententia quæ tenet sacerdotem esse ministrum, si insuper ab eo conferatur benedictio.

Ad rationem contrariæ sententiæ, respondent hi auctores, quod licet non ponatur novus contractus simpliciter, ponitur tamen contractus moraliter distinctus a contractu in infidelitate inito : nam datur consensus in contractum novo titulo et modo firmiore indissolubilem ratione Sacramenti; insuper perfectius repræsentatur unio Christi cum Ecclesia.

Quid pro praxi.

Pro praxi, quando duo conjuges infideles ad fidem conversi baptizantur, parochus prudenter, consulto et annuente Episcopo, neoconversis suadebit, ut consensum coram se renovent et benedictionem nuptialem suscipiant : ita enim salutares effectus hujus benedictionis consequentur, et forte etiam Sacramentum suscipient.

Similiter quando conjuges hæretici convertuntur ad fidem, sive certum sit eorum Matrimonium in ratione contractus et dubium in ratione Sacramenti, uti accidit quando dubium est an valide baptizati fuerint, sive forte de utroque dubitetur, nihil attentet parochus, inconsulto Episcopo.

N. 33. De Matrimonio inter absentes per procuratores, et an sit Sacramentum.

Matrimonium inter absentes quod permittitur magnatibus, certe valet ut contractus,

Prænotandum 1°. Permitti solet hujusmodi Matrimonium inter magnates, cum consensu et dispensatione Ecclesiæ : parochus autem propria auctoritate illud admittere non potest.

Prænotandum 2°. Certum est, quod tale Matrimonium valeat in ratione contractus, si conditiones requisitæ adsint. Omnis enim contractus humanus ex natura sua per procuratores iniri potest; Matrimonium vero neque ex propria natura sua, neque ex ordinatione Christi aut Ecclesiæ, excipitur.

servatis

Ut autem valeat, sequentes conditiones servandæ sunt, ex cap. finali, *De procuratoribus* in 6. lib. 1 :

conditionibus requisitis;

1°. Ut procurator habeat commissionem specialem ad contrahendum cum certa persona.

2°. Ut commissionem per seipsum exequatur; ita ut non possit alium deputare, nisi hanc facultatem specialiter obtinuerit.

3°. Ut commissio non sit revocata, antequam procurator contraxerit : unde si revocata fuerit, non subsistit Matrimonium, licet revocatio procuratori non innotuerit, aut mere mentalis sit, et non obstante juramento de non revocando.

Si tamen mandans sive principalis, postquam revocavit commissionem, iterum ratificet antequam contrahatur Matrimonium, hoc validum erit, ut notant Wiggers et Daelman.

Valet autem Matrimonium, licet tempore contractus de eo principalis non cogitet, v. g. si tunc dormiat : si lapsus esset in amentiam, foret ~~dubium~~ *invalidum*.

4°. Ulterius post Concilium Tridentinum requiritur, ut procuratores contrahant coram parocho et testibus, eisque mandatum suum ostendant, si vel locus ubi contrahitur, vel contrahentes principales subjiciantur legi Tridentinæ. Non requiritur tamen, ut commissio procuratori detur coram parocho et testibus; quia solemnitates illas tantum exigit Tridentinum, dum Matrimonium de facto contrahitur.

De istis conditionibus latius agunt canonistæ, tum Sanchez, Billuart etc.

His præmissis, petitur :

An Matrimonium inter absentes, per procuratores contractum, habeat rationem Sacramenti?

valet etiam ut Sacramentum.

R. Quandoquidem tale Matrimonium, ut modo dictum fuit, valet in ratione contractus, et inter fideles non datur contractus validus, quin sit Sacramentum, ut N. 31 ostensum est, affirmari debet, Matrimonium inter Christianos per procuratores initum, esse Sacramentum.

Deinde in tali Matrimonio adsunt omnia essentialia ad Sacramentum requisita : nempe materia et forma, uti patet ex dictis N. 28 : adsunt quoque testes et debita intentio in ministro.

Præterea si Matrimonium per procuratores initum, non esset Sacramentum, Ecclesia non permitteret magnatibus

sic contrahere, ne forte privarentur gratiis Sacramenti adeo necessariis.

Oppositam sententiam propugnarunt Cajetanus, Melch. Canus, Sylvius, Van Roy et alii; eamque probare conati sunt ex eo, quod cætera Sacramenta non possint ab absentibus suscipi, et quia sequeretur, quod quis dormiens reciperet gratiam.

Sed his argumentis respondetur, id speciale esse Sacramento Matrimonii, quod possit ab absentibus suscipi, quandoquidem fundatur in contractu, cujus adeo naturam sequitur; contractus autem tam inter absentes, quam inter præsentes, fieri potest. Neque absurdum videri debet, quod quis dormiens recipiat gratiam hujus Sacramenti, cum non implicet, quod quis dormiens, aut amens recipiat gratiam Baptismi.

Attamen in praxi observatur, ut conjuncti Matrimonio per procuratores, vel iterum ipsimet coram parocho et testibus Matrimonio jungantur, vel saltem, quod ipsis absentibus actum est, præsentes se ratum habere coram Ecclesia declarent. Quid pro praxi.

Notandum insuper, quod principales debent esse in statu gratiæ, eo momento quo procuratores contrahunt; hi autem cum ipsi Sacramentum non suscipiant, catenus in statu gratiæ esse non debent.

Observant quoque auctores, perinde esse ad valorem, sive procuratores sint ejusdem, sive diversi sexus, liberi aut conjugati, etc.

Utrum Matrimonium contractum per litteras inter absentes, sit Sacramentum, eadem fere est difficultas. Quomodo autem per litteras contrahi possit, servata forma Tridentini, vide apud Sylvium, quæst. 42, art. 1, quær. 5, concl. 1.

N. 34. De consensu matrimoniali.

S. Thom., Supplem. quæst. 45 et seq.

Ad Matrimonii valorem omnino necessarius et essentialis est utriusque partis consensus, cum sit causa efficiens Consensus matrimonialis

debet esse : Matrimonii, ut dicit Concilium Florentinum et liquet ex dictis N. 23. De eo hic specialiter inquiritur :

Qualis consensus requiritur ad Matrimonium valide contrahendum ?

R. Requiritur consensus contrahentium proprius seu personalis, mutuus, internus simul et externus, liber, legitimus, absolutus et simultaneus.

proprius, 1°. Requiritur consensus *proprius*, seu personalis, propter rationem (modo) allegatam, N. 2, pro consensu sponsalitio; quia, nimirum, solæ personæ contrahentes habent dominium et dispositionem sui ipsarum, in ordine ad Matrimonium : cum enim vinculum Matrimonii sit vinculum amoris perpetuum ac indissolubile, non aliena voluntate, sed propria conjugum electione induci postulat.

Hinc neque parentes, neque respublica, neque Summus Pontifex consensum hunc supplere valent ; quamvis id aliquando possint in aliis contractibus de rebus temporalibus. Solus Deus, cum habeat dominium absolutissimum in corpora et animas hominum, consensum supplere potest, seu vinculum matrimoniale inter duas personas inducere sine earum consensu. An Deus hoc aliquando effecerit, sive in conjugio Adami cum Eva, sive Oseæ cum fornicaria, incertum est.

mutuus, 2°. Consensus debet esse *mutuus* seu *reciprocus* : omnis enim contractus, adeoque et Matrimonium, est consensus duorum in idem. In Matrimonio autem debet utrimque esse consensus in traditionem et acceptationem, cum sit contractus maxime onerosus. Unde defectus consensus in alterutro reddit Matrimonium nullum.

internus 3°. Consensus debet esse *internus* ; ita ut non sufficiant sola verba aut alia signa seria consensus, quæ, juxta aliquos, sufficiunt in aliis contractibus. Ratio est quod, sicut Matrimonium, ob vinculum amoris perpetuum et indissolubile quod inducit, non nisi propria contrahentium voluntate iniri potest, ita non nisi vero consensu voluntatis in ipsum Matrimonium contrahitur; consensus autem voluntatis necessario internus est.

Equidem, ut observant theologi, non est facile credendum asserenti, consensum internum sibi defuisse; cum enim eo ipso fateatur, se coram Ecclesia mentitum fuisse, merito supponi potest, ipsum nunc mentiri. Nec facilius

creditur, ex eo quod altera pars etiam velit renuntiare Matrimonio, cum e contra sit ratio suspicandi, quod inter ipsos habeatur collusio, ut libertatem obtineant, et aliud forte Matrimonium inire valeant.

Ordinarie cogi debet, qui dicit se ficte consensisse, ut defectum consensus suppleat, cum factam comparti injuriam aliter resarcire plerumque nequeat. Cfr. Sylvium quæst. 45, art. 4, quær. 1, et Billuart, *De Matrimonio*, diss. 3, art. 2.

4°. Consensus ille internus debet ab utroque contrahente *externe* manifestari : exigit enim ratio contractus, ut unius consensus alteri innotescat ; quod fieri non potest, nisi per signa quædam externe manifestetur. et externus,

Ad valorem indifferens est, sive per nutum, scriptum, verbum, aut aliud signum externe manifestetur ; hinc et surdi et muti sufficientem consensum dare possunt, si naturam et obligationes Matrimonii satis intelligant : cfr. cap. *Tuæ fraternitati, De Sponsalibus et Matrimonio*, lib. 4 Decretal. Regulariter tamen consensus per verba est exprimendus, juxta cit. cap. et Decretum Concilii Florentini ad Armenos ; imo adhibenda sunt verba in Rituali seu Pastorali præscripta.

5°. Consensus debet esse *liber* ; ita, scilicet, ut non tantum sit plene deliberatus et directe voluntarius, prout de consensu sponsalitio dictum est, sed etiam liber ab omni metu gravi, ut latius explicatur N. 69, ubi de impedimento vis. liber,

6°. Dicitur consensum debere esse *legitimum*, quia præstari debet a personis, quæ juxta legem divinam et canonicam habiles sunt ad contrahendum, et modo a lege præscripto ad valorem. legitimus,

7°. Consensus debet esse *absolutus*, ita ut Matrimonium non perficiatur, nisi per consensum de præsenti absolutum : unde si sit conditionatus, debet æquivalere absoluto aut transire in absolutum pro eo momento quo contractus perficietur. De consensu conditionato agetur numeris sequentibus. absolutus,

8°. Consensus debet esse *simultaneus*, id est, utriusque consensus debet simul dari, cum simul debeant efficere contractum. Non autem requiritur hic simultas physica, sed sufficit moralis, quæ habetur, si, quando consensus simultaneus.

unius præstatur, consensus ab altera parte antea præstitus adhuc virtualiter perseverat : censetur autem perseverare, donec explicite vel implicite revocetur, quod in praxi moraliter est considerandum, spectando intentionem contrahentium etc.

N. 35. De conditionibus consensui appositis : de præterito, de præsenti, de futuro.

Conditiones quas forte adjiciunt contrahentes,

Prænotandum. Parochus nullas conditiones in Matrimonio admittere potest, ne Matrimonium maneat incertum, conjuges periculo fornicandi, ipsumque Sacramentum periculo nullitatis exponatur. Attamen utiliter quædam de consensu conditionato traduntur, tum ut melius cognoscatur natura hujus contractus; tum quia contrahentes quandoque in mente quasdam conditiones apponunt, vel etiam exterius exprimunt, dum clandestine contrahunt.

Quomodo distinguuntur conditiones, quæ consensui matrimoniali adjici queunt ?

variæ distinguendæ.

R. 1°. In conditiones *de præterito, de præsenti* et *de futuro ;* de quibus hoc N.

2°. In conditiones *necessarias, impossibiles* et *contingentes.*

3°. In conditiones *honestas* et *turpes.*

4°. In conditiones *repugnantes substantiæ Matrimonii* et eidem *non repugnantes :* de quibus omnibus N. 36 et sequentibus.

Quid facit conditio de præterito, vel de præsenti adjecta consensui matrimoniali ?

Casus est, si quis dicat : Accipio te in conjugem, *si pater tuus sit mortuus,* aut *si sit nobilis.*

Quid faciat conditio de præterito aut de præsenti,

R. Talis conditio non suspendit valorem Matrimonii; sed hoc est illico validum, si subsistat conditio ; vel invalidum, si non subsistat. Ista adjectio reddit tamen Matrimonium incertum, quamdiu nescitur, an conditio subsistat necne.

Quid facit conditio adjecta de futuro necessario ?

de futuro necessario,

R. Conditio de futuro necessario, v. g. *Si cras sol oriatur,* de se non suspendit Matrimonium; cum enim eventus

sit necessario futurus, et jam nunc certo verus cognoscatur, conditio impleta est : unde censetur adjici, non ad suspendendum consensum, sed potius ad certitudinem illius demonstrandam.

Per accidens tamen posset Matrimonium suspendere, si nempe contrahentes eventum contingentem putent, adeoque non certo futurum cognoscant, ut potest contingere in hac conditione : *Si cras sit eclipsis ;* item si apponatur, non ut conditio, sed ut temporis præfinitio, ita ut revera velint consensum suum suspendere, v. g. usque ad ortum sequentis diei ; attendendum est enim ante omnia ad intentionem contrahentium.

Idem, quod de conditione de futuro necessario dictum est, communiter decernendum censent ob paritatem rationis de conditione, non quidem necessaria in se seu in sua causa, sed quæ tamen infallibiliter noscitur eventura, v. g. *Si Antichristus venturus sit.*

Quid facit conditio suspensiva de futuro contingenti honesto ?

R. Conditio suspensiva de futuro contingenti honesto, v. g. *Si pater tuus consensurus sit,* certo suspendit valorem Matrimonii usque ad conditionis eventum ; hæc est enim intentio contrahentium. de futuro contingenti honesto.

An autem, posita conditione, v. g. accedente patris consensu, Matrimonium statim perficiatur, sine renovatione consensus, non ita constat. An posita conditione convalescat Matrimonium.

Multi veteres negant, quos sequitur Pontius. Ratio eorum est, quod Matrimonium necessario perficiendum sit per consensum de præsenti, qualem esse negant consensum conditionatum ; unde dicunt hunc habere tantum vim Sponsalium. Et confirmant ex eo, quod consensus matrimonialis sit irrevocabilis ; pendente autem conditione, consensus conditionalis revocari possit, et Matrimonium cum tertia persona valide contrahi.

Communior vero sententia tenet, saltem in locis ubi lex Tridentini de præsentia parochi et testium non obtinet, consensum conditionatum, si antea non fuerit revocatus, impleta conditione, transire in absolutum, et efficere Matrimonium sine novo consensu, non secus ac in aliis contractibus obtinet. Ratio est, quod sic voluisse censentur contrahentes, dum in præsenti dixerunt *duco,* non

in futuro *ducam;* unde semper consensus præsens censetur, donec conditio impleatur. Nec obest quod, pendente conditione, retractari possit; quia nimirum nondum consecutus est plenum suum effectum, ex quo tantum fit irrevocabilis. Simile quid obtinet in Matrimonio per procuratorem; consensus ab una parte datus revocabilis est, donec alterius consensus accedat.

Dictum est, *saltem in locis ubi lex Tridentini de præsentia parochi et testium non obtinet;* quia Salmanticenses et multi alii censent, quod in locis ubi dicta lex obtinet, licet sponsi coram parocho et testibus conditionate contraxerint; purificata conditione, debeant iterum coram parocho et testibus consensum renovare, aut saltem illis declarare, conditionem esse impletam, perseverante suo consensu. Ratio est, quod testes alias non possent testari de Matrimonio proprie dicto, seu perfecto et indissolubili.

Probabilius tamen cæteri putant, Matrimonium sub conditione contractum coram parocho et testibus, purificata conditione, statim convalescere; quia Concilium parochi et testium præsentiam tantum requirit, quando præstatur consensus; et in casu de Matrimonio satis constat Ecclesiæ, nisi probetur impletam non fuisse conditionem, aut ante impletionem retractatum fuisse consensum. Pro hac sententia Fagnanus adfert duas decisiones S. Congregationis Concilii, approbatas a Pio V et Clemente VIII, in quibus dicitur, impleta conditione, Matrimonium esse perfectum, nec opus esse iteratione contractus coram parocho. Vide quæstionem latius discussam apud Sanchez, *De Matrimonio,* lib. 5, disp. 8; apud P. Pauwels etc.

Circa conditionem *Si pater consenserit,* plura dubia resolvit S. Alphonsus de Ligorio, n. 892. 93. 94.

Docet Fagnanus, quod si, pendente conditione de futuro, v. g. ante exploratum patris consensum, sub cujus conditione initum est Matrimonium, habita fuit inter sponsos copula carnalis, censeantur recedere a conditione, quia jus præsumit, sponsos per carnalem copulam ipso facto exprimere consensum de præsenti absolutum. Cfr. cap. *Per tuas, De conditionibus appositis,* tum cap. *De illis* et *Super eo,* eod. tit., lib. 4 Decretal.

N. 36. De conditione impossibili, aut turpi, aut repugnante substantiæ Matrimonii.

Lex canonica circa conditiones impossibiles aut turpes.

Prænotandum 1°. Circa conditiones turpes aut impossibiles, aut repugnantes substantiæ Matrimonii, adjectas contractui matrimoniali, ita decernitur in jure canonico, cap. fin., *De conditionibus appositis*, lib. 4 Decretal. : *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta, si alter dicat alteri : contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu. Licet aliæ conditiones appositæ in Matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant, propter favorem ejus, pro non adjectis haberi.*

Quæ dicantur impossibiles;

Prænotandum 2°. Conditio potest esse impossibilis vel absolute ex natura rei, vel respective tantum ad contrahentes. Prioris generis est hæc : *Si lunam manu tetigeris;* posterioris, si sponsæ pauperi proponatur hæc conditio : *Si mox dederis mille florenos.*

quæ turpes.

Prænotandum 3°. Conditio turpis hic dicitur, quæ inducit ad peccatum, v. g. *Si forniceris; Si mecum latrocinia exercere velis* etc. Unde inter conditiones turpes non reputantur istæ : *Si es meretrix; Si occidisti Joannem* etc., in quibus non agitur de peccato committendo, sed de commisso.

Conditiones turpes aut sunt simpliciter tales, aut simul repugnant substantiæ Matrimonii ac necessarium consensum excludunt, quia adversantur bonis Matrimonii, quæ sunt proles, fides et sacramentum. Exempla habentur in supra citato textu cap. *Si conditiones,* quorum primum repugnat bono prolis, secundum bono sacramenti, tertium bono fidei. His prænotatis, petitur :

Quid facit conditio impossibilis adjecta consensui matrimoniali ?

Conditio impossibilis censetur non

R. 1°. In foro externo nihil facit, sed censetur non fuisse serio adjecta, ut clare habetur in cit. cap., et Matrimonium ab initio reputatur validum.

Exceptâ tripla in Bavaq.

adjecta in foro externo; in foro conscientiæ inspicienda intentio.

2°. In foro conscientiæ tamen Matrimonium erit nullum, si contrahens serio voluerit, consensum suum ab ista conditione pendere : tunc enim deesset verus personalis consensus, sine quo non stat Matrimonium; idque præsumitur, si conditionem apponens illam existimaverit possibilem.

Quid facit conditio simpliciter turpis adjecta consensui matrimoniali?

Idem resolvitur de conditione simpliciter turpi;

R. 1°. In foro externo similiter conditio censetur non fuisse serio adjecta, seu æquiparatur impossibili, et Matrimonium ab initio reputatur validum, ut habetur in eod. cap. Innocentius tripler.

2°. In foro conscientiæ tamen, si conditionem apponens efficaciter ab illa consensum pendere voluerit, ea deficiente, irritatur Matrimonium ; et si sit suspensiva, suspendit consensum, et consequenter Matrimonii valorem, usque ad conditionis impletionem. Idque dicendum, sive cognoverit conditionis turpitudinem, sive illam reputaverit honestam.

Quid facit conditio repugnans substantiæ Matrimonii adjecta consensui?

repugnans substantiæ Matrimonii illud irritat.

R. Facit Matrimonium nullum et irritum, secundum præfatum cap. *Si conditiones ;* idque tam in foro conscientiæ, quam in foro externo obtinet ; quia talis conditio excludit consensum necessarium in aliquid essentiale Matrimonii. Unde sic contrahens non vult verum Matrimonium contrahere, sicut v. g. nollet verum contractum venditionis inire, qui apponeret conditionem, ut id quod venditur, non fiat emptoris.

Quid censendum de valore Matrimonii Calvinistæ, v. g. qui putat, illud posse dissolvi ob adulterium compartis, aut etiam positive intendit in tali casu divortium petere?

Intentio dissolvendi Matrimonium propter adulterium non irritat, nisi in pactum deducatur;

R. Per se iste error, aut etiam intentio hoc errore fundata, non officit valori Matrimonii ; quia non excludit generalem voluntatem contrahendi Matrimonium juxta legem Dei; est enim mere concomitans et accidentalis, ita ut generalis intentio contrahendi prævaleat.

Per accidens autem potest impedire valorem Matrimonii, si nempe tanquam conditio apponatur, seu in pactum deducatur, quia tunc directe excludit essentialem Matrimonii proprietatem. Hanc distinctionem clare exponit Benedictus XIV, *De Synodo*, lib. 13, cap. 22, n. 7 et 8,

ubi refert Congregationis S. Officii decisiones illam confirmantes. Similiter, si quis intendens Matrimonium dissolvere in casu adulterii nollet omnino contrahere nisi cum hac restrictione, contractus dicendus esset invalidus.

Ex dictis conclude, etiam valide contrahi Matrimonium cum intentione adulterandi aut impediendi generationem prolis; quia cum hac intentione adesse potest voluntas contrahendi verum Matrimonium, et consequenter se obligandi ad non adulterandum. Invalidum tantum esset Matrimonium, si quis nollet positive se obligare ad non adulterandum. Unde generatim nota, obligationem ad fidelitatem et ad reliqua bona Matrimonii esse quidem de substantia Matrimonii, non autem obligationis executionem; adeoque illa tantum repugnant substantiæ Matrimonii, quæ excludunt obligationem, non illa quæ solum adversantur obligationis executioni.

Uti nec intentio adulterandi etc.

Quid facit conditio impossibilis, aut turpis Sponsalibus adjecta?

R. 1°. Quoad conditiones repugnantes substantiæ Matrimonii, istæ irritant Sponsalia, non secus ac Matrimonium sub iisdem contractum, quia esset promissio de Matrimonio invalido. Supponuntur autem conditiones implendæ post contractum Matrimonium, alias enim non repugnarent ejus substantiæ, sed forte essent simpliciter turpes: sic repugnat bono Matrimonii copula carnalis cum tertio habenda post, non vero committenda ante contractum Matrimonium.

Conditio repugnans substantiæ Matrimonii irritat etiam Sponsalia.

2°. Si conditio sit simpliciter turpis, sed non repugnans substantiæ Matrimonii, v. g. si quis promittat Matrimonium puellæ, sub conditione quod jam cum illo velit peccare, non ita convenit inter auctores.

Controvertitur, si conditio sit simpliciter turpis,

Multi dicunt, Sponsalia esse valida, et conditionem habendam esse pro non adjecta. Horum præcipua ratio est, quod sic fuerit statutum pro Matrimonio; et Sponsalia, utpote præparatoria ad Matrimonium, ejus conditionem sequi debeant.

Cæteri vero contendunt, istud statutum speciale esse pro Matrimonio, et spectare forum externum tantum, Sponsalibus vero communia principia circa contractus, sub conditione turpi initos, applicanda esse. Verum neque ipsi inter se consentiunt.

Alii enim dicunt, hujusmodi Sponsalia prorsus esse irrita : ita Card. Gousset, *Théologie morale,* tom. 2, n. 760, et nulli recentiores, juxta quod in Codice Civili, art. 1172, decernitur circa contractus sub conditione turpi initos; et adferunt in confirmationem cap. ult., *De pactis,* lib. 1 Decretal. : *Juxta legitimas sanctiones pactum turpe, vel rei turpis aut impossibilis de jure vel de facto, nullam obligationem inducit.* Observa vero, ibi non agi de conditione, sed de objecto contractus turpi, neque adeo decerni quid, conditione posita, sit faciendum in casu. Legis civilis autem ratio habenda non est in causis matrimonialibus.

Hinc alii, inhærentes soli juri naturali, putant, hæc Sponsalia, conditione impleta, convalescere et fieri absoluta, vi consensus antea præstiti et virtualiter perseverantis.

Itaque manet dubium, quoad Sponsalia v. g., quæ juvenis init cum puella, sub conditione quod cum illo fornicetur, an, impleta conditione, subsistant necne; etsi certum sit, regulariter in eo casu teneri stupratorem ducere puellam, saltem ad compensandam injuriam illatam. Cfr. tract. *De jure et justitia,* ubi de restitutione propter stuprum.

aut impossibilis.

3°. Si conditio apposita sit impossibilis, iisdem fere fundamentis nixi, auctores alii quidem sentiunt, Sponsalia esse valida, et conditionem habendam pro non apposita; alii e contra contractum prorsus irritum esse autumant.

N. 37. De conditione castitatis servandæ.

Valori Matrimonii non obest votum servandi castitatem,

Prænotandum ex N. 23, ad essentiam Matrimonii pertinere jus saltem radicale ad copulam carnalem; unde sequitur, conditionem quæ jus illud excludit, repugnare substantiæ Matrimonii, et Matrimonium facere nullum.

Aliunde certum est, conjuges isto jure uti non teneri, imo posse usum sibi interdicere, aut alias amittere; adeoque valori Matrimonii non obstare propositum, aut etiam simplex votum servandi castitatem. Ita D. Virgo tali voto obstricta, valide contraxit cum S. Josepho. Quæritur autem,

An conditio servandi castitatem deducta in pactum, repugnat substantiæ Matrimonii, idque invalidat?

R. Disputatur inter auctores.

sed si conditio illam servandi in pactum sit deducta, dubitatur.

Estius, Sylvius, Sanchez, Steyaert et plerique canonistæ affirmant; eo quod conditio illa in pactum deducta, videatur excludere translationem potestatis in mutua corpora in ordine ad copulam carnalem, quæ potestas Matrimonio essentialis est.

Wiggers, Billuart, P. Pauwels, Boeckhn et multi alii negant; quorum sententia non minus probabilis videtur: quia conditio illa excludit solum usum licitum, non ipsum jus radicale et dominium rei. Potest autem hoc jus radicale et dominium subsistere, etsi impeditum actu quoad usum; ut patet in minorennibus, qui rerum suarum dominium habent, non tamen usum. Porro dominium corporum et jus radicale ad copulam de essentia est Matrimonii, non ipse usus, nec jus expeditum ad usum.

Confirmatur: Si duo vovissent, ante Matrimonium, perpetuam castitatem, et alteri alterius votum esset notum, atque etiam firmiter proponerent votum in Matrimonio servare, Matrimonium ipsorum esset indubie validum; atqui etiam in hoc casu impeditur jus utendi, et nudum traditur dominium; ergo valet Matrimonium etiam in casu pacti de servanda virginitate.

Ex hac sententia sequeretur, quod si duo ita contraxissent, et postea se carnaliter cognoscerent, peccare quidem possent contra obligationem castitatis servandæ ex voto aut pacto, sed proprie fornicationem non committerent, cum accederent ad compartem propriam. Commixtio autem carnalis alterutrius cum tertia persona esset verum adulterium.

Interim graviter illicitum est ejusmodi conditionem in pactum deducere, cum Sacramentum sic periculo nullitatis exponatur. Et si ita contractum esset, valor Matrimonii esset incertus: unde conjuges deberent vel consensum simpliciter renovare, vel sese ab invicem separare, aut vivere ut frater et soror: ad aliud vero Matrimonium transire nefas esset.

N. 38. De conditione educandi prolem in infidelitate, vel in hæresi.

An conditio educandi prolem in infidelitate aut in hæresi irritat Matrimonium ?

Variæ auctorum sententiæ circa conditionem educandi prolem in hæresi aut infidelitate ;

Prænotandum. Quoad conditionem educandi prolem in infidelitate, Steyaert, *De Matrimonio,* § 4, ait, non facile dubitandum, quin illa conditio repugnet bono prolis, adeoque irritet Matrimonium ; quia bonum prolis exigit, non tantum ut ejus generatio non impediatur, et ut nata sustentetur : sed etiam ut recte educetur, idque in religione christiana.

Schmier, tom. 3, lib. 4, tract. 3, cap. 5, etiam pro conditione educandi prolem in hæresi, sustinet, Matrimonium sub tali conditione contractum esse irritum : fatetur porro, se non habere auctorem sibi consentientem. Eum tamen secutus est Schmalzgrueber.

Communior autem sententia cum Reiffenstuel negat, conditionem educandi prolem in hæresi irritare Matrimonium.

Hoc ipsum tuetur Carrière, n. 503, etiam pro conditione educandi prolem in infidelitate. His præmissis,

probabilius non irritat Matrimonium.

R. Etsi hoc pactum impium sit et tanquam turpe rejiciendum, utpote repugnans juri divino, probabilius tamen videtur Matrimonium sic initum in utroque casu valere. Ratio est, quod, licet ea conditio adversetur charitati erga prolem, non videtur præcise adversari alicui bono, quod sit Matrimonio intrinsecum et de ejus substantia. Ad substantiam enim Matrimonii pertinet bonum prolis naturale, potius quam spirituale : vitam prolis naturalem curare tenentur conjuges qua tales, vitam spiritualem fovere, potius qua Christiani, quam ut conjuges. Unde substantiæ Matrimonii repugnat omnis conditio eo tendens, ut, habita copula, generatio prolis impediatur, vita præscindatur, naturalis educatio prohibeatur ; non vero illa, quæ spirituali vitæ et educationi tantum nocumentum inferat.

Confirmatur ex eo, quod alias invalida etiam habenda

essent Matrimonia inter Judæos aut Lutheranos, inita cum pacto prolem educandi in patria religione. Tum ex eo, quod aliquando contingat, mulierem catholicam v. g. inire Matrimonium cum viro hæretico, eo pacto, ut filii sequantur religionem patris, filiæ religionem matris, nec tamen invalida habeantur ista conjugia. Neque satis fundatum videtur discrimen, in hac quæstione solvenda a nonnullis factum, inter infidelitatem et hæresim, cum utraque repugnet eidem bono spirituali prolis.

Interim, licet aliqui conentur tale pactum excusare, dum compars catholica tantum se obligat ad permittendam educationem prolis in hæresi, ex causa vitandi majoris mali, in locis ubi catholici et hæretici permixti vivunt; omnino dicendum est, cum Pontio, Braunman, Reiffenstuel, pactum illud, sive expressum sive tacitum, ut vel omnes, vel aliquæ proles educentur in secta hæretica, semper esse irritum et graviter illicitum, utpote repugnans juri naturali, divino et ecclesiastico : cum enim triplici hoc jure teneantur parentes procurare, quantum circumstantiæ permittunt, ut proles in vera fide educetur; repugnat, quod possint unquam se obstringere per pactum ad obligationem illam non adimplendam. Talis conditio semper est illicita.

N. 39. De intentione et finibus contrahendi Matrimonii.

Prænotandum. S. Alphonsus de Ligorio, n. 882, agens de finibus Matrimonii contrahendi, triplex genus distinguit, nimirum : fines *intrinsecos essentiales*, fines *intrinsecos accidentales*, et *fines extrinsecos*. Ipsam traditionem mutuam corporum et vinculum indissolubile, fines Matrimonii *intrinsecos essentiales* vocat. Certe cum hi sint effectus essentiales, ob quos inducendos contractus initur, fines operis dici possunt, respectu Matrimonii in fieri, et patet eos ita necessario intendi debere a contrahentibus, ut invalide contraheret, qui unum ex istis excluderet, quia deficeret consensus in essentialia Matrimonii. Fines indeundi Matrimonii varii distinguuntur.

Verumtamen ubi de finibus, ob quos Matrimonium contrahi deceat, inquiritur, intelligi solent ulteriores fines,

ob quos aliquis matrimoniali vinculo conjungi quærat. Hi autem vel sunt Matrimonio proprii, quos S. Alphonsus *intrinsecos accidentales* vocat; vel sunt Matrimonio *extrinseci* et accidentales. His præmissis, quæritur :

Ob quos fines licet Matrimonium inire ?

Iniri potest ob unum e finibus propriis seu intrinsecis Matrimonii.

R. 1°. Licet Matrimonium inire ob unum alterumve ex finibus Matrimonii propriis, qui sunt illi ipsi, ob quos a Deo institutum est, nimirum : procreatio prolis, educandæ ad honorem et cultum Dei ; adjutorium et solatium mutuum ad levius ferenda hujus vitæ incommoda ; evitatio incontinentiæ : de quibus vide N. 24.

Non tamen necesse est, ut tres illi fines simul intendantur, sed sufficit ut contrahentes unum ex illis intendant. Sic plerumque senes sine spe prolis contrahunt ; qui autem contrahunt cum proposito servandæ virginitatis, nec prolis generationem intendunt, nec incontinentiæ remedium, sed quamdam sanctam vitæ societatem : ita contraxerunt B. V. Maria et S. Josephus.

Secundario intenci possunt fines extrinseci honesti,

2°. Certum est, quod præter fines illos conjugii proprios possint conjuges secundario intendere alios fines honestos, licet extrinsecos et accidentales. Hinc Catechismus Romanus, *De Matrimonii Sacramento*, part. 2, § 15, explicatis tribus prædictis finibus, addit : *Hæ igitur sunt causæ quarum aliquam sibi proponere quisque debet, qui pie et religiose, ut sanctorum filios decet, nuptias velit contrahere. Quod si ad eas causas aliæ etiam accedant, quibus homines inducti Matrimonium ineant, atque in habendo uxoris delectu hanc illi præponant, ut hæredis relinquendi desiderium, divitiæ, forma, generis splendor, morum similitudo ; hujusmodi sane rationes damnandæ non sunt, cum Matrimonii sanctitati non repugnent : neque enim in sacris Litteris Jacob patriarcha reprehenditur, quod Rachelem, ejus pulchritudine illectus, Liæ prætulerit.*

Imo consulto attenditur ad paritatem conditionis, similitudinem morum etc., quia Matrimonia inter dispares infaustum sortiuntur sæpe exitum.

an illi principaliter intendi possint, disputatur.

3°. Disputatur, an sit licitum contrahere Matrimonium principaliter ob fines accidentales extrinsecos, nempe ob voluptatem captandam, pacem familiarum conciliandam, et similia.

S. Alphonsus de Ligorio, n. 883, propositis prius aliorum

sententiis, respondet : « Ego puto distinguendum : Si finis » sit per se honestus, nimirum pax populi, amor inter » consanguineos, honoris familiæ conservatio, sanitatis » tuendæ, et similia, tunc puto dicendum cum Busemb..., » licite Matrimonium contrahi, quia hæc non est deordi- » natio eligere aliquem ex finibus secundariis honestis » præ fine primario, modo iste non excludatur. Secus » vero, si finis non sit honestus, nempe si sit voluptatis, » vel cupiditatis divitiarum, aut vani honoris. »

Hinc sponsi recogitent monitum Angeli ad Tobiam, VI, 16 : *Ostendam tibi qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium. Hi namque qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se, et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus : habet potestatem dæmonium super eos.* Dein, 22 : *Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.*

N. 40. De bonis Matrimonii in genere.

S. Thom., Supplem. quæst. 49.

Quid vocant bona Matrimonii ?

R. Sunt bona quædam Matrimonio propria, quæ nimirum ex ipso prodeunt, seu quibus constat : quæ adeo honestatem et utilitatem Matrimonii commendant ; incommoda eidem conjuncta, quodammodo compensant ; et turpitudinem, quæ actui conjugali propter carnis libidinem inest, abstergunt. Bona Matrimonii

Tria hujusmodi bona, post S. Augustinum, enumerant theologi : bonum *prolis,* bonum *fidei* et bonum *sacramenti ;* ad quæ cætera facile referuntur. Horum primum constituit primarium finem Matrimonii, duo reliqua sunt essentiales et intrinsecæ ejus proprietates. tria :

Quid est bonum prolis ?

R. Legitima prolis generatio, conveniens sustentatio, et recta educatio. bonum prolis,

Quid est bonum fidei ?

R. Est fidelitas, qua conjuges invicem adhærere, et sibi mutuo conjugale debitum reddere tenentur, alienæ vero fidei,

personæ commisceri prohibentur. Unde observa, per *fidem* nequaquam illam intelligi, quæ est virtus theologica; sed, ut dictum est, fidelitas intelligitur, quæ est pars justitiæ commutativæ.

Quid intelligitur per bonum sacramenti?

sacramenti; R. Intelligitur indissolubilitas Matrimonii, in quantum Matrimonium significat indissolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesia. Quamvis enim vinculum Matrimonii ex natura sua postulet indissolubilitatem, ex dicta tamen significatione sanctior et firmior illa est.

Collige, quod sacramentum hic non sumatur stricte et exclusive pro Sacramento proprie dicto, seu signo practico gratiæ, sed late pro signo rei sacræ; nam, etiam in Matrimonio non baptizatorum, illud, cum cæteris Matrimonii bonis, aliquo modo invenitur.

Ostende per tria ista bona convenienter compensari incommoda Matrimonii.

quibus compensantur incommoda ejusdem. R. Cum Billuart, dissert. 4, et ad mentem S. Thomæ : « Tria potissimum damna et incommoda incurruntur in » Matrimonio. Primum est libido, et ex ea resultans de- » trimentum usus rationis, debilitatio corporis et sensuum » obtusio : et hoc damnum compensatur bono prolis, seu » procreatione liberorum, quibus genus humanum pro- » pagatur, et Deus perpetuo colitur. Secundum damnum » est sollicitudo molesta placendi comparti, suscipiendi, » concipiendi, parturiendi, educandi proles, et rebus » familiæ providendi; et hoc damnum compensatur bono » fidei, qua alter alteri tenetur reddere debitum, nec » potest aliis commisceri. Tertium damnum est perpetua » quædam subjectio seu servitus, qua vir uxori et uxor » viro obligatur : et istud damnum compensatur bono » sacramenti, id est, vinculi indissolubilis, quo conjuges » repræsentant conjunctionem Christi cum Ecclesia, te- » nenturque se invicem diligere, sicut Christus dilexit » Ecclesiam... Quamquam etiam multo magis compense- » tur hoc damnum bono Sacramenti proprie sumpti pro » signo efficaci gratiæ, quatenus sanctificat conjuges, eis » confert auxilia supernaturalia ad se mutuo diligendos, » præstandaque suaviter et fideliter usque ad finem vitæ » cætera munia et onera Matrimonii. »

N. 41. De bono prolis et obligationibus ad illud pertinentibus.

Bonum prolis, juxta S. Augustinum, *De Genesi ad litteram*, lib. 9, cap. 7, a parentibus exigit, *ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur* : hinc plures exurgunt in parentibus obligationes et officia, contra quæ variis modis et gravissime peccari contingit. Bonum prolis

Quasnam obligationes conjugibus imponit bonum prolis?

R. 1°. Quamvis non teneantur conjuges prolem generare, sed ex mutuo consensu castitatem servare possint; si tamen carnalem copulam exerceant, exigit bonum prolis, ut conceptionem non impediant. plures imponit obligationes conjugibus,

2°. Ubi proles concepta est, pater et mater solliciti esse debent, ut ab omni nocumento immunis servetur, ac sana et incolumis in lucem edatur.

3°. Postquam proles nata est, prima cura sit oportet, ut quam primum fieri potest sacro Baptismate a labe originali mundetur, et Ecclesiæ Dei aggregetur.

4°. Mater prolem sibi natam proprio lacte nutrire debet, si possit : hoc ipsi natura dictat. Non est tamen obligatio gravis, si alias nutritioni prolis congrue provideatur, ut advertit Benedictus XIV, *De Synodo*, lib. 11, cap. 7, n. 10, et S. Alphonsus de Ligorio, lib. 4, n. 336. Si autem, qualibus de causa, ipsa mater non nutriat prolem, gravis incumbit parentibus obligatio eligendi nutricem, quæ sit sana et morigera,

5°. Insuper pater et mater simul prolem, quamdiu ipsa sibi necessaria providere non potest, alere et sustentare, id est, victum, vestitum, habitationem, medicamenta procurare tenentur. Hoc præcipit lex naturæ, et confirmat jus canonicum, can. *Si quis dereliquerit*, dist. 30, et jus civile, Cod., art. 203 et seq.

6°. Præterea tenentur pueros a tenera ætate instruere in doctrina christiana, eosque ad bonos mores informare. Unde Apostolus monet parentes, Eph. VI, 4 : *Educate illos in disciplina, et correptione Domini.*

7°. Tandem tenentur curare, ut discant sibi victum et

honestum vitæ statum procurare per media eorum conditioni convenientia.

et variis modis contra illud peccatur.

Patet, quomodo variis modis contra has obligationes peccare possint parentes. Sic :

1°. Graviter delinquunt viri qui committunt peccatum Onan, quem *idcirco percussit Dominus, quod rem detestabilem faceret.* Gen. XXXVIII, 10.

Peccant uxores, quæ potionibus vel aliis mediis fœtus conceptionem impediunt, aut susceptum viri semen ejiciunt, vel ejicere conantur.

2°. Peccant, qui abortum fœtus, sive directe sive indirecte, procurant, aut in causa sunt, quod proles edatur membris mutilata, aut aliter corpore vel spiritu deformis. Hinc tenentur mulieres gravidæ ab immoderato labore, saltatione, ira, tristitia aliisque abstinere, quæ grave nocumentum proli inferre possent.

3°. Peccant parentes prolem natam abjiciendo, exponendo, occidendo aut in periculum vitæ conjiciendo, debitam nutritionem non procurando, educationem negligendo.

4°. Graviter etiam peccant, si sinant prolem, etiam immature editam, sine Baptismo mori; item si negligant eam instruere in doctrina christiana, bonis moribus imbuere, a vitiis avertere etc,

N. 42. De bono fidei et obligationibus ad illud pertinentibus.

Quænam obligationes ex fide quam sibi invicem debent conjuges, proveniunt?

Obligationes spectantes ad bonum fidei;

R. 1°. Obligatio specialis dilectionis, quam innuit Apostolus, Eph. V, 25 : *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam;* et, 33 : *Unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat : uxor autem timeat virum suum.* Dilectio illa involvit mutuum obsequium et adjutorium. Cum autem vir sit caput mulieris, regimen societatis ipsi competit, et specialiter incumbit cura uxorem et proles alendi et sustentandi pro conditione et facultatibus suis.

2°. Obligatio fidelitatis et justitiæ concedendi usum

corporis, in ordine ad opus generationis, comparti legitime petenti. Hoc significat Apostolus, I Cor. VII, 3 et 4 : *Uxori vir debitum reddat : similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.*

3°. Obligatio abstinendi ab omni actu venereo cum alia quavis persona, et nullo alio modo indulgendi libidini extra rectum Matrimonii usum. Unde S. Augustinus, loc. cit. : *In fide attenditur ne, præter vinculum conjugale, cum altero vel altera concumbatur.*

Quomodo peccant conjuges contra fidelitatem mutuo debitam ?

R. 1°. Per odium, aversionem, despectum compartis, aut negligendo debitam ei dilectionem et adjutorium exhibere. peccata eidem adversantia.

2°. Negando debitum conjugale comparti rationabiliter petenti, si nulla sit ratio excusans : vide N. seq.

3°. Per adulterium ; item per concupiscentiam alienæ personæ, aut quemvis actum libidinosum cum ea habitum.

4°. Per pollutionem et quodcumque peccatum luxuriæ in proprio corpore : conjux enim suum corpus contaminando, re compartis abutitur. Unde non peccat tantum contra castitatem, sed etiam contra justitiam. Neque hanc notam injustitiæ abstergit consensus aut cooperatio compartis, quæ hic jure suo cedere nec licite nec valide potest. Adeoque in omni peccato carnali circumstantia conjugii est exprimenda in confessione.

N. 43. De obligatione reddendi debitum conjugale.

S. Thom., Supplem. quæst. 64.

Prænotandum 1°. S. Alphonsus de Ligorio, incipiens agere de hac ingrata et lubrica materia, n. 900, sic loquitur : « Piget me de hac materia, quæ tantam præ se fert » fœditatem, ut castas mentes ipso solo nomine perturbet, » longiorem habere sermonem ; sed utinam non esset hæc » materia tam frequens in confessionibus excipiendis, ut Prænotanda.

» non oporteret omnino confessarium plena tractatione, » sed sufficeret compendio instructum esse ! » Propter eamdem rationem et nos breviter et parce, quantum fieri potest, rem tractare intendimus ; non tamen omittemus, quæ confessariis omnino scitu necessaria sunt, ut dirigere possint pœnitentes de hac materia se accusantes, aut interrogantes. Alumni porro ea non legant nisi cum scire oportebit, aut tempus instabit, quo confessiones excepturi sunt.

Prænotandum 2°. cum eodem S. Alphonso de Ligorio, *Praxis confessarii*, n. 41 : « Circa peccata conjugum re- » spectu ad debitum maritale, ordinarie loquendo confes- » sarius non tenetur, nec decet interrogare, nisi uxores, » an illud reddiderint, modestiori modo quo possit, puta, » *an fuerint obedientes viris in omnibus*. De aliis taceat » nisi interrogatus fuerit. » Hic enim vel maxime importunæ inquisitiones offendere possunt et confessionem reddere odiosam. Unde potius committendum, ut in tract. *De Sacramento Pœnitentiæ*, N. 59, animadvertimus, ut confessio exponatur periculo minoris integritatis, quam ut Sacramentum exponatur odio, et conjux periculo peccandi formaliter.

Prænotandum 3°. quod usus corporis in ordine ad generationem, quem sibi mutuo *debent* conjuges, inde vocari soleat *debitum conjugale*, honestiori termino, desumpto ex I Cor. VII.

An et qualis est obligatio reddendi debitum, quando altera pars illud petit?

Obligatio reddendi debitum

R. ad 1. Affirmative; nisi adsit ratio excusans. Sequitur ex eo quod conjuges sibi mutuo tradiderint jus ad usum conjugalem : juri autem unius respondet obligatio alterius. Præterea, ut animadvertit S. Thomas, Matrimonium non esset satis efficax remedium contra fornicationem, si unus alteri non teneretur debitum reddere, quando concupiscentia infestatur.

Hinc monet Apostolus, loc. cit., 3 : *Uxori vir debitum reddat : similiter autem et uxor viro ;* et 5 : *Nolite fraudare invicem.*

Additur : nisi adsit ratio excusans : hujusmodi rationes præcipuæ explicantur N. seq.

gravis :

R. ad 2. Est hæc obligatio justitiæ, cum jus strictum

habeat conjux in conjugem. Est etiam per se gravis, cum sit in materia gravi, ratione finis propter quem Matrimonium institutum est, et propter pessimos effectus qui ex denegatione sequi solent.

Hinc conjux, sine justa causa debitum negans instanter petenti, graviter peccat, et juxta probabiliorem sententiam, etiam si semel tantum contingat.

Additum est, *instanter petenti,* quia aliud est, si conjux non exigit debitum ex toto rigore juris sui, sed potius consensum liberum compartis sollicitat, dilationemque facile concedit.

Ideo uxor se accusans in confessione, quod negaverit debitum, interrogetur, an maritus ex pleno rigore juris sui id petiverit; idque colligetur ex eo quod petiverit instanter, quod graviter fuerit offensus, quod aversiones vel alia mala sint secuta. De malis secutis etiam se accusare debet, si potuit ea prævidere, quia eorum fuit causa. Contra, si confiteatur rixas vel aversiones adversus maritum, confessarius sciscitans earum causam aliquando interrogabit, an forte, quia negaverit id quod uxor debet marito.

Colligitur ex dictis 1°. quod conjux mediis illicitis se impotentem reddens ad debitum conjugale, lethaliter peccet; quia lex justitiæ obligans ad redditionem debiti, etiam vetat, ne quis mediis illicitis reddat se impotentem. Hinc vir qui, sive crebris pollutionibus, sive accessu ad alias fœminas, reddit se impotentem ad persolvendum debitum, ultra peccatum pollutionis aut adulterii, committit specialem culpam contra legem justitiæ, quæ in confessione est exprimenda. Imo graviter peccare posset conjux, qui operibus de se quidem licitis, sed indiscretis et minime necessariis, ut nimiis macerationibus, vigiliis, laboribus, redderet se notabiliter impotentem; aut uxor quæ sic notabiliter ita se extenuaret, ut displiceret marito.

Colligitur 2°. conjugem non posse diu abesse, comparte invita, nisi forte id absolute exigant necessitates familiæ, aut aliæ justæ causæ; vel nisi dum contraxit Matrimonium, prænomita fuerit aut sciverit compars de futuris absentiis conjugis, ut si contraxerit cum negotiatore, milite, nauta etc. : tunc enim consensisse censetur.

Insuper notandum, quod in jure petendi debitum, et in obligatione illud reddendi, conjuges sint æquales, ut significat Apostolus, loc. supra cit.; quamvis non ita res se habeat in cæteris, in quibus vir est caput mulieris, cui hæc propterea subjici debet.

An aliquando conjux tenetur petere debitum?

non datur obligatio petendi per se, sed per accidens.

R. Per se non tenetur, cum nulla lex, nullave necessitas obliget ad utendum hoc jure suo.

Per accidens potest teneri ad petendum, ut puta :

1°. Si judicet ex signis vel dispositione, compartem desiderare, et ex verecundia non audere expresse petere, ut frequentius contingit in uxore ; tunc enim est tacita petitio.

2°. Etsi nequidem tacite petat conjux, si tamen videatur in periculo incontinentiæ versari, poterit altera pars teneri ad petendum, saltem ex charitate, ut periculum alterius avertat.

3°. Similiter potest esse obligatio petendi, si hoc necessarium sit ad fovendum mutuum amorem, odia vitanda etc.

4°. Denique si pax familiæ, aut bonum publicum postulet, ut ex hoc conjugio proles nascatur.

N. 44. Ob quas causas liceat negare debitum conjugale.

Assigna præcipuos casus, in quibus licet negare debitum seu usum conjugalem.

Licet negare debitum primo bimestri

R. 1°. Negare licet tempore primi bimestris, quod post contractum Matrimonium conceditur ad deliberandum de ingredienda religione, de quo latius N. 52. Idque probabilius obtinet, etiamsi desit animus de ingredienda religione deliberandi; quia jus illud negandi, etsi concessum in hunc finem ut quis possit deliberare, equidem absolute concessum est : unde negans utitur jure suo. Ubi vero Matrimonium semel libere consummatum fuit, non licet amplius ex hac causa negare debitum. Si autem copula violenter extorta fuerit, disputatur an pars oppressa debitum ultra negare possit.

2°. In casu adulterii pars innocens parti adulteræ debitum negare potest, quia frangenti fidem fides servanda non est. et in casu adulterii,

3°. In casu legitimi divortii a thoro, de quo N. 56. divortii,

4°. Si conjux voluntarie renuntiaverit juri debitum exigendi ab altero, hic liber est a reddendo. renuntiationis

5°. Non est obligatio reddendi debitum, si petatur ab eo qui rationis compos non est, sive amens sit, sive ebrius usque ad privationem usus rationis; cum tunc petitio non sit humana seu rationalis. Attamen si timeantur in compare pollutiones, accessus ad tertiam personam aliave gravia mala, nisi reddatur debitum, suadet charitas ut reddatur.[11] Advertendum vero, quod dum petit amens mulier, redditioni obstare posset nocumentum prolis. Si ebrietas non sit usque ad privationem usus rationis, non est ratio negandi debitum. aut amentiæ compartis,

6°. Licet negare debitum, si conjux frequentius sive immoderate petat; hoc enim rationi dissentaneum est, et sæpe incolumitati nocivum. Difficile autem est determinare, quando habeatur excessus sufficiens ad legitimandam negationem; manifeste haberetur, si conjux pluries in eadem nocte peteret. item ob excessum,

7°. Licite negatur, quandocumque ex redditione timetur notabile periculum mortis, morbi etc. Rationem dat S. Thomas, quæst. 64, art. 1, quia conjux in conjugem jus quidem habet, *salva tamen prius personæ incolumitate*. periculum morbi,

Hinc deducitur, non esse obligationem reddendi debitum, si petens inficiatur morbo contagioso tali, qui facile per maritalem conjunctionem contrahitur, ut est morbus venereus, et phthisis respectu personæ ex natura proclivis ad hunc morbum. Item si morbus v. g. lepra, tantum horrorem inspiret, ut redditio fiat moraliter impossibilis.

Sequitur etiam, cessare obligationem reddendi debitum in uxore, quæ parere nequit, nisi cum extraordinario mortis periculo. Ordinarii dolores, et partus pericula, et laboriosæ sequelæ non excusant, quia cadunt sub generali pœna mulieris, Gen. III, 16: *In dolore paries filios.*

Notandum quod, licet in sex primis casibus conjux reddere non teneatur, possit tamen ordinarie si velit. In notabili autem mortis aut morbi gravis periculo, per se nequidem potest; per accidens vero posset ex charitate

pro salute animæ compartis, quæ ex denegatione grave pateretur periculum incontinentiæ, vel ob aliam gravem causam, propter quam periculum vitæ incurri posse censeatur.

aut peccati ;

8°. Debitum reddi nec debet nec potest, quandocumque redditio fieri nequit sine peccato, v. g. ratione loci, sequelæ etc. Num vero redditio semper sit illicita, quando illicita est petitio, expenditur N. seq.

non vero ob multitudinem prolis,

Multitudo prolis vel paupertas non est ratio sufficiens, ut petenti negetur debitum : possunt autem conjugati de mutuo consensu, ex illa causa, ab usu conjugali abstinere.

S. Communionem,

Similiter Communio sumpta aut sumenda non est ratio sufficiens negandi debitum, quamvis ob hanc rationem dilatio peti possit, si compars non videatur ægre concessura.

prolem ægram etc.

Neque licet negare debitum epileptico seu leproso, præcise ne proles iisdem morbis inficiatur; quia, ut dicit S. Thomas, art. 1, ad 4 : *Melius est prolem sic esse, quam penitus non esse.*

N. 45. Quando illicita sit petitio aut redditio debiti.

Quotuplici modo potest esse illicita debiti petitio?

Illicita est petitio duplici modo :

R. Duplici modo : nimirum, propter circumstantiam se tenentem ex parte ipsius actus conjugalis, et propter circumstantiam se tenentem ex parte petentis tantum : utroque autem modo potest petitio esse vel graviter vel leviter peccaminosa. Quando circumstantia mala se tenet ex parte ipsius actus, neutra pars licite petere potest ; quando vero se tenet solum ex parte unius petentis, altera pars licite posset petere.

ob circumstantias malas ex parte actus,

Præcipuæ circumstantiæ ex parte ipsius actus hic considerandæ, sunt circumstantiæ quædam *loci*, ut si locus sit sacer, vel publicus; item circumstantiæ *temporis*, ut dies magnæ festivitatis aut Communionis, tempus menstrui aut puerperii, prægnationis et lactationis ; item circumstantiæ *modi*, ut quod actus fiat stando, præpostere, etc.; item *sequelæ* ex actu timendæ, ut mors vel morbus alterutrius, aut prolis etc.

Præcipuæ circumstantiæ ex parte petentis sunt prava petentis intentio, ut si petat animo fornicario, aut propter solam voluptatem; item quod petens sit dubius de valore Matrimonii, vel sit adstrictus voto castitatis, aut prohibitus petere propter affinitatem aut cognationem spiritualem contractam cum conjuge. vel ex parte petentis.

An conjux debitum reddere potest aut debet alteri petenti, si petitio sit illicita propter circumstantiam se tenentem ex parte ipsius actus?

R. I. Si propter talem circumstantiam actus est mortaliter malus, reddere nec potest nec debet. Hæc sententia « est communis et certa, » inquit Billuart, « quia cum » reddens ponat copulam sicut ipse petens, concurrit cum » ipso ad eumdem actum malum. » Si ob circumstantiam actus petitio est mortaliter mala, non licet reddere;

II. Si propter talem circumstantiam petitio est tantum venialiter mala, redditio per se non est debita ex justitia, cum nulli jus competat copulam exigendi tali circumstantia infectam : sed licita tamen est, ob quamcumque rationabilem causam, proportionatam levi isti indecentiæ; quia talis causa sufficit ad hanc indecentiam abstergendam ex parte reddentis : hujusmodi ratio plerumque erit sola offensa compartis ex denegatione secutura. Cfr. S. Alphonsum de Ligorio, n. 946. si petitio est venialiter mala tantum, licet reddere ex justa causa.

Hinc 1°. petenti debitum nunquam licite potest illud reddi videntibus aut audientibus aliis, præsertim junioribus, propter scandalum grave inde secuturum. Conclusiones : quoad locum publicum, aut sacrum,

Neque peti aut reddi potest in loco sacro, propter gravem indecentiam, qua polluitur sic locus sacer. Utrum vero actus conjugalis in loco sacro liceat in necessitate, puta si conjuges tempore belli diu in loco sacro commorentur, et in alterutro periculum sit incontinentiæ, controvertitur.

Hinc 2°. petere in die festo debitum non est illicitum juxta communiorem sententiam apud S. Alphonsum, n. 923, licet juxta S. Thomam et alios sit veniale : reddere nullum est peccatum : *Hoc enim est propter lubricum carnis divinitus ordinatum*, ait Angelicus, quæst. 64, art. 7, ad 1, *ut semper petenti debitum reddatur, ne aliqua occasio peccati detur.* diem festi,

In die, qua quis sacram Communionem sumpsit, aut sumere intendit, redditio debiti ob finem honestum non

est illicita; petitionem alii venialiter malam, alii a culpa immunem esse dicunt. Vide S. Alphonsum, n. 922.

tempus menstrui,

Hinc 3°. tempore fluxus menstrui exercere copulam videtur cum communiori sententia tantum peccatum veniale ex parte petentis, ob quamdam actus turpitudinem et indecentiam. Redditio, si fiat ob rationabilem causam, omni culpa vacat. Gratuita videtur quorumdam assertio, quod ex tali concubitu soleat nasci proles defectuosa. Equidem, Lev. XX, 18, copula cum menstruata prohibetur sub pœna mortis; sed eatenus erat lex judicialis, quæ jam cessavit.

puerperii,

Idem dicendum est de tempore puerperii : nisi tamen tunc gravis morbus ex concubitu immineat uxori, prout sæpe timendum est primis diebus. Ex hac enim causa tam redditio quam petitio potest esse graviter illicita, ut N. præc. dictum est. Cfr. S. Alphonsum, n. 925 et 926.

lactationis,

Tempore lactationis regulariter nec petitio nec redditio est illicita; nisi in speciali casu inde grave malum immineret proli.

prægnationis.

Hinc 4°. quoad tempus prægnationis notandum, quod sola prægnatio per se non reddat actum conjugalem illicitum, nec respectu petentis, qui rectam petendo intentionem habere potest, v. g. ut a conjuge avertat periculum incontinentiæ; nec a fortiori respectu reddentis. Per accidens vero prægnatio uxoris potest impedire actum conjugalem, si ex eo nascatur periculum abortus. Hoc periculum dicitur esse majus primis diebus post conceptionem quam postea; sed ipsa conceptio tunc plerumque ignoratur, nec solet certo innotescere ante secundum vel tertium mensem, aut etiam tardius. Unde vix esse poterit ratio negandi debitum instanter petenti, cum jus certum conjugis adeo incerto periculo prolis non elidatur. Imo generatim loquendo, videntur conjuges tunc tantum ex hac causa debere abstinere a concubitu, quando experientia scirent, hic et nunc moraliter certum periculum imminere proli jam conceptæ : de cætero vero sufficit, ut adhibeant cautiones necessarias ne sic coeant, ut proli nocumentum inferant. Cfr. S. Alphonsum de Ligorio, n. 924.

Quid si uxor non edat nisi proles

Hinc 5°. circa uxorem, quæ hucusque non edidit nisi proles mortuas aut abortivas, inquirunt, an possit petere debitum, aut viro petenti teneatur reddere. Videtur

autem distinguendum : Si mater ex abortu, vel ex morte fœtus in ventre, patiatur extraordinarium periculum mortis, ut aliquando contingit, tunc, juxta notata N. præc., per se nec petere nec reddere potest. Secluso autem speciali periculo matris, concubitus non videtur ob solum damnum prolis inde concipiendæ illicitus; quia, ut dicit Layman, apud S. Alphonsum de Ligorio, n. 953, illa mors fœtus per accidens evenit, et melius est puero esse cum culpa originali, quam omnino non esse. Itaque uxor in casu petere et reddere potest, imo videtur teneri ad reddendum. Quod a fortiori dicendum est, si partus habuerit felices, et unum alterumve infelicem.

Monendæ porro sunt mulieres, ut voluntarias causas infelicis partus, ut sunt passiones inordinatæ, graviores labores, saltationes etc. sedulo devitent.

si vir petat coire modo innaturali.

Hinc 6°. circa modum coeundi seu situm, notandum est, magis naturalem esse quo vir mulieri supinæ incumbit, quia immissioni seminis in matricem ejusque retentioni est aptior. Communiter tamen dicunt auctores cum Concina, conjuges minime peccare si mutent situm ex justa causa, nempe ob ægritudinem, vel obesitatem viri, vel ob periculum abortus, aut scandali aliorum; idque expresse dicit Angelicus, *Comment. in 4 Sent.*, dist. 31, in fine : *Quandoque sine peccato esse potest, quando dispositio corporis alium modum non patitur ; alias tanto est gravius quanto magis a naturali modo receditur.*

Unde si justam situm mutandi causam habeat debitum petens, reddere tenetur conjux ; deficiente autem tali causa, reddere non tenetur, imo reddendo peccaret, sed probabilius tantum venialiter, sicut ipse petens, nisi reddens non possit alterum a tali modo avertere, ipsique cedat ob justam causam, ut esset timor gravis iræ ex denegatione secuturæ : justa enim causa, proportionata indecentiæ talis modi, a culpa excusat.

Supponitur semper, in modis illis non adesse periculum pollutionis, seu effusionis seminis extra vas debitum; ob hoc enim periculum mortaliter mala esset tum redditio tum petitio. Dicunt autem Salmanticenses, hoc raro evenire, adeoque de eo non esse interrogandum, qui de modo minus decenti se accusat. Seminis effusionem partialem, parte ad generationem sufficiente intra vas

remanente, Sanchez et alii a peccato mortali excusant, si ex justa causa conjuges situm mutent. Vide S. Alphonsum, n. 917.

An conjux debitum reddere potest aut debet illicite petenti propter circumstantiam se tenentem ex parte petentis?

Si circumstantia mala sit ex parte petentis, et ipse possit eam auferre, reddendum est debitum.

R. 1°. Si sit in potestate petentis ab illa prava circumstantia hic et nunc se liberare, ita ut petitio sit mala ex sola libera ejus præsenti mala voluntate, v. g. si petat ex pravo fine, animo adultero etc., conjux reddere potest et debet. Ratio, quia ab una parte, petens habet jus ad debitum; ab alia parte, reddens non cooperatur illius peccato, quod petens in actu vitare potest si velit, adeoque unice procedit ex sua libera voluntate. Potest tamen aliquando obligari conjux ex charitate ad monendam compartem, ut pravum animum deponat, si commode et cum fructu id præstare possit.

Si petens non possit eam auferre, pro babilius etiam reddi potest debitum.

2°. Si vero non sit in petentis potestate se ab illa circumstantia hic et nunc liberare, ita ut petitio non possit ea non infici, v. g. ubi petens habet votum castitatis, Pontius, La Croix et quidam alii negant, conjugem posse reddere, quia, posita hac circumstantia, v. g. impedimento voti, actus conjugalis necessario est graviter illicitus petenti, cui cooperari est quoque alteri illicitum.

Communior vero et probabilior videtur sententia Suarez et aliorum, apud S. Alphonsum, n. 944, qui dicunt, conjugem reddere posse. Ratio, quia in casu sola petitio illicita est, non ipse actus conjugalis; conjux autem reddens debitum cooperatur quidem actui conjugali perficiendo, nullatenus vero alterius petitioni. Imo addunt, in casu voti conjugem teneri ad reddendum; quia alter, etsi illicite petat religione voti ligatus, tamen non injuste petit; jus enim ad petendum respectu alterius retinet, nisi ex alia causa jure illo exciderit : ergo alter ex justitia reddere debet. Prout, si quis votum emitteret non exigendi a te pecuniam debitam, si ille postea petat, teneris tu reddere, quia per votum creditor non amisit jus suum.

Advertit porro S. Alphonsus, loc. cit. : « Quando conjux » prævidet, quod alter impeditus voto vel alio impedi- » mento illicite petet, tunc tutius erit ut ipse præveniat, » et si ille jam petierit, ipse tunc etiam petat, dicens : » *Volo ut tu mihi reddas*. Sed ad hoc, merito ait Sanchez,

» uxores raro obligari, quia magnum onus esset eis, ob » naturalem mulierum verecundiam, teneri ad semper » petendum. »

An potest uxor reddere debitum viro volenti seminare extra vas post copulam incœptam?

An debitum reddendum sit viro onanistæ.

R. Sacra Pœnitentiaria interrogata an liceret, præsertim si uxor denegando se exponat periculo sævitiarum, aut timeat ne maritus ad meretrices accedat, respondit 25 April. 1822 : *Cum in proposito casu mulier, e sua quidem parte, nihil contra naturam agat, detque operam rei licitæ, tota autem actus inordinatio ex viri malitia procedat, qui, loco consummandi, retrahit se et extra vas effundit, ideo si mulier, post debitas admonitiones, nihil proficiat, vir autem instet, minando verbera, aut mortem, aut alias graves sævitias, poterit ipsa, ut probati theologi docent, citra peccatum passive se præbere; cum in his rerum adjunctis ipsa viri sui peccatum simpliciter permittat, idque ex gravi causa, quæ eam excusat, quoniam charitas, qua illud impedire teneretur, cum tanto incommodo non obligat.* Simile responsum dederat annò 1816.

Ex ratione in hoc responso allegata concludendum est, uxorem posse reddere et se habere permissive ad peccatum viri, ob timorem cujuscumque gravis damni, ut ob jurgia relative gravia, ob prævisa scandala, blasphemias contra Deum, religionem etc.

Imo S. Alphonsus de Ligorio, n. 947, hanc quæstionem tractans dicit, probabilem quidem esse sententiam, quod uxor possit et teneatur negare debitum, si possit sine gravi incommodo : « Sed, » addit, « probabilius videtur » uxor non solum posse reddere.. sed etiam teneri. Ratio, » quia, quando culpa se tenet ex parte personæ petentis, » cum ipsa habeat jus ad copulam, nequit alter sine in- » justitia debitum negare, si non possit monendo a tali » culpa illum avertere ; et tunc patet, quod reddens ne » materialiter quidem cooperatur peccato illius, cum non » cooperetur seminationi extra vas, sed tantum copulæ » incœptæ, quæ per se omnino utrique est licita. »

Hinc concludc, confessarium non posse inquietare uxorem quæ, etiam sine gravioris damni periculo, marito instanter petenti obedit, siquidem, secundum sententiam S. Alphonso probabiliorem, obedire tenetur, modo ipsa

nequidem indirecte actioni mariti consentiat. Cæterum, ut monet Bouvier, studeat uxor pro viribus maritum blanditiis, omnibus amoris indiciis, precibus, hortationibusque ad actum recte perficiendum, vel ab eo prorsus abstinendum, et christiane vivendum adducere : experientia constat, plurimas mulieres, viros sic allicientes, lucratas fuisse. Idem vero auctor observat, quod virum debitum cum intentione se retrahendi petentem singulis vicibus monere non tenetur, quando ex adjunctis certo cognoscit se ab illo nihil obtenturam : debet tamen, saltem aliquoties, ostendere se crimini ejus non assentire.

« Verum, » ait, « sedulo cavendum est, ne illa, metu » prolis, molestiarum graviditatis, aliove motivo sibi illu- » dens, interius peccato mariti assentiat, vel in illo sibi » complaceat; ita sit disposita necesse est, ut mallet mori » quam generationem impedire, si hoc ab ipsa penderet.»

Gravius adhuc peccaret uxor, quæ maritum ad sic agendum induceret, vel directe, vel indirecte, conquerendo de molestiis graviditatis aut exaggerando partus dolores et pericula; et a fortiori, si seipsam ante seminationem, invito marito, retraheret.

An licet uxori, a viro quem scit peccaturum peccato Onan, petere debitum ?

An a tali viro uxor debitum petere possit.

R. Multi negant unquam licere ; sed probabilius videtur esse licitum, aut non graviter illicitum, si petat ob gravem causam, ut esset periculum propriæ incontinentiæ. S. Alphonsus, loc. cit., sic respondet : « Uxorem non » posse petere, si non adsit justa et gravis causa ; tunc » enim revera tenetur ex charitate impedire peccatum » viri. Justam autem causam habebit petendi, si ipsa esset » in periculo incontinentiæ, vel si deberet alias privari » suo jure petendi plus quam semel vel bis, cum perpe- » tuo scrupulo an ei sit satis grave incommodum vel » ne tunc se continere. » Ita quoque sentit Pœnitentiarius major, Card. de Gregorio, in admonitione ad præfatam S. Pœnitentiariæ responsionem anni 1816, quamvis addat, S. Pœnitentiariam hac de re decisionem dare recusasse, quoniam rem non ita exploratam credidit. « Sic, » ait, « cum non paucis gravibus probatisque theologis sentio » in expositis circumstantiis posse uxorem debitum etiam » a viro suo petere, si ipsa in periculo incontinentiæ

» versetur. Etenim, ut theologi isti dixerunt, hoc etiam in » casu minime censetur uxor viri sui peccato cooperari, » cum ipsa tunc debitum petens, jure suo utatur, atque » utatur quidem ex justa causa, ne videlicet in pecca- » tum incontinentiæ labendo, grave malum animæ suæ » consciscat. »

N. 46. De voto, affinitate et cognatione spirituali in ordine ad petitionem et redditionem debiti.

Inter circumstantias se tenentes ex parte personæ petentis, et non ad libitum amovibiles, quæ petitionem illicitam facere possent, præcipuæ censentur : votum castitatis, affinitas et cognatio spiritualis contracta durante Matrimonio, atque dubium de valore Matrimonii : de ultimo agetur N. seq.; de tribus reliquis hoc N. in particulari disseritur.

I. *Quid facit votum simplex castitatis unius conjugum circa petitionem et redditionem debiti?*

R. 1°. Habens tale votum validum, nec legitime irritatum aut dispensatum, non potest petere debitum, alioquin peccaturus mortaliter contra votum, toties quoties petit : idque sive votum sit emissum ante, sive post contractum Matrimonium. Ratio, quia votum servari debet quantum, illæso jure alterius, fieri potest; illæso autem alterius jure, a petendo abstinere potest. Excipiendi igitur sunt casus, in quibus vi Matrimonii petere deberet, juxta dicta N. 43 : quia nimirum videt conjugem in periculo incontinentiæ, aut hujus desiderium intelligit; in his enim casibus moraliter reddit, potius quam petit.

Habens votum castitatis non potest petere debitum,

2°. Tenetur semper reddere debitum juste exigenti. Ratio est, quod obligatio justitiæ reddendi debitum, præponderet obligationi voti : nam per validum Matrimonium conjugi datum est jus in re, cum ejus traditione : dum votum illud simplex est tantum mera promissio, quæ strictiori juri non potest prævalere.

sed tenetur reddere juste exigenti.

Dictum est, *juste exigenti :* excipi enim debent casus N. 44 expositi, in quibus conjux non habet jus exigendi adeoque cessat obligatio reddendi debitum. Cum tunc

justitia non obliget ad reddendum, habens votum castitatis, sine alterius injuria potest negare, adeoque vi voti debet; nisi forte ex negatione timerentur gravia mala, ob quæ votum non obliget.

Quid si conjux positive consenserit in alterius votum?

Quid si alter consentiendo renuntiaverit juri suo,

R. Videtur distinguendum. Si consentiendo expresse intenderit in favorem alterius renuntiare juri suo, tunc neuter petere potest; nam etiam vovens acceptando alterius renuntiationem ex circumstantiis censetur jus suum omnino abdicare. Consequenter neuter etiam poterit reddere : cum enim redditio ex justitia non debeatur, esset voti violatio, aut violationis cooperatio.

Si autem consentiens non intenderit juri suo renuntiare, censetur tantum consensisse, salvo jure proprio; adeoque ipse poterit petere, et vovens tenebitur reddere petenti. Itaque intentio conjugis, consentientis in alterius votum, bene examinanda est.

Quid si ambo voverint ex mutuo consensu?

aut ambo voverint,

R. Tunc uterque juri suo in favorem alterius censetur renuntiasse : adeoque neuter poterit petere, nec reddere debitum petenti, propter rationes supra allegatas.

An contrahens Matrimonium, conscius voti alterius, potest petere debitum?

aut unus alterius voti conscius contraxerit.

R. Primo bimestri non potest petere; quia cum altera pars non possit reddere, esset eam sollicitare ad malum.

Elapso autem primo bimestri, aut semel consummato Matrimonio, probabilius potest petere. Quamvis enim contrahendo ambo deliquerint, attamen per sacrilegum istud Matrimonium unus acquisivit verum dominium in corpus alterius; ita ut petenti debitum, alter debeat reddere ex justitia, adeoque neuter reddendo peccet, nec petendo ille qui a petendo non impeditur suo voto.

An valet votum castitatis, quod facit unus conjugum, inscia vel non consentiente comparte?

Votum castitatis inscio aut invito conjuge emissum

R. 1°. In quantum hoc votum importaret obligationem non reddendi debitum, certum est, quod non valeat; quia eatenus est contra jus alterius et de re illicita.

2°. Quantum importat obligationem non petendi debitum, non convenit inter auctores, an sit validum.

Steyaert censet esse invalidum, quia est in præjudicium compartis, in quantum Matrimonium sic redditur

ei onerosius. Ita etiam videtur sentire S. Alphonsus de Ligorio, lib. 4, n. 255, saltem de voto castitatis a viro emisso.

probabilius est validum,

Communiter tamen censent, votum catenus validum esse, et probant ex cap. *Quidam* et *Placet*, *De conversione conjugatorum*, lib. 3 Decretal. Cfr. Sanchez, lib. 9, disp. 35, n. 25.

sed disputatur an a comparte possit irritari.

Sed qui dicunt esse validum, disputant, an possit hoc votum irritari a comparte.

Quidam generatim negant cum S. Bonaventura aliisque citatis apud Sanchez, lib. 9, disp. 39, n. 10; quia, quoad jus petendi debitum, conjuges sunt liberi et æquales, nec unus subditur alteri, nec votum præjudicat juri alterius.

Alii dicunt, maritum posse irritare hujusmodi votum suæ uxoris. Ita omnes illi, qui generatim sustinent, maritum posse irritare omnia uxoris suæ vota; quorum sententiam saltem extrinsece probabiliorem dicit S. Alphonsus, lib. 4, n. 254. Cfr. Sanchez, disp. cit., n. 4 et 10.

Alii denique etiam admittunt, uxorem posse irritare hujusmodi votum mariti sui: horum sententiam rejicit Sanchez, disp. 42, n. 7, sed eam tenent Estius, Necsen, Layman etc., quia valde grave esset pudori uxoris, cogi semper ad petendum.

Nota 1°. Quod votum castitatis, sive ab utroque sive ab alterutro emissum, ordinarie sit illicitum, præsertim si conjuges sint juniores et cohabitare teneantur: quia decrescit amor conjugalis, remittitur animorum nexus acriusque pungit carnis stimulus; quapropter regulariter confessarius tale votum nec suadere, nec permittere potest. Quando autem emissum est, ordinarie petenda est dispensatio.

Nota 2°. Quod post contractum Matrimonium, per se petitionem vel redditionem debiti non impediat votum non nubendi vel suscipiendi Ordines sacros; neque post Matrimonii consummationem eas impediat votum ingrediendi religionem. Videndum tamen, an ex intentione voventis hæc vota non includant votum servandæ castitatis.

II. *Quid facit affinitas contracta cum conjuge, circa petitionem aut redditionem debiti?*

Affinitas

Prænotandum. Affinitas cum conjuge non contrahitur

cum comparte quomodo contrahatur.

ex incestu cum propriis consanguineis, sed ex incestu cum consanguineis conjugis tantum. Postquam Concilium Tridentinum impedimentum affinitatis ex copula illicita ad secundum gradum restrinxit, ut suo loco videbimus, similiter prohibitio usus Matrimonii, ob affinitatem contractam stante Matrimonio, restricta fuit ad incestum intra duos primos gradus. S. Alphonsus de Ligorio, n. 1070, refert declarationem Gregorii XIII in hanc rem. Porro ad contrahendam affinitatem requiritur copula consummata, seu ex se sufficiens ad generationem. His præmissis,

Qui illam contraxit petere non potest,

R. Qui, ob incestum formalem cum persona consanguinea conjugis in primo aut secundo gradu, contraxit affinitatem cum comparte, nisi excuset eum ignorantia, excidit jure petendi debitum, ita ut mortaliter peccet, quoties petit.

sed reddere debet innocenti,

Conjux innocens petere potest, et petenti tenetur incestuosus reddere : injustum enim esset, quod ille jure suo frustraretur absque culpa. Utrumque clare deducitur ex tit. *De eo qui cognovit,* lib. 4 Decretal.

juste petenti.

Quando autem conjux jus non habet debitum exigendi, adeoque incestuosus sine injuria negare potest, negare tenetur, quemadmodum de habente votum supra dictum est. Ratio, quia tunc deest unica ratio, ob quam jura tali incestuoso copulam carnalem concedunt, nimirum obligatio justitiæ erga compartem.

Supponitur incestus formalis.

Dictum est, *ob incestum formalem ;* quia hæc prohibitio se habet per modum pœnæ, adeoque supponit culpam formalem. Unde mulier violenter oppressa a consanguineo mariti sui, non impeditur petere debitum, cum nullam commiserit culpam. Idem tanquam probabilius admittit S. Alphonsus, n. 1071, contra Sanchez aliosque, si mulier fuit gravi metu coacta. Ratio, quia sicut metus gravis mali excusat a lege ecclesiastica, ita etiam a pœna per ipsam imposita.

Nec excidit jure maritus, qui carnaliter cognoscit fœminam, quam ignorat esse uxoris suæ consanguineam, quia etsi formale hoc sit adulterium, non est formalis incestus. Imo cum cap. *Si quis,* cit. tit., dicatur : qui *scienter* cognovit, concludunt plures, excusare a pœna ignorantiam facti etiam crassam et supinam.

Plures etiam probabilius sustinent, in foro conscientiæ

ab hac pœna excusare ignorantiam juris invincibilem, qua quis ignorat dari legem ecclesiasticam specialiter prohibentem hoc crimen; quia sicut ignorantia legis humanæ excusat ab ejus transgressione, ita etiam a pœna per ipsam imposita excusat, saltem in foro conscientiæ. Non æque probabile est, nec ita tutum in praxi, quod excuset etiam a pœna vincibilis ignorantia legis, aut etiam sola ignorantia pœnæ. Ignorantia autem legis raro hic invincibilis censenda est, cum facile quisque scire possit specialius prohibitum, seu gravius esse peccatum adulterium cum sorore v. g. aut consobrina conjugis, quam cum aliena. Cfr. S. Alphonsum, n. 1074.

An conjugi incestuoso si petat debitum, debet vel potest innocens reddere?

Incestuoso petenti innocens reddere non debet,

R. 1°. Reddere non debet, quia alter amisit jus ad debitum in pœnam delicti. Unde in eo differt ab habente votum castitatis, cui, cum jus ad debitum non amiserit, debetur ex justitia, licet ipse voto prohibeatur exigere. Nec tantum incestuosus amisit jus suum ob incestum, sed etiam ob adulterium, nisi istud forte adulterio compartis compensatum sit, aut condonatum, secundum dicenda N. 56.

sed probabilius potest.

2°. Probabilius tamen reddere potest. « Ratio, » inquit S. Alphonsus de Ligorio, n. 945, « quia licet incestuosus sit » privatus jure suo, conjux tamen innocens, cum habeat » jus petendi a fortiori habet jus reddendi, alioqui grave » onus deberet subire, maxime uxor, si semper deberet » petere; imo magis scrupulis deberet angi, existimans, » ne forte moveatur ad reddendum ex tacita petitione » alterius; hoc autem onus satis excusat a cooperatione » ad materiale peccati, quod committit incestuosus. Tutius » autem erit, ut diximus, ut conjux innocens ipse petat. »

Si uterque conjux hujus criminis reus esset, neuter posset petere aut reddere, cum uterque jus ad debitum amisisset. Idem existimat Sanchez, si unus alterius crimini cooperatus fuisset consilio vel auxilio, quia lex reservat jus petendi tantum in favorem innocentis; in casu autem compars non esset expers criminis.

Cognatio spiritualis quomodo inter

III. Circa cognationem spiritualem Matrimonio supervenientem, notandum : 1°. Virum illam contrahere posse cum uxore, si ipsam ejusve prolem baptizet, aut suscipiat

conjuges exoriatur.

tanquam patrinus in Baptismo, aut in Confirmatione : eadem ratione eam contrahere potest uxor erga maritum.

Notandum 2°. Si quis in necessitate baptizet, certum est, propterea non interdici usu conjugali ; cum hæc prohibitio sit pœna, quæ non incurritur sine culpa : tunc autem nulla est culpa, sed potius meritum. Hæc porro necessitas certe habetur, quando nullus alius, nec vir nec mulier adest, qui personam in periculo mortis baptizare possit. Imo, juxta Pontas, Collet et alios, pœnæ locus tunc tantum esset, quando præsente sacerdote baptizaret.

Quemadmodum a pœna eximit necessitas ita quoque ignorantia, saltem invincibilis, sive facti, ut si quis nesciat prolem esse suæ uxoris ; sive juris, ut si ignoret dari legem ecclesiasticam hoc prohibentem ; sicut supra de incestu dictum est. His præmissis, quæstio est :

An in casu, quo quis scienter et extra necessitatem baptizet aut suscipiat conjugem ejusve prolem, amittit jus ad debitum ?

Graves auctores negant per illam amitti jus ad debitum,

R. Disputatur : Suarez, Pontius, aliique cum Glossa in cap. *Si vir,* negant; quia in jure hæc pœna non decernitur. Antiquiores enim canones, quibus decernebatur, fuerunt correcti per cap. *Si vir, De cognatione spirituali, lib.* 4 Decretal., ubi Alexander III agens de eo, qui in Baptismo proprium et uxoris filium suscepit, dicit : *Nobis videtur, quod, sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere.* Cfr. S. Alphonsum de Ligorio, lib. 6, n. 150.

sed communiter affirmant,

Communior vero sententia affirmat, et præsertim nititur auctoritate doctorum, qui communissime ita tenent; nec admittunt, jus antiquum in hoc puncto fuisse correctum dicto cap. *Si vir,* quod illi aliter quam Glossa, interpretantur. Cfr. Sanchez, lib. 9, disp. 26, n. 7.

et eadem fere ratione ac per affinitatem.

Secundum hanc igitur sententiam, qui cum comparte cognationem spiritualem contraxit, debitum petere non potest, sed alteri reddere debet, nisi hic particeps sit delicti; eadem quidem ratione ac ille qui per incestum factus est conjugi affinis. Eodemque modo ac supra respondendum est ad quæstionem : an pars innocens reddere possit aut debeat alteri illicite petenti.

N. 47. An in dubio circa valorem Matrimonii liceat petere aut reddere debitum.

Constat imprimis, quod ille qui certo cognoscit, Matrimonium suum esse nullum, non possit petere aut reddere debitum, quamvis per censuras, carcerem vel pœnam mortis cogeretur; quia certam et formalem committeret fornicationem.

Quid dubius de valore Matrimonii sui agere potest aut debet, quoad petitionem vel redditionem debiti conjugalis?

R. 1°. Si dubium ortum ducat ex levi et temeraria credulitate, tanquam scrupulus deponi debet : et potest talis, deposito dubio, reddere et petere debitum. — Dubium temerarium deponendum.

2°. Si dubium sit probabile et discretum, non potest dubitans petere debitum, saltem ante diligentem inquisitionem ; quia se exponeret periculo copulæ ratione sui fornicariæ, sine gravi et legitima causa; adeoque periculo peccandi formaliter. — Cum dubio probabili ante inquisitionem non licet petere ;

Debet tamen dubitans ordinarie reddere alteri petenti. — sed ordinarie oportet reddere.

Hæc omnia clare decidit Innocentius III, in cap. *Inquisitioni, De sententia excommunicationis,* lib. 5 Decretal.: *Credimus distinguendum, utrum alter conjugum pro certo sciat impedimentum conjugii,... quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit : an non sciat pro certo, sed credat. In primo casu debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale. In secundo distinguimus, utrum habeat conscientiam hujusmodi ex credulitate levi et temeraria, an probabili et discreta. Et quidem ad sui pastoris consilium, conscientia levis et temerariæ credulitatis explosa, licite potest non solum reddere, sed exigere debitum conjugale. Verum cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili et discreta, quamvis non evidenti et manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.*

Similem decisionem dat Lucius III, cap. *Dominus, De secundis nuptiis,* lib. 4 Decretal., ubi loquens de eo qui

Matrimonium contraxit, *non habita obeuntis conjugis certitudine*, ait : *Si vero aliquis vel aliqua.... de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei quæ sibi nupsit, debitum non deneget postulanti : quod a se tamen noverit nullatenus exigendum.*

Ratio autem harum decisionum esse videtur, quatenus prohibetur petitio, quod petens in casu se exponeret imprudenter periculo fornicationis ; quatenus vero præcipitur redditio, quod prævalet jus probabile conjugis debitum exigentis, et periculum gravis scandali, iræ, blasphemiæ etc. contra periculum fornicationis, aut etiam contra periculum adulterii, in casu dubii de morte prioris conjugis.

Atque hinc infertur, debitum quoque negandum esse quamdiu peti non potest, si non urgeat ad reddendum jus conjugis, v. g. tempore primi bimestris, et in cæteris circumstantiis, de quibus N. 44, nisi forte grave malum ex negatione timeretur. Ideo diximus *ordinarie* esse reddendum.

Dictum est supra, debitum peti non posse, *saltem ante diligentem inquisitionem*, sed quæstio est :

An post adhibitam debitam diligentiam ad cognoscendam veritatem, dubio perseverante, licet petere debitum ?

Post debitam inquisitionem præterquam in dubio impotentiæ,

R. 1°. Si dubium sit de impedimento impotentiæ, Ecclesia concedit triennium ad experiendum, si prius non probetur certa impotentia. Ita habet Cœlestinus III, in cap. *Laudabilem, De frigidis et maleficiatis*, lib. 4 Decretal.: *Sentimus, ut a tempore celebrati conjugii, si frigiditas probari non posset, cohabitent per triennium.* Tunc igitur et petere et reddere licet. Specialis vero hic militat ratio : quod copulæ attentatio unicum sit medium veritatem cognoscendi, an scilicet impotentia perpetua sit, necne.

disputatur an liceat petere : multi negant ;

2°. Si dubium versetur circa aliam causam invaliditatis, præsertim in duplicem abeunt sententiam theologi.

S. Thomas, S. Bonaventura, quos alii multi sequuntur, negant; quia petens in dubio semper se exponit periculo committendi fornicationem, nec excusatur necessitate, ut in reddendo; tum quia citati supra Pontifices in decretis suis sine distinctione dicunt, dubitantem non posse petere.

plures affirmant in

Alii vero non pauciores cum Sanchez, lib. 2, disp. 41, n. 43 et seq., sustinent, quod si bona fide contractum

fuit Matrimonium, et dubium postea subortum, omnibus adhibitis inquisitionis mediis, adhuc perseveret, conjux dubitans deinceps dubium spernere et debitum petere possit. casu bonæ fidei;

Ratio, quia ab una parte possessio tunc prævalet in favorem Matrimonii et conjugum. Agitur enim de jure proprietatis, an scilicet mulier sit viri necne, in qua re multum valet possessio, non tantum in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ. Atqui, vi contractus matrimonialis bona fide initi, vir acquisivit uxoris possessionem, qua non nisi certis argumentis privari debet : possessor autem bonæ fidei, sicut post diligentiam potest rem retinere, sic etiam potest illa uti.

Agitur etiam de valore contractus, atqui in dubio, secundum jura, standum est pro valore actus.

Ab alia vero parte, ob grave detrimentum, quod alias subire deberet, conjugi manens obstrictus et ad cohabitandum obligatus, quin juribus Matrimonii frui liceret, permissive se habere potest ad periculum fornicationis materialis, quæ forte in actu conjugali committitur ex errore, qui jam censetur invincibilis; non secus ac se permissive ad illud periculum habet, dum conjugi petenti debitum reddit, aut sicut dubie impotens permissive se habet ad periculum pollutionis, quam tentando copulam causare solet.

Nisi vero, aiunt, propter contractum atque possessionem bonæ fidei, in favorem conjugum et pro valore Matrimonii esset judicandum, videtur quod nec actus conjugalis dubitanti permitti posset per modum redditionis, sed potius omnis usus Matrimonii dubii interdicendus esset, et vel dubium alteri manifestandum, vel alius quærendus prætextus servandi continentiam, uti fit dum certa est nullitas.

Porro decreta pontificia supra allata sic explicant, ut ea intelligant de petitione dubitanti prohibita ante diligentem inquisitionem; non vero post adhibitam diligentiam, quo casu petens, deposito dubio practico, *contra judicium conscientiæ, offensam committere* dici nequit.

Contrariæ sententiæ patroni his rationibus non acquiescunt. Ipsi sustinent, possessionem hic eo usque non prævalere, ut licitam reddat petitionem : quia non potest

possessio hic tribuere dominium rei, aut licitum ejus absque dominio usum, ut contingit in rebus fortunæ, quæ dispositioni legis humanæ subsunt et præscriptione acquiruntur; nec potest minuere quidem vim rationum ob quas judicatur v. g. consanguinitas probabiliter existere, adeoque Matrimonium esse probabiliter nullum : eamdem illæ vim habent post ac ante Matrimonium. Neque dubium magis auferre potest principium istud, quod in dubio judicandum est pro valore actus.

Addunt, quod perseverantia dubii post debitam inquisitionem non recte dicatur efficere ignorantiam impedimenti invincibilem, sed potius invincibile dubium.

Quod vero in dubio reddi potest, est ob alterius probabile jus bona fide acquisitum, quod tam probabiliter et cum magno ipsius scandalo læditur per negationem, quam castitas per redditionem : adeoque minus malum eligendum.

Unde ob adductas rationes judicant, sine distinctione standum esse supra relatis Pontificum judiciis.

Sententiam Sanchez longe communiorem et probabiliorem dicit S. Alphonsus, n. 904.

2 In praxi, si circumstantiæ id ferant, quantocius convalidari, seu certiorari potest Matrimonium dubium, per renovationem consensus, aut per dispensationem, secundum quod casus exigit.

non in casu malæ fidei unius

Si Matrimonium fuit mala fide contractum ab uno, tunc hic etiam reddere tenetur, sed juxta probabiliorem et communiorem sententiam non potest petere, quamdiu durat dubium, quia nequidem legitime possidet. Attamen S. Alphonsus de Ligorio non improbabile putat, illum posse petere, si instituto debito examine, dubium perseveret, et præsertim si probabile suppetat argumentum pro valore Matrimonii.

aut utriusque.

Si mala fide esset contractum ab utroque, neuter posset petere aut reddere; id certissimum reputat Sanchez, disp. 42, n. 8, quia neutri suffragatur possessio mala fide incœpta. Videtur autem iterum dicendum, quod Matrimonio possent uti, quando jam probabilius constat illud esse validum, seu impedimentum non subesse. Si vero dubium versaretur circa mortem prioris conjugis, tunc uti non possent Matrimonio, sive petendo sive reddendo,

nisi probabilissime seu moraliter certo constet de morte illius : alias enim semper prævalet jus prioris conjugii contra mala fide contrahentes.

Pro casu dubii de morte prioris conjugis, etiamsi nuptiæ initæ fuerint bona fide, cfr. S. Alphonsum, n. 906.

An oportet reddere debitum dubitanti, illicite petenti ?

Quando dubitanti sit reddendum.

R. Varii casus hic secernendi sunt : agitur 1°. de dubitante, qui bona fide contraxit, et petit ante inquisitionem veritatis ; 2°. de eodem petente, si dubium perseveret post inquisitionem ; 3°. de petente, qui solus mala fide contraxit, quamdiu dubitat ; 4°. de casu quando uterque contraxit mala fide.

In primo casu communiter dicunt, quod alter non tenetur reddere ; quia dubitans jus non habet ad debitum ante inquisitionem veritatis ; et si alter similiter dubitaret, juxta plures reddere non posset, nisi forte ad vitanda graviora mala ex negatione secutura.

In secundo casu, ubi probabiliter dubitans potest petere, etiam in sententia hoc negante, petenti reddendum est ; quia equidem jus probabile habet in conjugem, adeoque negans se exponit periculo injustitiæ et scandali, quod prævalet periculo fornicationis.

In tertio casu juxta probabiliorem et communiorem sententiam dicendum est, quod petenti conjux non tenetur reddere, quia petens jus non habet defectu possessionis bonæ fidei, quamdiu non constat probabilius valere Matrimonium, aut non constat certo in casu dubii de morte prioris conjugis. Videtur tamen reddere posse alter qui est possessor bonæ fidei, quatenus ipse petere potest, adeoque ipsi licet actus conjugalis, ad quem solum cooperatur, non ad petitionem illicitam alterius.

In quarto casu, quando uterque mala fide contraxit, jam innuimus petenti debitum reddi non posse, quamdiu durat dubium, quia neutri suffragatur possessio.

Consulto monet Braunman, cavendum esse parti dubitanti, ne dubium suum, aut dubitandi rationem imprudenter alteri manifestet, ob gravissima mala quæ ex ista manifestatione sæpe timenda sunt : sed dubitans exquirat judicium prudentis confessarii, qui rem ex circumstantiis resolvet.

Regulæ

Regulas quasdam, ad discernendum an gravis sit vel

ad ponderandum dubium.

levis dubitandi ratio, sequentes tradit S. Alphonsus de Ligorio, n. 908 :

« Prima regula est, quod, ordinarie loquendo, non tenetur conjux credere alteri asserenti se ficte consensisse, etiamsi id affirmet cum juramento, ex cap. *Per tuas, De probationibus*... Dicitur *ordinarie loquendo*, nam aliter dicendum, si ex circumstantiis aliter censendum esset... »

« Secunda regula est, quod si quis audiat a personis non fide dignis, vel ex fama a nullo auctore certo exorta, adesse impedimentum, licite potest Matrimonium contrahere, aut post contractum reddere et petere debitum; quia talis fama aut dictum non habetur ut ratio prudens dubitandi. »

« Tertia regula est, quod dictum unius testis fide digni de impedimento, aut fama publica ex certo auctore sufficit, ut quis teneatur veritatem inquirere, et interim abstinere a petendo debito; quia cum talis ignorantia tunc sit vincibilis, in dubio non potest operari. Non sufficit tamen hoc ut teneatur debitum negare. »

N. 48. Ob quos fines actus conjugalis exerceri possit.

Quinam sunt fines, ob quos certe licitum est actum conjugalem exercere?

Certe licitus est actus conjugalis, ex fine generationis prolis, et redditionis debiti;

R. Sunt duo : scilicet, *generatio prolis* et *redditio debiti*. Prior finis spectat ad bonum prolis; potest insuper referri ad virtutem religionis, quatenus cum generatione prolis una intenditur educatio ad cultum Dei. Posterior finis, seu redditio debiti, spectat ad bonum fidei, adeoque ad virtutem justitiæ.

Non autem requiritur ad liceitatem actus expressa et formalis intentio generationis prolis, aut redditionis debiti; sed sufficit virtualis et implicita, qualis habetur in illo qui vult copulari conjugi, prout leges Matrimonii permittunt, licet actu de prole aut debito non cogitet.

Qui habendo copulam desiderat non generari prolem, peccat; sed, juxta communem sententiam, non nisi

venialiter, dummodo simul non intendat adhibere media, quibus generatio prolis impediatur,

An licitum est petere debitum conjugale ex solo fine vitandi propriam incontinentiam, non concurrente fine generationis prolis, aut redditionis debiti?

an liceat causa vitandæ incontinentiæ propriæ, est dubium.

R. Multi negant, cum SS. Augustino et Thoma, qui non agnoscunt alios legitimos fines exercendi actum conjugalem, præter duos memoratos. Ita S. Augustinus, *De bono conjugali*, cap. 7 : *Reddere debitum conjugale, nullius est criminis; exigere autem ultra generandi necessitatem, culpæ venialis.* Et S. Thomas, Supplem. quæst. 49, art. 5, in corp. : *Duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causa procreandæ prolis, et debiti reddendi : alias autem semper est ibi peccatum ad minus veniale.* Et eod. art., ad 2, interpretans textum Apostoli, I Cor. VII : *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat;* dicit : *Si aliquis per actum Matrimonii intendat vitare fornicationem in conjuge, non est aliquod peccatum, quia hæc est quædam redditio debiti; sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua infirmitas, et secundum hoc est peccatum veniale, nec ad hoc est Matrimonium institutum, nisi secundum indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus.*

Ratio hujus sententiæ est, quod Matrimonium non sit institutum in remedium concupiscentiæ immediate, sed tantum mediate, mediante scilicet actu exercito ex alio fine honesto. Unde qui actum exercet unice ad sedandam libidinem, et sic vitandum periculum incontinentiæ, ille videtur cedere libidini; in quo est inordinatio, levis tamen, quia non excedit limites Matrimonii.

Multi vero alii affirmant licere, inter quos S. Alphonsus de Ligorio, qui n. 882, commemorato supracitato loco S. Thomæ, ait : « Sed venia tanti Doctoris, cujus sententiis universe obsequi in cæteris ego studui, magis propria videtur interpretatio S. Joannis Chrysostomi,.... nempe quod illud *propter fornicationem* non intelligatur de vitandi fornicatione conjugis, sed propria : idque videtur patere ex contextu ejusdem Apostoli in dicto cap. VII, ubi dicitur : *Bonum est homini mulierem non tangere : propter fornicationem autem unusquisque suam*

» *uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat.* En » quomodo Apostolus viris consilium præbet, ut absti- » neant a tactu mulierum; si vero ipsi in periculo sint » incontinentiæ, ne incidant in fornicationem, remedium » non solum permittit, sed suadet, dicendo : *Unusquis-* » *que suam uxorem habeat.* Et quamvis addat : *Hoc autem* » *dico secundum indulgentiam, non secundum imperium ;* » id tamen profert pro iis qui non sunt incontinentes, » quibus tantum permittit nubere, sed suadet a nuptiis » abstinere, dum ait : *Dico autem non nuptis et viduis,* » *bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego.* Neque hic » *indulgentia* importat permissionem culpæ venialis; ve- » rius enim... *indulgere* non est veniam dare ad leviter » peccandum, sed permittere ut licitum. Cum autem D. » Paulus sermonem revocat ad eos qui sunt in periculo » incontinentiæ, non solum permittit, sed etiam ipsos ad » nubendum absolute hortatur, dicens : *Quod si non se* » *continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri.* Tò » enim *nubant* verius hortationem, quam permissionem » importat. Id bene confirmatur ab eo, quod dicit Apo- » stolus eodem loco, ubi loquens de conjugibus scribit : » *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tem-* » *pus, ut vacetis orationi : et iterum revertimini in idipsum,* » *ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* Si » licet ergo conjugibus debitum petere, tantum ad vitan- » dam incontinentiam, licebit etiam ob eumdem finem » Matrimonium inire. »

Inter tam graves utrimque auctoritates ancipites hæremus. Pro praxi vero concludimus cum Billuart, qui ipse adhæret sententiæ S. Thomæ : « Sedulo advertant con- » fessarii, nunquam avertere a Matrimonio contrahendo, » aut copula exercenda, eos qui dicunt, se id velle in » remedium concupiscentiæ; ne sapientes supra Aposto- » lum eos inducant in mortalia, quos a venialibus indi- » screte retrahere satagunt. Idem agendum cum iis qui » accedunt ad mulieres steriles, senes, aut gravidas, cum » sit par ratio. Imo expedit nunquam de hac materia » loqui coram uxoratis, utramvis sententiam teneas : si » enim dicas, id licere, ampliabunt ultra limites; si dicas, » ipsis non licere, eris ipsis in laqueum ad graviora per- » petranda. »

An, et quantum peccatum est, exercere actum conjugalem ob solam voluptatem ?

Habitus ob solam voluptatem est peccatum,

R. ad 1. Affirmative ; quia sic invertitur ordo a Deo constitutus, secundum quem delectatio ordinatur ad opus, non contra; igitur quando opus ordinatur ad delectationem, invertitur ille ordo. Hinc ab Innocentio XI damnata est hæc propositio : *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.*

ex se veniale tantum.

R. ad 2. cum S. Augustino et S. Thoma, quæst. 49, art. 6, in corp., esse solummodo ex natura sua veniale. « Quia, » ait S. Alphonsus de Ligorio, n. 912, « delectatio » de aliquo objecto ex duplici tantum capite potest esse » mortalis, vel quia objectum ipsum est graviter vetitum, vel quia homo delectatur de illo tanquam ultimo » fine ; sed in hac delectatione neutrum intervenit; non » primum, ut patet; non secundum, ut supponitur. »

An in actu relato ad debitum finem licet delectationi consentire, aut eam secundario intendere ?

R. Negat Sylvius, eo quod illa delectatio in natura corrupta in se sit turpis et rationem obscurans.

Secundum multos peccatum non est delectationi consentire ; nec eam secundario moderate intendere ;

Alii cum Soto, Sanchez etc. dicunt, nullum esse peccatum consentire delectationi ; quia natura actui illi delectationem adjunxit propter necessitatem conservandæ speciei, qui alioquin negligeretur, signanter a fœmina cui multa adfert incommoda ; sicut sumptioni cibi et potus annexa est delectatio propter conservationem individui. Quapropter etiam licitum putat S. Alphonsus de Ligorio, loc. cit., eam moderate intendere, dicens : « Nullum erit » peccatum, ut recte aiunt Croix et Viva, si conjux » principaliter intendat procreationem prolis, et utatur » voluptate, eam moderate intendens, ut se excitet ad » copulam; sicut pariter minime peccat, qui intendit moderatam delectationem in comedendo, ad præstandum » corpori conveniens alimentum. » Unde sola immoderatio, et excessivus voluptatis affectus videtur culpandus.

aut secundario finem honestum intendere.

A fortiori non est culpandus, qui actum exercens ex debito fine, secundario intenderet alium finem honestum, v. g. corporis sanitatem. E contra peccaret venialiter, qui unice sanitatis causa illum exerceret : S. Thomas, art. 5, ad 4.

Quomodo ratione finis aut affectus in actu conjugali peccari potest mortaliter?

Mortaliter peccari potest ratione finis, aut affectus inordinati.

R. Ratione finis, si intendatur finis mortaliter malus; v. g. si vir intendat procurare aut accelerare mortem conjugis.

Ratione affectus, si quis coeat animo fornicario aut adultero; v. g. si accedens ad uxorem, actu paratus sit ad eam accedere, licet uxor non foret, peccat mortaliter. Ita S. Thomas, art. 6, in corp.: *Si aliquis in conjuge non attendat quod conjux est, sed solum quod mulier, paratus idem facere cum ea, si non esset conjux, est peccatum mortale.* Peccatum etiam mortale est, si tempore actus conjugalis affectum et delectationem habeat erga personam aliam, cujus etiam qualitates tunc sunt in confessione exprimendæ, puta quod sit conjugata, consanguinea etc. Id præcipue cavendum est in bigamo, ne, dum copulatur uxori secundæ, affectum ponat in priori.

N. 49. De peccatis carnalibus conjugum inter se.

In præcedentibus numeris expendimus quomodo conjuges circa debiti petitionem vel redditionem peccare possint, sive ratione indebiti finis, modi, temporis, loci, sive propter alias circumstantias se tenentes, ex parte personæ vel ex parte ipsius actus: restat inquirendum quomodo peccent conjuges per aspectus, tactus, aliosve actus impudicos.

Circa tactus etc. inter conjuges sæpe difficile scire an sint mortales an veniales tantum.

Generatim notandum, sæpe difficile esse in hac lubrica materia discernere quæ sint mortalia, quæ venialia tantum; ut vel ideo sollicite persuadendum sit conjugatis, ut libidinem refrænare studeant, et recordentur, se esse filios sanctorum, quos decet in sanctitate conjugali filios procreare: *Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore: non in passione desiderii, sicut et gentes, quæ ignorant Deum.* I Thess. IV, 4 et 5.

An et quantum peccatum committit conjux per tactus aut aspectus impudicos corporis compartis?

Si referantur ad copulam,

R. 1°. Si tactus illi aut aspectus referantur ad copulam habendam, de iis judicandum est sicut de ipsa copula,

adeoque per se nullam continent inordinationem. Si tamen ad copulam necessarii aut utiles non sint, sed unice quærantur ex voluptate, venialem malitiam continent, sicut ipse actus conjugalis ex voluptate exercitus.

idem ac de illa sit judicium;

2°. Si tactus aut aspectus propter solam voluptatem exerceantur, sine ordine ad copulam, distinguendum est: vel fiunt *cum periculo* pollutionis sive in alterutro sive in utroque, vel fiunt *sine tali periculo*.

si non referantur et ex sola voluptate habeantur, est peccatum mortale dum adest periculum pollutionis;

Si fiant *cum isto periculo*, probabilius sunt mortalia. Ita S. Alphonsus de Ligorio, n. 934, productis prius aliorum sententiis, ait: « Puto probabilius dicendum, quod actus » turpes inter conjuges cum periculo pollutionis, tam in » petente quam in reddente sint mortalia; nisi habeantur, ut conjuges se excitent ad copulam proxime secuturam, quia cum ipsi ad copulam jus habent, habent » etiam jus ad tales actus, tametsi pollutio per accidens » copulam præveniat. »

« Tactus vero pudicos (ut oscula et amplexus) etiam » censeo esse mortalia, si fiant cum periculo pollutionis » in se vel altero, casu quo habeantur ob solam voluptatem, vel etiam ob levem causam : secus, si ob causam » gravem, puta si aliquando adsit urgens causa ostendendi indicia affectus ad fovendum mutuum amorem, » vel ut conjux avertat suspicionem ab altero, quod ipse » sit erga aliam personam propensus. »

Probabilem tamen existimat ibidem sententiam Sanchez et aliorum, qui dicunt, in reddente tactus, etiam impudicos, nisi sint tales ut videantur inchoata pollutio, esse licitos, quamvis adsit periculum pollutionis in alterutro; quia tunc reddens dat operam rei licitæ, ad quam obligatur propter jus petentis, qui tametsi peccet, non tamen jus amittit, cum culpa se teneat ex parte personæ.

Si tactus aut aspectus turpes ex sola voluptate exerciti, fiant *sine periculo* pollutionis, probabilius sunt venialia tantum.

veniale dum abest hoc periculum,

Aliqui cum S. Antonino eos quidem mortaliter malos censent; quia putant omnem actum venereum, non relatum ad copulam conjugalem, esse mortalem. « Negat » vero sententia communis et verior, » ait S. Alphonsus, n. 933. Ratio, ut ibi prosequitur, « quia status conjugalis » sicut cohonestat copulam, ita etiam hujusmodi tactus

» et aspectus; alias enim, cum sit tanta inter conjuges » societas, et ipsi multoties non possint coire, jugibus » periculis essent expositi, si tales actus essent eis graviter » illiciti. Sicut autem delectatio quæsita in copula culpam » venialem non excedit, ita etiam in his tactibus et aspe- » ctibus. Et hoc etiamsi copula tunc ipsis esset vetita ob » morbum, vel esset impossibilis ob impotentiam, quæ » supervenisset, ut dicunt Sanchez, Croix,... quia, cum » copula sit licita inter conjuges, tactus inter ipsos non » possunt esse graviter illiciti. Secus vero dicendum, si » conjux esset ligatus voto castitatis, quia tale votum ex- » cludit omnem voluptatem veneream voluntarie captam.»

nisi sint valde infames.

Hanc tamen solutionem non extendit S. Præsul ad actus quosdam valde infames, qui ex natura sua ordinantur ad copulam sodomiticam seu contra naturam, etsi fierent sine periculo pollutionis.

An peccant mortaliter conjuges, si, incœpta copula, cohibeant seminationem?

Quantum peccatum sit cohibere seminationem in copula.

R. Ordinarie peccant mortaliter; quia ordinarie adest periculum pollutionis in alterutro, aut utroque. Si autem periculum hoc prudenter judicetur abesse, ut si conjuges experti sint oppositum, et ex mutuo consensu fiat, juxta S. Alphonsum de Ligorio, n. 918, non est mortale, sed reputatur instar tactus verendorum, qui inter conjuges non habet per se mortalem culpam.

Mortalis vero culpa est, si vir seminationem cohibeat, postquam seminavit uxor: idemque tenendum in praxi, censet S. Alphonsus, si, viro seminante, uxor cohibeat seminationem, aut cohibere tentet, v. g. animum idcirco ad alia divertendo.

Secundum eumdem, n. 919, contra Diana et alios, communius tradunt auctores, casu quo vir post seminationem se retrahat ante seminationem mulieris, hanc posse statim se tactibus excitare ut seminet; quia hoc pertinet ad complendum actum conjugalem, qui consistit in seminatione utriusque conjugis; tum quia secundum aliquos seminatio mulieris necessaria est ad generationem, secundum alios saltem valde utilis. Omnes autem concedunt, uxores quæ frigidioris sunt naturæ, posse tactibus se excitare ante copulam, ut seminent in congressu maritali statim habendo.

An est peccatum mortale tactus libidinosus, quem conjux habet cum seipso?

R. Si fiat cum periculo pollutionis, semper est mortale. Si absit periculum pollutionis, distinguendum est. Vel fit *comparte absente*, et tunc ex communi sententia, inquit Billuart, est etiam mortale; quia actus ille tunc ex natura sua non ordinatur ad copulam, sed ad pollutionem. Alii dicunt esse veniale. S. Alphonsus, n. 936, primam sententiam probabiliorem et in praxi omnino suadendam dicit. Vel fit *comparte præsente*, et tunc potest esse sine omni culpa, si ordinetur ad copulam. Si vero absit intentio copulæ, dicunt aliqui simpliciter tactum esse mortalem. Sed Billuart distinguit, dicens non esse mortalem, si conjux saltem habeat animum copulandi, casu quo excitetur; mortalem vero, si nullo modo habeat animum copulandi, licet excitetur: quia tunc tactus ille potius ordinatur ad pollutionem, quam ad actum conjugalem. Tactus proprii corporis quantum sit peccatum in conjugatis.

An et quomodo peccet conjux in absentia compartis delectando de copula habita vel habenda, vide in tract. *De peccatis*, et apud S. Alphonsum de Ligorio, n. 937.

Observandum denique, quod non deceat hæc lubrica in concionibus, aut alibi publice proponere, descendendo ad particulares casus. Licet tamen et convenit aliquando generaliter et sine explicatione dicere, etiam publice, quod conjugati possint in usu Matrimonii peccare, et quidem mortaliter; quod S. Franciscus Salesius declarat hac similitudine, quod possit quis in propria domo ex proprio vino se inebriare.

N. 50. De bono sacramenti seu Matrimonii indissolubilitate.

Prænotandum. Matrimonii indissolubilitas, ut dictum fuit N. 40, vocatur bonum sacramenti, quatenus illa strictior est propter rationem Sacramenti quæ Matrimonio inest, et qua unionem Christi cum Ecclesia significat. Quare bonum sacramenti dicatur indissolubilitas.

Porro duplici ratione significat hanc unionem, ut observat Innocentius III, cap. *Debitum, De bigamis non ordinandis*, lib. 1 Decretal., nimirum: per ipsum consensum

et conjunctionem animorum, significat unionem spiritualem Christi cum fidelibus per charitatem; per conjunctionem vero carnalem, qua duo sunt in carne una, significat unionem corporalem Christi cum Ecclesia per Incarnationem. Cumque hæc unio omnino indissolubilis sit et perpetua, dum prior in unoquoque fideli quamdiu vivit dissolvi potest per peccatum, hinc quoque accedit strictior indissolubilitas Matrimonio consummato.

Aliunde vero Matrimonio fidelium, in quo gratia confertur ad perficiendam naturalem animorum conjunctionem, unio spiritualis Christi cum Ecclesia per charitatem perfectius significatur, quam Matrimonio infidelium, quod nudam rationem signi sacri habet.

Unde omnimoda et absoluta indissolubilitas convenit Matrimonio rato et consummato; dum illud quod vel ratum non est, vel ratum tantum et non consummatum, in aliquo casu, non tamen pro libitu contrahentium, potest dissolvi, prout numeris sequentibus expenditur.

Reservatis illis exceptionibus, hic generatim Matrimonii indissolubilitatem tuemur.

Proba vinculum Matrimonii ex primæva institutione esse indissolubile.

Vinculum Matrimonii ex primæva institutione indissolubile esse, prob. I, ex verbis Adami.

R. Probatur I. *Ex Gen.* II, 23 et 24, ubi Adam expergefactus a sopore, in quo Deus extractam e latere ipsius costam ædificaverat in mulierem, exclamat : *Hoc nunc, os ex ossibus meis, et caro de carne mea... Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ : et erunt duo in carne una :* seu, ut observat S. Joannes Chrysostomus, *Hom.* 63 *in Matth.*, juxta vim verbi hebraici et græci : *agglutinabitur* uxori suæ; quo vocabulo apte exprimitur unio indissolubilis : quæ enim glutino adhærent invicem, ea frangeres potius quam dissolveres; et quæ una sunt caro, potius occideres, quam separares.

Prob. II, ex verbis Christi Domini.

Probatur II et confirmatur primum argumentum, *ex verbis Christi*, Matth. XIX, ubi a Judæis interrogatus, an liceat dimittere uxorem quacumque ex causa, sic respondit : *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et fœminam fecit eos ? et dixit : Propter hoc dimittet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Cum

deinde Judæi objecissent : *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere?* Salvator ait : *Quoniam Moyses ob duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras : ab initio autem non fuit sic.* Hic clare docet Christus, *ab initio,* adeoque secundum primævam et divinam institutionem, conjuges ita constringi connubiali vinculo, ut nulla humana voluntas aut potestas illud valeat dissolvere : *Quod Deus conjunxit, homo non separet ;* licentiam vero dandi libellum repudii postea concessam fuisse per modum derogationis ; ergo.

Prob. III, ex Concilio Tridentino.

Probatur III seu confirmatur ulterius primum argumentum, *auctoritate Concilii Tridentini,* quod, Sess. XXIV, doctrinam catholicam de Sacramento Matrimonii exponens, sic incipit : *Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit : Hoc nunc os ex ossibus meis,* etc. Si Adam ex instinctu Spiritus Sancti hic pronuntiavit, Matrimonii nexum esse perpetuum et indissolubilem, sequitur proin talem fuisse ex primæva Matrimonii institutione : quod erat probandum.

Proba vinculum Matrimonii sub lege evangelica esse indissolubile.

Indissolubile esse sub lege evangelica prob. I, ex Scriptura sacra.

R. Probatur I. *Ex Scriptura sacra,* ubi fortiter inculcatur Matrimonii indissolubilitas, apud tres Evangelistas et S. Paulum.

1°. Apud S. Matth., XIX, ubi verbis supra citatis, Salvator, sublata facultate dandi libellum repudii, Matrimonium ad primævam indissolubilitatem revocavit, et nulla humana voluntate aut potestate solvi posse statuit, dicens: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Et consequenter ibid., 9, et apud eumdem Evangelistam, V, 32, generaliter pronuntiat, quod ille qui dimissam a viro mulierem ducit, mœchatur, seu adulterat : hoc autem non esset, nisi, dimissa etiam uxore, maneret vinculum Matrimonii.

2°. Apud S. Marc., X, 11 et 12, similiter refertur Dominus dixisse : *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur.*

3°. Apud S. Luc., XVI, 18, idem sic legitur : *Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, mœchatur : et qui dimissam a viro ducit, mœchatur.*

In citatis textibus Christus generaliter loquitur : *Quicumque, omnis,* nullam causam excipiens. Unde S. Augustinus, *De conjugiis adulterinis,* lib. 1, cap. 9 : *Qui ergo sumus nos,* inquit, *ut dicamus, est qui mœchatur, uxore sua dimissa, alteram ducens, et est qui hoc faciens non mœchatur? cum Evangelium dicat, omnem mœchari, qui hoc facit.*

4°. Nec minus clare legem indissolubilitatis proponit S. Paulus, I Cor. VII, 10 et 11 ; *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere : quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* Dein, 39 : *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est : cui vult nubat : tantum in Domino.* Similiter, Rom. VII, 2 et 3 : *Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi... Igitur, vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro : si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri.* Clare hic docet Apostolus, vinculum Matrimonii firmum manere, quacumque de causa conjuges separentur, sola vero morte dissolvi.

Prob. II, ex Traditione.

Probatur II. *Ex Traditione.* Adeo constanter et unanimiter Patres, tam Ecclesiæ Græcæ quam Latinæ, Matrimonium indissolubile esse docent, ut vel ipsi adversarii fateantur, omnes indissolubilitatem Matrimonii christiani veluti regulam servandam prædicare et de una exceptione litem moveant, num scilicet, secundum Patrum doctrinam, propter adulterium sic solvi possit Matrimonium, ut liceat parti innocenti vel utrique ad alias transire nuptias : de quo N. seq. agitur.

Patribus consonant Concilia Eliberitanum et Arelatense sæculo IV, et Milevitanum II sæculo V, ita statuens : *Placuit, ut, secundum evangelicam et apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjungantur : sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur.* Ita postea plura alia, et signanter œcumenica Florentinum et Tridentinum.

Quo jure indissolubile est vinculum Matrimonii ?

Matrimonii vinculum indissolubile

R. 1°. Vinculum Matrimonii indissolubile est jure divino positivo, ut patet ex iis quæ supra allegavimus de indissolubilitate secundum primævam Matrimonii institutionem

et secundum legem Christi. Id certum est quoad Matrimonium consummatum; et probabilius videtur etiam quoad Matrimonium fidelium ratum tantum, contra Medina aliosque qui censent, Matrimonium ratum tantum esse sola lege ecclesiastica indissolubile. est jure divino,

2°. An Matrimonium, saltem consummatum, jure naturæ sit indissolubile non ita concordes sunt theologi.

Prima sententia contendit, Matrimonium ex solo etiam jure naturæ indissolubile esse, non quidem de jure naturæ primario, quod intrinsece et essentialiter mala prohibet, sed de jure naturæ secundario, quod ea proscribit quæ minus naturæ sunt consentanea, sic tamen ut vere obliget, et nullus sua privata auctoritate possit dispensare. Hanc sententiam sequenti ratiocinatione tuetur Tournely, *De Matrimonio*, quæst. 5, art. 2 : « Firmitatem hanc et in- » solubilitatem postulat natura et finis contractus conjuga- » lis. Natura quidem : Matrimonium enim est animorum » corporumque conjunctio ad individuam vitæ societa- » tem : at perit illa societas individua, si natura sua et » libero conjugum consensu dirimi potest; frigescit non » minus ac pene extinguitur amor, seu animorum conjun- » ctio, cum uni liberum est ab altero discedere : e contra » necessitas unionis perpetuæ arctius animos devincit et » ligat. Finis vero Matrimonii duplex est potissimum, » nempe generatio prolis et liberalis ejusdem educatio : » at uterque postulat firmum ac perpetuum conjugum » nexum. Quomodo enim certus erit prolis pater, si mu- » lier sæpius ad libitum repudiata pluribus conjungatur? » Quis prolem nutriet et educabit? Quis porro futurus » esset discordiarum ac dissensionum finis, non tantum in » familiis, sed in republica universa, si, disrupto conju- » gii fœdere, et mulier sine viro et proles sine certo patre » ac debita educatione destituta relinqueretur? Quibus » certe gravissimis incommodis occurrit sapientissimus » Architectus, ipsa naturæ lege ita firmans ac stringens » conjugii nexum, ut nulla privata possit auctoritate dis- » rumpi. » et juxta multos jure naturæ,

Secunda vero sententia, etsi admittat, rationem multum suadere, Matrimonium privata auctoritate nunquam dissolvendum esse, ob rationes a Tournely allegatas aliasque, quas pulchre evolvit De Bonald, in op. *Du divorce* aliis contradicentibus.

etc.; negat tamen, indissolubilitatem conjugii in omni casu ex solo jure naturæ probari posse. Laudatis enim argumentis demonstrari non videtur, saltem in iis casibus, ubi licita est perpetua conjugum separatio, Matrimonium, spectato solo jure naturæ, esse prorsus indissolubile. Ita Bellarminus, *De Matrimonio,* lib. 1; De Roskovany, *De Matrimonio in Ecclesia Catholica,* tom. 2, § 39, aliique.

Sedulo tamen observandum est, theologos posteriorem sententiam tuentes 1°. non absolute, generaliter, indistincte negare Matrimonii vinculum esse indissolubile jure naturæ, sive primario sive secundario; sed juxta eos Matrimonii indissolubilitatem non in omni casu ex solo jure naturæ posse probari; verum spectato solo jure naturæ solvi aliquando illud posse : 2°. eosdem, dum postremum hoc propugnant, minime id facere ut Matrimonii indissolubilitatem impugnent et humana auctoritate in ejusmodi aliquo casu solvi illud posse affirment, sed ut in jure divino positivo, et potissimum quidem propter Sacramenti rationem, indissolubilitatis fundamentum constituant, ac Matrimonii vinculum aliqua de causa, divina saltem dispensatione, solvi posse statuant. Cfr. Perrone, *De Matrimonio christiano,* lib. 3, sect. 2, cap. 1, art. 1. Ex heterodoxis e contra et pseudopoliticis alii absolute, generaliter et indistincte negant Matrimonium jure naturæ indissolubile esse, alii vero in particularibus quidem casibus tantum; sed tam hi quam illi variis de causis humana etiam auctoritate conjugale vinculum dissolvi posse asserunt. Eos igitur omnes, non vero theologos catholicos, qui secundæ sententiæ supra expositæ adhærent, attigit Summus Pontifex Pius IX in Syllabo 8 Decemb. 1864 damnans sequentem propositionem LXVII : *Jure naturæ Matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.*

Quas obligationes imponit conjugibus bonum sacramenti?

Obligationes conjugum.

R. 1°. Obligationem sollicite servandi animorum concordiam et christianam charitatem. 2°. Obligationem cavendi quidquid discordiis, ac ipsi præsertim separationi viam sternere potest.

Peccant autem conjuges contra bonum sacramenti per ea omnia quæ individuam vitæ societatem perturbant, ut sunt rixæ, dissidia, murmurationes etc.

N. 51. An Matrimonium quoad vinculum dissolvi possit propter adulterium ; aut propter hæresim, molestam cohabitationem, vel longam absentiam.

Cur

Prænotandum. Specialis difficultas circa dissolutionem Matrimonii propter adulterium nata est ex obscuris textibus S. Matth., V, 32 : *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari : et qui dimissam duxerit, adulterat;* et, XIX, 9 : *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur ; et qui dimissam duxerit, mœchatur.* Horum verborum obscuritatem agnoscit S. Augustinus, *De fide et operibus,* cap. 19 : *In ipsis divinis Scripturis ita obscurum est, utrum et iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur si alteram duxerit, ut quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur.* Quod autem in Scriptura est obscurum, accedente Traditionis lumine et Ecclesiæ Catholicæ auctoritate, fit clarum et luculentum. Multos tamen hic habet Ecclesiæ doctrina adversarios, nimirum :

et quinam contradicant doctrinæ Ecclesiæ.

1°. Græcos, qui jam diu in ea versantur sententia et praxi, ut dissolvant vinculum conjugale propter adulterium. Quandonam vero hæc eorum praxis initium sumpserit non liquet : verosimilius est, eos in hac re morem gessisse civilibus Imperatorum legibus.

2°. Inter recentiores novatores Lutherus, non tantum ob adulterium, sed etiam ob hæresim, furtum aliudve peccatum, ob molestam cohabitationem, longam absentiam, aliasque causas divortium permittit. Calvinus vero ob unam causam adulterii docet Matrimonium posse dissolvi.

3°. Inter catholicos Erasmus propendet in eamdem sententiam ; unde quatuor ejus propositiones de hac re censoria nota confixit S. Facultas Parisiensis, anno 1526. Eidem errori favebant Cajetanus et Catharinus, similiter scribentes ante Concilium Tridentinum. Post vero Concilium Tridentinum, sæculo XVII, Launoius non erubuit,

contra sententiam hujus Concilii, docere, in opere *De regia in Matrimonium potestate*, juxta Scripturam sacram et antiquam Traditionem, Matrimonium dissolvi posse ob adulterium ; adeoque id sola lege ecclesiastica esse prohibitum, et canonem Concilii Tridentini esse mere disciplinarem. « Launoii doctrina vix non oblivione deleta, » ait Liebermann, « hac nostra ætate et jam vertente priore » sæculo, non paucos defensores nacta est, non in Gallia » tantum, ubi sacra omnia conculcabantur, sed etiam in » Germania, ubi innovandi libido multos levioris ingenii » viros arripuit. »

Hinc factum, ut in novo Codice Civili, qui anno 1803 in Gallia, cui Belgium tunc suberat, publicatus fuit, divortium civile permissum fuerit in determinatis casibus, cum facultate novum civile matrimonium ineundi. Lex ista, anno 1816 in Gallia abrogata, in Belgio nostro adhuc viget. Cfr. propositionem LXVII Syllabi 8 Decemb. 1864, N. præc. relatam. His præmissis,

Proba Matrimonii vinculum non posse dissolvi propter adulterium alterius conjugis.

Matrimonium solvi non posse propter adulterium, prob. I, ex Scriptura sacra.

Probatur I. *Ex Scriptura sacra.* In locis præc. N. citatis ex Evangeliis S. Marci et S. Lucæ, tum ex Epistolis S. Pauli ad Romanos et I ad Corinthios, universaliter et sine exceptione docetur, Matrimonium indissolubile esse, illum vero adulterare, qui sive dimissam a viro uxorem ducit, sive propria uxore dimissa, aliam ducit.

Quoad locum S. Matthæi qui opponitur : « Ad summum, » ut ait Carrière, « dici potest textum S. Matthæi » esse obscurum et ambiguum : jam vero hoc posito, » debet explicari per textus aliorum Evangelistarum et » S. Pauli, qui sunt omnino clari. Isti nullam restrictionem » apponunt ; eam tamen omittere non debuissent, alioquin lectores in errorem inducerent, præsertim cum ii » qui eorum opera legebant, sæpe S. Matthæum non legerent qui hebraice, et præsertim pro Judæis scripserat. »

Prob. II, ex Traditione.

Probatur II. *Ex Traditione.* Sancti Patres, etsi quidam obscure locuti fuerint aut hæsitasse videantur, communissime tamen, sive Græci sive Latini, clare docent, vel generaliter nunquam licere, dimissa uxore, aliam ducere, vel specialiter etiam non licere in casu adulterii. Plurimorum textus producit et expendit Tournely.

Inter Latinos præ cæteris clare et aperte dicit S. Hieronymus, *Comment. in cap. XIX Matth.*, agens de marito qui adulteram repudiaret : *Sic priorem dimittere tenetur uxorem, ut secundam, prima vivente, non habeat.* Et S. Augustinus, *De conjugiis adulterinis*, lib. 1, cap. 8 : *Si par est forma in utroque* (marito et uxore), *uterque mœchatur, si se alteri junxerit, etiam cum se a fornicante disjunxerit.*

Inter Græcos vero omnium antiquissimus Hermas, Apostolorum discipulus, *Pastoris* lib. 2, mandato 4, sic Dominum interrogat circa uxorem adulteram : *Quid ergo, si permanserit in vitio suo mulier? Et dixit* (Dominus) : *Dimittat illam vir, et vir per se maneat. Quod si dimiserit mulierem suam et aliam duxerit, et ipse mœchatur.*

Clemens Alexandrinus, *Stromatum*, lib. 2, cap. 23, commemorata lege Evangelii non dimittendi uxorem nisi propter fornicationem, addit : *Adulterium autem existimat, conjungi Matrimonio, vivo altero ex separatis.*

S. Joannes Chrysostomus, *Hom. 17 in Matth.*, ad ista verba : *Qui dimiserit uxorem, facit eam mœchari,* expresse ait : *Expulsa quoque uxor esse ejus, qui eam expulit, perseverat*

His accedunt antiquissima quædam Concilia, ut Illiberitanum anni 306, quod can. 9 statuit : *Fidelis fœmina quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, et alterum ducit, prohibeatur ne ducat; si autem duxerit, non prius accipiat communionem, quam is quem reliquit, de sæculo exierit.*

Merito igitur definivit Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, can. VII : *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, et docet, juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quæ dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit.*

Probatur III *a ratione*, nimirum ex absurdis sequelis sententiæ adversæ, quas ex Bellarmino sic exponit Liebermann : « Si post divortium in causa fornicationis liceret parti innocenti aliud Matrimonium inire, vel illud » liceret etiam nocenti, vel non liceret. Si non liceret, » quæro imprimis, quare? Nam si solutum est vinculum Prob. III, a ratione.

» prioris Matrimonii, ita ut pars innocens possit ad alias » nuptias transire, neque nocenti aliquid obest quod no- » vum Matrimonium impediat. Si id nocenti liceret, ergo » adulter commodum ex peccato suo reportaret; et sæpe » etiam viri dedita opera adulterium committerent, ut » possent ab uxore liberari, et aliam ducere. Adde quod » et uxor, quæ alterius amore teneretur, viam sibi ad » exoptatas nuptias per adulterium parare posset. » Turpes has sequelas experientia demonstratas vide apud De Bonald, *Du divorce* etc., cap. 11, et Perrone, *Prælectiones theologicæ,* tract. *De Matrimonio,* n. 134, in nota.

Objectiones solvuntur.

Objicitur 1°. In textu Matth. XIX, 9 : *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur ;* Dominus non obscure loquitur, sed clare innuit, excipiendo scilicet : *nisi ob fornicationem*, quod ille qui dimiserit uxorem suam ob fornicationem, et aliam duxerit non mœchatur. Ergo propter fornicationem solvitur prius Matrimonium.

R. Neg. antec., clare scilicet illud innuere Salvatorem; sed ex verbis ejus id perverse deducunt adversarii. Imo, ipsi sententiam Domini immutant : post recitata enim verba hæc sequutnr : *Et qui dimissam duxerit, mœchatur ;* quibus illi de suo addunt : *Nisi dimissa fuerit ob fornicationem ;* hoc autem Scriptura sacra neque hic neque ullibi habet. Sed e contra, hic et ubicumque de re agit, universaliter pronuntiat : Omnem qui dimissam duxerit, mœchari; ex quo sequitur, etiam dimissam quacumque ex causa manere uxorem dimittentis ; alioquin alter eam ducens non esset mœchus seu adulter.

Exceptio autem illa, *nisi ob fornicationem,* quæ in primo tantum membro sententiæ Domini reperitur, ad illud membrum restringenda est.

Porro illud diversimode explicant interpretes catholici, ac cum cæteris Scripturæ sacræ locis, et cum eo ipso qui sequitur, conciliant.

Alii phrasim ellipticam esse volunt, et ita supplent : *Quicumque dimiserit uxorem suam,* quod non licet *nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur.*

Alii sic interpretantur : Et ille qui dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, mœchatur, seu *facit eam mœchari,* ut conceptis verbis habetur Matth. V, 32; et ille

qui aliam duxerit, dimissa scilicet quavis de causa uxore, mœchatur; uti et ille mœchatur, qui dimissam duxerit.

Alii cum S. Augustino sic exponunt : Quicumque dimiserit uxorem non fornicariam et aliam duxerit, mœchatur; nihil hic innuens de eo qui dimissa fornicaria aliam duceret, ne veritatem plenius exponendo nimium offenderet animos Pharisæorum, quos hic alloquebatur Dominus. Quod vero eos celabat, hoc discipulis, qui cum *in domo* essent, ut refert S. Marcus, circa idem interrogaverunt eum, aperuit, clare et universaliter absque ulla exceptione pronuntians, Marc. X, 11 : *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam.*

Instant 1°. Pharisæi Christum interrogant de dimissione quoad vinculum. Ergo Christus Pharisæis respondens, de eadem locutus est dimissione, alioquin quæstioni sibi propositæ non satisfecisset.

R. Pharisæorum interrogatio duo complectebatur : 1°. An quacumque ex causa liceret uxorem dimittere? 2°. An, ea dimissa, liceret aliam ducere? Ad utrumque autem respondet Christus : ad primum nempe, non licere, ob quamcumque causam, sed tantum ob gravissimam, qualis est fornicatio; ad secundum vero dicit, non licere aliud inire conjugium, dimissa uxore, revocans quamcumque facultatem ea de re Judæis factam.

Inst. 2°. Exceptio illa non potest respicere solam dimissionem a thoro; quia præter adulterium sunt plures justæ causæ repellendi conjugem a thoro. Ergo non recte assignaret Christus adulterium, tanquam unicam illius dimissionis causam.

R. Neg. conseq. Ratio est 1°. Quod adulterium sit causa propria separationis in conjugio, ita ut separatio ob adulterium fiat proprie jure matrimoniali; dum reliquæ causæ sunt generales, a quavis societate christianum excludentes.

2°. Quia adulterium est sola causa dimissionis ex se perpetuæ, cum conjux adulterans etiam post emendationem non debeat retineri, aut in gratiam recipi, saltem ex justitia; dum aliæ causæ tantum cohabitationem suspendunt, donec pars nocens resipuerit.

Notandum denique, non deesse recentiores doctores,

qui velint, Salvatorem apud S. Matthæum hoc loco non proposuisse suam de indissolubilitate Matrimonii legem, sed tantum exposuisse legem Mosaicam de qua interrogatus fuerat a Pharisæis. Cum enim Moyses permisisset uxorem dimittere *propter fœditatem*, hoc alii intelligebant de solo adulterio, alii ad multas alias causas etiam futilissimas extendebant. Inde illa petitio, ibid., 3 : *Si licet homini dimittere uxorem suam, quacumque ex causa ?* Cui respondet Salvator : non licere nisi ob fornicationem. Postea vero discipulis solis in domo congregatis suam de omnimoda indissolubilitate doctrinam patefecit.

Huic tamen interpretationi plura obesse videntur, quæ indicat Liebermann ; ut v. g. quod Dominus legem suam legi Mosaicæ opponere videatur, hac consueta loquendi formula : *Dico autem vobis ;* item quod non constet in lege Mosaica adulterium fuisse unicam divortii causam : quod Judæis, quibus pluralitas uxorum lege vetita non erat, convenire non potuerit, quod ille qui, dimissa uxore, *aliam duxerit*, mœchetur etc. Interim non videtur ista interpretatio omni probabilitate destituta.

Obj. 2°. Producunt adversarii longum catalogum auctorum, sive Latinorum, sive præsertim Græcorum, quem texit Launoius, qui plus minusve expresse docuerunt, Matrimonium adulterii causa dissolvi posse.

R. cum Carrière : « Nostri non est propositi hunc tæ» diosum, ut vocat Tournely, catalogum percurrere, et » singula testimonia discutere, de quibus videri possunt » Tournely, Collet, Drouin etc. Quædam indicare princi» pia satis erit : 1°. Quidam textus fuerunt a Launoio » adulterati. 2°. Quorumdam suspecta est integritas seu » authenticitas. 3°. Multi sancti Patres intelligi possunt » et debent de dissolutione quoad thorum, nec proinde » nobis adversantur. 4°. Quidam loquuntur de licentia se» cundi Matrimonii, non ex Evangelio, sed ex lege civili. » 5°. Quidam varias agnoverunt causas deserendi prio» rem conjugem et ad novas nuptias convolandi, sed illæ » causæ, in eorum mente, erant impedimenta dirimentia » quæ Matrimonium præcesserant. 6°. Quidam suppo» nunt, aut saltem supponere dici possunt, mortem prioris » conjugis. 7°. Tandem si qui supersint, qui nullo ex in» dicatis principiis explicari possint, nihil exinde concludi

» potest, nisi quod quæstio foret eorum tempore adhuc » obscura et nondum plane eliquata : nihil autem inde » contra nos, ut patet ex dictis in probatione. »

An est de fide catholica, quod non possit dissolvi Matrimonium fidelium propter adulterium ?

R. Videtur cum plerisque negandum; quia constat consulto abstinuisse Concilium Tridentinum ab hac doctrina ita definienda, ne Græcos contrarium sentientes anathemate feriret. Cum tamen Concilium declaret, Ecclesiam ita docere *juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam*, et hanc doctrinam communiat anathemate prolato in eos qui dicerent, Ecclesiam in hoc puncto errare, saltem theologice certum est, hanc Ecclesiæ doctrinam veram esse, et revelatam : contrarium vero temerarium et hæresi proximum.

Errat profecto Launoius dicens, citatum canonem Concilii Tridentini non dogmaticum sed mere disciplinarem esse : quod enim docet Ecclesia *juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam*, procul dubio dogma est, a quo discedere non licet.

An de fide catholica est, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi non posse Matrimonium ?

Sed de fide est non posse dissolvi propter hæresim etc.

R. Affirmative; cum totidem terminis id definiat Concilium Tridentinum, eos qui contrarium dixerint anathemate feriendo, Sess. XXIV, can. V. Diu ante hoc Concilium Innocentius III, cap. *Quanto, De divortiis*, lib. 4 Decretal., sic edixerat : *Si alter fidelium conjugum vel labatur in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc casu is qui relinquitur, vivente altero, possit ad secundas nuptias convolare.*

Probatur autem hoc dogma omnibus argumentis, quibus supra universaliter demonstrata est indissolubilitas Matrimonii christiani consummati, quin ulla exceptio admitti possit nequidem pro casu adulterii, pro quo major stare videretur dubitandi ratio.

N. 52. De dissolutione Matrimonii rati non consummati per professionem religiosam.

Ut supra N. 50 notatum fuit, omnimoda indissolubilitas, nullam admittens exceptionem, convenit tantum Matrimonio fidelium rato et consummato; pro illo vero, quod ratum tantum et non consummatum est, tum pro eo quod in infidelitate contractum fuit, aliquæ exceptiones agnoscuntur. Hoc et seq. N. agemus de dissolutione Matrimonii rati non consummati; dein de dissolutione Matrimonii in infidelitate contracti etiamque consummati.

Proba Matrimonium ratum, sed non consummatum, dirimi per professionem solemnem conjugis in religione approbata.

Matrimonium ratum tantum solvitur per professionem solemnem,

R. Probatur ex Concilio Tridentino, quod Sess. XXIV, can. VI, idipsum definit : *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit.* Adeoque de fide est.

Idem antea definiverant Summi Pontifices Innocentius III, cap. *Ex parte tua, De conversione conjugatorum*, lib. 3 Decretal., et Alexander III, cap. *Ex publico,* et cap. *Verum,* eod. tit.; constatque ex his decretis, sæculo XII editis, tunc jam antiquam fuisse in Ecclesia hanc praxim, Sanctorumque exemplis confirmatam. Unde applicari hic debent duo S. Augustini axiomata : *Quæ sunt contra fidem vel bonam vitam,* Ecclesia *nec approbat, nec tacet, nec facit. Epist.* 55 *ad Januarium*, cap. 19. *Si quid..... tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est. Epist.* 54 *ad Januarium,* cap. 5.

Rationem vero congruentiæ hujus dissolutionis allegat S. Thomas, quæst. 61, art. 2, in corp. : quod professio solemnis sit quædam mors spiritualis seu civilis, ideoque dissolvat Matrimonium ratum non consummatum; quia ante carnalem copulam est tantum vinculum spirituale inter conjuges : sicut mors corporalis solvit Matrimonium etiam consummatum, per quod inter conjuges est etiam vinculum carnale.

Notandum, per professionem solemnem hic stricte intelligi professionem quæ fit in aliqua ex religionibus approbatis, dummodo nimirum emissa castitatis, paupertatis et obedientiæ vota solemnium vim et naturam obtinent. in religione approbata,

Agnoscunt omnes, et pluries declaratum est in jure canonico, ut cap. *Meminimus*, *Qui clerici vel voventes*, lib. 4 Decretal., non dirimi Matrimonium per professionem votorum simplicium? Nec dissolvitur per susceptionem Ordinis sacri; nec etiam per simplicem ingressum religionis, vel novitiatum; sed per ipsam solemnem professionem. secus non.

Unde conjux manens in sæculo debet expectare eventum, et compartem suscipere tenetur, si non professa religionem deserat. Si autem solemniter profiteatur, tunc pars in sæculo remanens valide et licite potest inire aliud Matrimonium.

Quo jure Matrimonium ratum non consummatum dissolvitur per solemnem professionem?

R. Non convenit inter auctores : tres præcipue sunt diversæ sententiæ. Quo jure disputatur.

1°. Secundum aliquos dissolvitur jure naturali; quam sententiam probabilem habet Sanchez, putatque ei favere S. Thomam, cit. loc., ad 2, dicentem, Matrimonio inesse hanc conditionem : *Si interea alter conjugum ad frugem melioris vitæ non convolet.*

2°. Secundum alios solvitur jure divino. Dicunt nimirum, legi indissolubilitatis appositam fuisse a Christo exceptionem in gratiam professionis religiosæ.

3°. Secundum alios denique solvitur jure ecclesiastico : Ecclesiæ enim, aiunt, concessit Dominus potestatem solvendi Matrimonium ratum non consummatum; hac autem potestate utitur in casu professionis religiosæ; non secus ac dum auctoritate Summi Pontificis dissolvit.

Quamdiu post contractum Matrimonium conjuges de ingredienda religione deliberare possunt?

R. In jure canonico conceditur bimestre, cap. *Ex publico, De conversione conjugatorum;* ita ut intra illud tempus non teneantur reddere debitum, nisi semel libere consummassent Matrimonium; utque una pars, invita etiam altera, religionem ingredi possit. Conceditur bimestre ad deliberandum.

Post bimestre illicite profiteretur conjux altero invito,

Billuart cum aliis merito advertit, quod, elapso bimestri, conjux non possit amplius licite ingredi religionem invita comparte, quia, elapso bimestri, tenetur reddere debitum alteri petenti, etsi antea Matrimonium non fuerit consummatum. Unde non potest, illæso jure compartis, ingredi religionem, utpote quæ est incompossibilis cum usu Matrimonii.

sed valide.

Videtur tamen dicendum, quod valide profiteretur, et per professionem dissolveretur Matrimonium; quia jura, et signanter Tridentinum, absolute statuunt, per professionem solemnem dissolvi Matrimonium ratum et non consummatum, quale est in casu.

An uxor vi oppressa a marito intra bimestre potest adhuc ingredi religionem?

Probabilius licite et valide profitetur uxor vi oppressa,

R. cum Sanchez, Billuart etc. contra Pontium aliosque probabilius affirmative; quia per violentiam sibi illatam non debet privari jure suo. Addunt Sanchez et Collet, idem dicendum esse, si maritus copulam extorserit per metum gravem cadentem in constantem personam.

sed non solvitur Matrimonium.

Matrimonium vero in casu non solveretur per professionem religiosam, cum vere consummatum sit: unde maritus non posset transire ad alias nuptias, nisi mortua uxore professa.

Per accidens etiam posset uxor ab ingressu religionis impediri, puta si secuta sit proles, quæ sine matris auxilio educari non posset.

Nota, juxta communiorem sententiam Matrimonium non censeri consummatum per antenuptialem copulam fornicariam.

N. 53. De dissolutione Matrimonii rati non consummati per dispensationem Summi Pontificis.

An Matrimonium ratum non consummatum potest dissolvi per dispensationem Summi Pontificis?

R. Videtur omnino affirmandum.

Potestatem solvendi Matrimonium ratum

Multi quidem theologi, præsertim ex antiquioribus, et cum ipsis Sylvius, Pontius, Tournely, Drouin, Collet etc. negant; tum ob generalem Christi sententiam, Matth.

XIX, 6 : *Quod Deus conjunxit, homo non separet ;* tum ex eo quod antiquiores Pontifices illa potestate non legantur usi fuisse ; imo addunt, quosdam Pontifices, nimirum Nicolaum I, Alexandrum III, Innocentium III et Adrianum VI existimasse, se hac potestate non pollere. tantum Pontifici alii denegant,

Affirmativam autem sententiam propugnant haud minoris auctoritatis theologi : Sanchez, Suarez, Bellarminus, Salmanticenses, Kugler aliique passim, tum Benedictus XIV cum canonistis pene omnibus. alii verius attribuunt,

Hæc sententia præcipue fundatur in constanti praxi Romanorum Pontificum per quatuor saltem posteriora sæcula a Martino V, anno 1431, ad Pium IX feliciter regnantem. Hinc jam sæculo elapso Benedictus XIV, *Quæst. canonic. et moral.*, quæst. 479, non dubitat dicere : « Nullam de potestate Summi Pontificis moveri amplius posse » quæstionem, in eo quod attinet ad dispensandum super » Matrimonio rato et non consummato, cum hodie opinio » affirmativa sit communis inter theologos et canonistas, » et in praxi recepta, uti notorium est. »

Elenchum quemdam hujusmodi dispensationum usque ad hodiernam diem exhibet Perrone, *De Matrimonio christiano,* lib. 3, sect. 2, cap. 6, art. 4.

Confirmatur hæc sententia ex generali potestate ligandi et solvendi Petro ejusque successoribus a Domino tradita : cum neque ex Scriptura neque ex Traditione ostendi possit, excipi vinculum Matrimonii rati tantum, uti excipitur vinculum Matrimonii rati et consummati ; atque aliunde hæc potestas solvendi Matrimonium ratum tantum vergat in utilitatem fidelium atque Ecclesiæ.

Quoad argumenta quæ opponuntur, optime videtur illa solvere Perrone, loc. cit., ubi inter alia observat, nequaquam constare, Summos Pontifices ante Martinum V hac potestate usos non fuisse ; contrarium posse conjici ex eo, quod jam tunc communis sententia canonistarum hanc potestatem Pontificibus adscriberet, ut testatur S. Antoninus.

Esto etiam nulla antiquiora dispensationis exempla proferantur, nihil inde merito concluditur contra potestatem pontificiam ; quemadmodum nihil jure infertur contra dissolutionem Matrimonii per professionem solemnem, ex eo quod nulla certa hujus dissolutionis exempla, sæculo XII antiquiora, producantur.

28.

nequaquam vero Episcopis.

Hæc porro potestas, quam certo Pontificibus competere putamus, prorsus Episcopis deneganda est, cum neque consuetudine illam habeant, neque concessione Pontificis, qui e contra eam sibi uni reservat.

N. 54. De Matrimonii ante Baptismum contracti dissolutione, signanter in casu Apostoli.

Prænotandum, quod Matrimonia infidelium, seu non baptizatorum, valida quidem sunt, si sine impedimento juris naturæ fuerint contracta, omnesque effectus naturalis contractus matrimonialis producunt; sed rationem Sacramenti non habent; unde simpliciter *legitima*, non *rata* dicuntur, et minus firma sunt quam Matrimonia baptizatorum.

Quis dicitur casus Apostoli?

Casus Apostoli,

R. Est casus dissolutionis Matrimonii, ex privilegio in favorem fidei concesso a Christo Domino, et promulgato per Apostolum, I Cor. VII, a quo nomen suum accepit. Consistit vero in eo, quod Matrimonium infidelium seu non baptizatorum, licet consummatum, dissolvi possit in casu quo una pars convertitur ad fidem ac baptizatur, et altera pars non baptizata vel non vult cohabitare cum parte fideli, vel non vult cohabitare pacifice; id est, non nisi cum blasphemia divini nominis seu contumelia Creatoris, aut partem conversam ad peccatum mortale attrahendo. Sic verba Apostoli explicat Innocentius III, cap. *Quanto, De divortiis,* lib. 4 Decretal., et S. Thomas, quæst. 59, art. 5. Censetur autem contumelia Creatoris, si infidelis blasphemet Christum aut religionem christianam, vel coram conjuge talia infidelitatis opera exerceat, quæ teneram ejus fidem labefactare possint.

Proba in hoc casu vere dissolvi posse Matrimonium, non tantum quoad thorum sed etiam quoad vinculum.

in quo dissolvi posse Matrimonium licet consummatum,

R. Præmittimus textum Apostoli, I Cor. VII, 10 et sequentibus: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. Nam cæteris ego dico,*

non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum... Quod si infidelis discedit, discedat : non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi : in pace autem vocavit nos Deus.

Hoc ultimo versiculo Apostolum permittere discessionem fidelis, seu separationem quoad vinculum,

Probatur I. *Ex contextu :* Apostolus enim distinctionem enuntiat inter casum, quo separantur quacumque de causa conjuges fideles, et casum quo conjux ad fidem conversus relinquitur ab infideli. In primo casu jubet uxorem separatam *manere innuptam;* in secundo vero casu permittit, ut *discedat* simpliciter sine restrictione, adeoque quin debeat manere innupta, alias non esset differentia a primo casu. Prob. I, ex textu Apostoli.

Confirmatur hæc interpretatio ex sequentibus : *non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi :* servitus enim illa esse non potest nisi vinculum conjugale, quo teneretur infideli, pacifice cohabitare nolenti, obstricta manere altera pars : ergo jam vinculum illud solubile est.

Probatur II. *Ex communi interpretatione et doctrina Patrum et Doctorum.* Ita intellexerunt et docuerunt S. Ambrosius, et clarius ejus coætaneus Ambrosiaster de hoc casu scribens : *Non est peccatum ei qui dimittitur propter Deum, si alii se junxerit.* Ita quoque S. Joannes Chrysostomus, Theophylactus, OEcumenius. Eamdem doctrinam constanter tradiderunt canonistæ et theologi scholastici sine contradictione usque ad medium fere sæculi superioris, quo scriptores nonnulli Galli et Germani, favente secta Janseniana, contrarium sentire cœperunt. Prob. II, ex sensu SS. Patrum.

Probatur III. *Ex Romanorum Pontificum decretis et constanti praxi Ecclesiæ.* Cfr. cap. *Quanto* et cap. *Gaudemus, De divortiis,* lib. 4 Decretal. Plures casus a Romanis Pontificibus excussos et resolutos vide apud Benedictum XIV, *De Synodo,* lib. 6 et lib. 13, et in decretis S. Congregationis Concilii. Prob. III, ex decretis SS. Pontificum.

Quandonam in casu dissolvitur vinculum Matrimonii?

R. Dicendum videtur solvi, quando pars fidelis aliud Matrimonium contrahit. Ita colligitur ex cap. *Gaudemus,* et sæpe ita declarasse S. Congregationem Concilii, refert Solvitur quando pars fidelis novas

nuptias contrahit.

Benedictus XIV, op. cit., lib. 6, cap. 4, n. 4. Unde fit, ut tunc tantum, et non ante, infidelis quoque valide possit contrahere novas nuptias.

Dici non potest quod solvatur per Baptismum : *Cum*, ut ait Innocentius III, cap. *Gaudemus, per Sacramentum Baptismatis non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur.*

Nec dici potest cum quibusdam quod solvatur, eo ipso quod infidelis non vult pacifice cohabitare ; cum tunc privilegium potius videretur concessum in favorem infidelis, quam in favorem fidelis.

An conjux ad fidem conversus valide ad alias nuptias transiret, etiamsi infidelis velit pacifice cohabitare ?

Saltem ut fidelis licite contrahat debet nolle cohabitare infidelis

R. Dissentiunt theologi, ex eo præsertim, quod verba Apostoli, de hoc casu dicentis : *Non dimittat illam*, alii habeant ut præceptum, alii vero ut consilium tantum.

Interim Benedictus XIV, op. cit., lib. 13, cap. 21, n. 1, dicit, S. Congregationem Concilii declarasse anno 1603, conversum conjugem in casu non posse inire novas nuptias.

interpellatus.

Sequitur, conjugem fidelem non posse transire ad alias nuptias, priusquam infidelis interpellatus renuat pacifice cohabitare, ut constat ex litteris Summi Pontificis Gregorii XIII, datis ad Indiarum Episcopos, quas refert Pontius, lib. 7, cap. 48, n. 25 : idem docet Benedictus XIV, op. cit., lib. 6, cap. 4, n. 5. Istius interpellationis formulam refert Clericatus, *De Matrimonio*, decis. 11.

Quod si conjux infidelis legitime interpellari nequeat, v. g. quia abiit in regiones longinquas, tunc pars ad fidem conversa, potest aliud inire Matrimonium, sed probabilius non nisi obtenta prius dispensatione pontificia. « Nec » Sedes Apostolica difficilem se præbet, » ait Benedictus XIV, loc. cit., « eam petentibus dispensationem, quam » urgens causa suadeat concedendam. » Imo Gregorius XIII, in memoratis litteris, facultatem dispensandi communicat Ordinariis, parochis, missionariis Societatis Jesu, in Angola, Æthiopia, Brasilia et Indicis regionibus degentibus.

Porro licet dispensatione aut declaratione Ecclesiæ opus non sit, quando conjux infidelis renuit pacifice cohabitare, attamen plerumque non expedit, ut parochus

privata auctoritate partem conversam ad aliud Matrimonium admittat. In casu ad Ordinarium recurrat.

Ex Judæo fidelis non potest alteri dare libellum repudii.

Notandum denique, quod si forte conversus ad fidem sit Judæus, non possit, more Judæorum, ad uxorem infidelem mittere libellum repudii, cum licentia dandi libellum repudii sit a Christo Domino revocata : unde detestabilem illum abusum proscripsit Benedictus XIV, Constitutione Apostolici ministerii, 16 Septemb. 1747.

Quid facto opus, si infidelis conversus plures in infidelitate duxerit uxores adhuc superstites?

Quid de eo qui plures habebat uxores.

R. Quandoquidem sola prima sit legitima conjux, atque adeo cæteræ jus non habeant ut conversus cum ipsis permaneat, interpellanda est prima, et si ipsa velit converti aut pacifice cohabitare, ad alias nuptias transire non potest. Si vero neutrum præstare velit, tunc conversus cum alia quam prætulerit, legitime contrahere potest. Cæterum consulatur Benedictus XIV, *De Synodo*, lib. 13, cap. 21, ubi varii hac de re casus discutiuntur.

An similiter dissolvi potest Matrimonium hæreticorum, quando alteruter conjux fidem catholicam amplectitur?

Quid de hæretico converso,

R. Negative; si nimirum sint baptizati : quia casum illum non comprehendit Apostolus, et Matrimonium eorum est ratum, adeoque semel consummatum, nulla potest ratione dissolvi.

Quid si fidelis cum infideli contraxerit cum dispensatione in impedimento disparitatis cultus?

aut fideli qui contraxit cum infideli.

R. Non potest dissolvi, licet deinceps infidelis nolit pacifice cohabitare : tum quia Matrimonium illud ex parte fidelis est magis firmum ; tum quia contrahendo cum infideli potuit illa mala prævidere, adeoque sibi debet imputare.

An Matrimonium inter infideles contractum et consummatum potest dissolvi post alterutrius conversionem per professionem religiosam, aut per dispensationem pontificiam?

An dissolvi possit Matrimonium in infidelitate contractum,

R. ad 1. Tournely, Collet aliique censent per professionem solemnem solvi ; quia per ipsam solvitur Matrimonium ratum non consummatum, quod magis firmum est, inquiunt, quam Matrimonium infidelium licet consummatum ; atqui quod solvit magis firmum debet etiam solvere minus firmum.

per professionem solemnem,

Alii vero negant : tum quia de hac dissolutione non constat ex Traditione, nec constat vinculum Matrimonii simpliciter rati Christianorum esse firmius vinculo Matrimonii consummati infidelium; tum quia in positivis non licet argumentari a pari, aut a fortiori.

aut dispensationem Pontificis.

R. ad 2. Sanchez, Navarrus aliique affirmant, Summum Pontificem tale Matrimonium posse dissolvere, propter rationem supra allegatam; multi autem negant, tum illi qui Matrimonia simpliciter rata a Pontifice solvi posse inficiantur; tum alii qui, ut supra, paritatem non agnoscunt. Benedictus XIV, *De Synodo*, lib. 6, cap. 4, n. 5, narrat, quæstionem S. Congregationi Concilii propositam, sed non decisam fuisse.

Si uterque ad fidem conversus fuerit et post conversionem Matrimonio usi fuerint, videtur certum, jam nullo modo illud dissolvi posse, quia tunc factum est ratum ac consummatum. Cfr. S. Alphonsum de Ligorio, n. 956.

N. 55. De dissolutione Matrimonii per libellum repudii.

Origo libelli repudii.

Tempore antediluviano et Patriarcharum ætate, nullum noscitur divortium locum habuisse. Credibile est, Judæos pravum hunc morem repudiandi uxores in Ægypto didicisse; dein lege Mosaica intra certos limites fuisse permissum, Deut. XXIV, 1 et sequentibus, ubi sic legitur : *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem : scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit : non poterit prior maritus recipere eam in uxorem : quia polluta est, et abominabilis facta est coram Domino.*

Circa hanc legem notandum. 1°. Solis viris permissum erat repudiare uxores, non vero uxoribus repudiare viros : sequitur ex ipsis verbis legis, quam constanter sic intellexere Judæi. Nec licebat viro, qui falso accusasset uxorem, quod non invenisset eam virginem, nec illi, qui

ante Matrimonium illam cognovisset, ut habetur Deut. XXII, 19 et 29.

2°. Non qualibet de causa licebat repudiare uxorem, sed tantum *propter aliquam fœditatem*. Attamen non eodem modo doctores Judæi hoc intelligebant, ut supra vidimus. Quidam illo nomine solam impudicitiam intelligebant, signanter adulterium ; alii omnem fœditatem, non solum moralem, sed etiam physicam.

3°. Vir dimittens uxorem ei tradere debebat libellum repudii scriptum, ad cujus valorem plura requirebantur : decem circumstantias enumerant Rabbini, quæ eo tendebant, ut usus illius facultatis redderetur difficilior.

Jam vero quæritur, et disputatur inter auctores,

An apud Judæos per libellum repudii fuerit Matrimonium dissolutum quoad vinculum ; sic ut in conscientia potuerit uxor repudiata alteri marito nubere?

An per illum dissolveretur Matrimonium, disputatur.

R. Estius, Sylvius, Berti, Drouin aliique negant, et dicunt repudium, ob duritiam cordis Judæorum, fuisse tantum impune permissum, seu toleratum, ad vitanda majora mala, puta uxoricidia. Ita interpretantur verba Christi, Matth. XIX, 8 : *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras.* In hac sententia uxor dimissa non poterat in conscientia valide alteri nubere ; atque ideo, aiunt, dicitur in cit. textu Deuteronomii illa, quæ alteri nupsit, *polluta et abominabilis coram Domino*. Maritus tamen valide aliam ducere poterat, cum tunc esset licitum plures simul habere uxores.

E contra Bellarminus, Sanchez, Wiggers, Tournely etc. sustinent, per libellum repudii Matrimonium vere solutum fuisse, Deo sic derogante generali legi indissolubilitatis, propter duritiam cordis Judæorum.

Probant suam sententiam : I. ex eo quod in textu citato Dominus dicat, repudium a Moyse permissum : quod autem permissum est, non simpliciter toleratum, sed vere licitum est. Permiserat vero Moyses sic dimittere uxorem, ut huic liberum esset alteri nubere : *cumque egressa alterum maritum duxerit :* quod supponit divortium quoad vinculum.

II. Ex terminis legis : 1°. Qui ducit repudiatam, vocatur ejus maritus ; in contraria autem sententia dici debuisset scortator, seu adulter ; 2°. poterat secundus maritus eam

repudiare tradendo libellum repudii : hoc autem soli vero marito competebat; 3°. prior maritus eam sic repudiatam recipere prohibebatur : quod supponit jam non esse maritum; 4°. Lev. XXI, 14, erat specialiter prohibitum sacerdoti ducere repudiatam, viduam, aut meretricem; ergo alii poterant ducere repudiatas, non secus ac viduas et meretrices.

III. Ab inconvenienti contrariæ sententiæ : in hac enim sententia lex tolerasset adulteria publica, cum permitteret repudiatæ publice nubere alteri ; quod credibile non est, siquidem vel ipsam adulterii suspicionem aquis zelotypiæ subjiceret. Aliunde difficile in hac sententia explicatur, quomodo prior maritus a secundo repudiatam recipere prohiberetur, cum sæpe ad id compellere posset charitas, ne infausta uxor, facti forsan pœnitens, in perpetua peccandi occasione relinqueretur.

Confirmatur denique ex interpretatione doctorum Judæorum, qui disceptabant quidem circa causas divortii, non tamen videntur unquam dubitasse de solutione vinculi matrimonialis per libellum repudii legitime traditum.

Quoad textum oppositum, quo dimissa quæ alteri nupsit dicitur *polluta et abominabilis coram Domino,* quidam hoc intelligunt de pollutione seu immunditia legali illius fœminæ respectu primi mariti. A Lapide vero observat in hebræo legi : *Quia abominatio hoc est coram Domino :* unde non mulier dicitur abominabilis, sed reditus ejus ad pristinum maritum; quia iste sic videretur alteri uxorem suam ad tempus commodasse, quod redoleret turpissimam speciem adulterii, seu lenocinii.

Libellus repudii in usu erat etiam apud gentes.

Notandum, non constare apud auctores, an hæc permissio divortii per libellum repudii ad alias gentes fuerit extensa. Certum vero est, apud plerasque in usu fuisse, ut apud Medos, Persas et Philisthæos, ut constat ex Esth. I, et Judic. XV. Apud Romanos testatur Tertullianus, *Apologeticus,* cap. 6, per sexcentos annos nullum extitisse soluti Matrimonii ac repudiatæ uxoris exemplum. Sed eo corruptionis postea devenerunt, ut levissimis de causis conjugia solverent, suis repudiatis uxoribus. Repudium fiebat coram magistratu sub hac formula : *Res tuas curato; res tuas tibi habeto.*

An facultas solvendi Matrimonium per libellum repudii adhuc subsistit apud Judæos et infideles?

Facultatem illum dandi Christus universaliter revocavit.

R. Negative, quia Dominus hanc facultatem universaliter revocavit, Matth. XIX. Hinc Innocentius III, cap. *Gaudemus, De divortiis*, lib. 4 Decretal., decernit : *Qui secundum ritum suum legitimam repudiavit uxorem, cum tale repudium Veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam, ea vivente, licite potest aliam, etiam ad Christi fidem conversus, habere ;* nisi, ut vidimus, repudiata prius interpellata renuat ad maritum redire et pacifice cohabitare.

Hinc S. Augustinus, *De fide et operibus*, cap. 1, loquens de iis, qui ante Baptismum, repudiatis uxoribus, alias duxerant, dicit : *Quia hæc non conjugia, sed adulteria esse, Dominus Christus sine ulla dubitatione testatur.*

N. 56. De divortio seu separatione conjugum quoad thorum et habitationem.

S. Thom., Supplem. quæst. 62.

Quamvis juxta dicta N. 45, conjuges obligentur ad simul cohabitandum, et debitum conjugale reddendum quando legitime petitur, plures tamen dantur causæ, ob quas licite ab invicem separantur, vel quoad habitationem, vel quoad thorum seu redditionem debiti, vel quoad utrumque simul. Separatio illa, quæ fit manente vinculo, vocatur etiam *divortium ;* eo quod conjuges ab invicem divertant.

Divortium quid.

A theologis divortium definiri solet : separatio conjugum quoad thorum, vel habitationem, vel utrumque simul, manente vinculo matrimoniali.

Dividitur in divortium *quoad thorum tantum*, divortium *quoad cohabitationem tantum*, et divortium *quoad thorum et cohabitationem simul*. Hoc ultimum communius per divortium intelligitur apud theologos. Est autem vel *perpetuum*, vel *ad tempus*.

Ad vitandam confusionem probe notandum, quod eodem nomine divortii sæpe vocetur repudium seu dissolutio quoad vinculum.

III. I. Divortium quoad thorum 29

i potest mutuo consensu si non sit periculum incontinentiæ voluntate illius, cujus compars amisit jus petendi debitum, ob causam separationis quoad thorum et habitat non per adult. quod si fornicat jus ei debet quo M. est irritum, et non dum validatum, ob quando amisit jus petendi debitum. ipse in votum constituto ut amba, per emigrat. re... non hoc separatio quoad thorum forum externum si de non attinet ...

cur a novatoribus impugnatum.

Cum novatores, ut supra vidimus, sustinerent, divortium quoad vinculum in quibusdam circumstantiis, et signanter in casu adulterii, secundum evangelicam doctrinam fieri posse; simul erroris arguebant Ecclesiæ Catholicæ antiquam praxim et doctrinam, circa separationem quoad thorum et habitationem tantum faciendam. Hinc Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, can. VIII, definit : *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum, seu quoad habitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit.* Hæc doctrina latius probatur, ubi infra de variis divortii causis agitur.

Generatim quoque notandum, quod circa divortium conjuges æquali jure gaudeant, quia in iis quæ ad fidelitatem conjugalem pertinent, pares sunt, ut patet ex I Cor. VII.

Quænam sunt causæ, ob quas divortium fieri potest?

Divortii causæ variæ.

R. Sunt multæ, quæ ad tria capita reduci possunt, scilicet : 1°. adulterium; 2°. grave periculum spirituale vel corporale; 3°. mutuum consensum conjugum. De hisce agemus tribus distinctis quæstionibus : quibus subjiciemus alias quasdam huc spectantes, ut de modo quo ad divortium procedendum est, de divortio et separatione conjugum juxta legem civilem, etc.

Quæstio 1. *Proba adulterium conjugis esse alteri justam causam divortium faciendi.*

Prima causa, adulterium,

R. Probatur I. *Ex verbis Christi,* Matth. XIX, 9 : *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem* etc.; quibus evidenter constat ob adulterium dimitti posse. Jam vero probavimus, id non posse intelligi de separatione quoad vinculum; restat ergo, ut de separatione quoad thorum et habitationem intelligatur.

Probatur II. *Ex constanti Ecclesiæ praxi et doctrina,* ut patet ex can. *Præcepit,* causa 32, quæst. 5, aliisque locis, præsertim tit. *De divortiis,* lib. 4 Decretal.

Confirmatur jure naturali : hoc enim dictat, fidem illi servandam non esse, qui fidem fregerit, neque conjugem censeri se obligasse ad illi cohabitandum qui tantam injuriam sibi intulerit, et Matrimonii sanctitatem tam fœde violaverit.

Communius quoque docent theologi, contra paucos,

sodomiam et bestialitatem, similem præbere rationem divortii ac adulterium, cum sic etiam turpius abalienetur corpus conjugi acquisitum. Simplex autem mollities non est ratio sufficiens ad faciendum divortium.

Ut divortium ob adulterium institui possit, sufficit quod hoc semel fuerit admissum, ut advertit S. Thomas, quæst. 62, art. 1, ad 3. Requiritur autem, ut moraliter certo de eo constet : non sufficiunt amplexus, oscula, tactus : sufficit vero, quod simul inventi fuerint in eodem lecto. Cfr. S. Alphonsum de Ligorio, n. 961.

Requiritur etiam, ut crimen sit formale, utque compars non amiserit jus illud vindicandi : hinc quidam excipiuntur casus, in quibus propter adulterium non licet recedere a conjuge.

Quandonam ob adulterium non licet divortium facere?

R. S. Thomas, Supplem. quæst. 62, art. 1, enumerat septem casus : exceptis quibusdam casibus;

1°. Si uxor fraudulenter fuerit cognita ab alio sub mariti specie ; vel contra vir putans accedere ad suam, accesserit ad aliam, sicut contigit Jacob respectu Liæ.

2°. Si uxor fuerit vi oppressa. Si ex gravi metu consenserit uxor, culpa non vacat ; stricto jure itaque maritus inire posset divortium : sed tunc sæpius suadenda esset condonatio, ne afflictæ afflictio addatur.

3°. Quando uxor, probabiliter credens virum mortuum, alteri nupsit ; vel vice versa.

4°. Si, ut dicit S. Thomas, Matrimonio in infidelitate utriusque contracto, vir dederit uxori libellum repudii et uxor alteri nupserit : tunc enim, si uterque convertatur, tenetur eam vir recipere.

Ratio omnium est, quod in his casibus non habeatur culpa formalis, adeoque infligi non possit pœna, præsertim adeo gravis, ac est privatio cohabitationis et debiti conjugalis. In ultimo casu præterea fuit vir causa adulterii uxoris : atqui excipitur

5°. Si vir fuerit uxori causa adulterii, aut uxor viro, inducendo, suadendo, consentiendo. Ratio, quia qui causa est injuriæ sibi illatæ, amittit jus illam puniendi, cum sibi eam imputare debeat.

Non tamen sufficit quod fuerit causa remota, v. g. uxorem male tractando, expellendo etc.

6°. Quando compars etiam adulterata est, quia paria crimina compensatione mutua delentur, ut habetur cap. *Tua fraternitas, De adulteriis*, lib. 5 Decretal. Quod extendunt passim auctores ad casus, ubi unus semel, alter pluries, aut unus publice, alter occulte peccavit. Idem videtur dicendum, si unus sodomiam, alter adulterium patravit.

Si unus fuit emendatus et alter in adulterio perseverat, Pontius cum aliis dicit, divortium fieri non posse, quia emendatio unius injuriam alteri factam non extinguit. Sanchez vero cum aliis dicit, quod emendatus possit discedere, si alter post correptionem non resipiscat : quia emendatus per correptionem implicite obtulit reconciliationem, quam alter tenebatur acceptare ; jam vero post reconciliationem, si unus denuo peccet, alter potest recedere. In praxi attendendum est ad circumstantias facti particulares.

7°. Quando pars læsa injuriam condonavit, sicque facta est reconciliatio : injuria enim condonata non potest amplius puniri.

Condonatio autem fieri potest vel *expresse*, ut si pars innocens verbis aut litteris injuriam remittat; vel *tacite*, veluti si pars innocens post notum adulterium debitum petat aut libere reddat, aliave præstet, ex quibus colligi potest, quod injuriam condonet. Si tamen conjux innocens per hæc vere animum non habeat remittendi, in conscientia semper recedere potest, quamvis in foro exteriori divortium ei negetur : ita S. Alphonsus de Ligorio ex Sanchez et aliis. Si post reconciliationem pars innocens etiam adulteretur, certum est, quod hæc stricto jure possit dimitti, cum injuria non compensetur per priorem alterius condonatam. Æquum tamen est, quia ante pepercit alteri, ut ei nunc quoque resipiscenti parcatur.

An una pars aliquando est obligata ad alteram delinquentem dimittendum per divortium?

An et quando conjux teneatur adulterantem dimittere.

R. 1°. Per se, et ratione solius adulterii, non datur obligatio; quia dimissio adulterantis est quidem a Domino permissa, non vero præcepta. Ita D. Thomas, Supplem. quæst. 62, art. 2, post S. Augustinum citatum in can. *Idololatria*, causa 28, quæst. 1. Ratio, quia divortium

introductum est in favorem innocentis, unde non potest in ejus pœnam verti.

2°. Per accidens potest vir teneri ad dimittendam uxorem adulteram, ratione correptionis fraternæ, aut vitandi scandali, alteriusve gravis mali.

Unde uxorem dimittere tenetur, si per dimissionem, et non aliter, videatur emendanda ; item si eam retinendo censeretur peccatis ipsius consentire, legitimæ proli aut propriæ famæ grave nocumentum inferret. His quidem casibus conveniunt verba, Prov. XVIII, 22 : *Qui autem tenet adulteram, stultus est et impius.*

Notandum tamen, quod etiam in his casibus non teneretur ad dimittendam uxorem, si id fieri non posset sine magno detrimento proprio, aut prolium, familiæ etc. ; quia charitas non obligat ad vitandum scandalum aliorum, aut ad correptionem fraternam, cum tanto incommodo; puta si ex dimissione incideret vir in paupertatem, aut subiret periculum propriæ incontinentiæ etc.

Mulier raro tenetur propter adulterium viri se ab eo separare, aut debitum negare ; quia in casu vix potest timeri scandalum, et rara est mariti adulteri ex secessione uxoris emendatio ; potius namque metuendum est, ne deterior fiat; sæpe etiam non posset uxor secedere sine magno suo incommodo.

E contra charitas sæpe suadet, ut pars innocens, quæ propter compartis adulterium posset et vellet divortium instituere, ab eo abstineat, et injuriam condonet : ut si pars adultera sit pœnitens, vel speretur ad pœnitentiam adducenda, dum ex dimissione in desperationem, aut meretricium lapsura esset etc.

Parochi et confessarii debent ordinarie dissuadere divortium, propter mala et incommoda maxima, quæ secum trahere solet; ac serio conjugum reconciliationi allaborare tenentur.

Quæstio 2. *Quo jure fieri potest divortium, si ex cohabitatione immineat conjugi grave malum corporale aut spirituale ?*

R. Jure naturali, et jure ecclesiastico : naturaliter enim jus invigilandi propriæ saluti, sive corporali, sive spirituali, prævalet juri compartis ad cohabitationem ; nec censentur conjuges voluisse se obligare ad cohabitandum

Secunda divortii causa, periculum gravis mali,

cum gravi detrimento corporis aut animæ, ex parte alterius imminenti. Inde jus canonicum varias hujusmodi causas divortium ineundi agnoscit, cap. *Ex transmissa* et *Litteras, De restitutione spoliatorum*, lib. 2 Decretal.

ob compartis sævitiam,

Prima causa est sævitia compartis : v. g. percussiones frequentes, graves et atroces, aut abortum causantes, mortis attentatio prudenter timenda. Adde etiam verbera immoderata, continua jurgia, convicia, odium implacabile etc. Attendi tamen debent particulares circumstantiæ et qualitates personarum : v. g. si fœmina quæ vexatur sit nobilis, pudica, morigera, minores molestiæ respectu talis censeri debent nomine sævitiæ.

Nota vero, quod ira seu rixa transiens, percussio etiam gravis, sed ex insolita perturbatione procedens, non est sufficiens divortii causa.

hæresim,

Secunda causa est hæresis, seu apostasia Matrimonio superveniens. « Potest autem conjux ab hæretico rece- » dere, » ait S. Alphonsus de Ligorio, n. 974, « etsi hæresis » sit occulta; imo tenetur, si sit in periculo perversionis. » Hic applicatur illud Apostoli, Tit. III, 10 : *Hæreticum hominem post unam, et secundam correptionem devita.* Observat porro S. Thomas, quæst. 62, art. 1, ad 3, quod propter unum actum hæresis divortium fieri non possit, sed tantum propter consuetudinem vel habitum.

Nota, quod si catholicus scienter contraxerit Matrimonium cum parte hæretica, non possit ex eo capite se ab ea separare, quia renuntiavit juri divortii. Excipe tamen, nisi pars hæretica conversionem suam promisisset, nec staret promissis; aut parti catholicæ immineret periculum amittendæ fidei ex cohabitatione cum hæretica.

sollicitationem ad peccandum,

Tertia causa est, si compars frequenter sollicitet ad peccata gravia, ut furta, pollutiones etc.; imo aliquando teneretur conjux discedere, si periculum labendi sit grave : pro quo adducitur illud Matth. XVIII, 8 : *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te : abscide eum, et projice abs te.*

morbum,

Quarta causa est, si ex cohabitatione, aut carnali copula v. g. cum conjuge infecto morbo contagioso, judicio medicorum immineat grave periculum morbi, aut mortis : tunc enim compars seu a thoro, seu a cohabitatione, vel ab utroque licite se separat, prout casus postulat.

Quinta causa esse potest gravissimum detrimentum in bonis temporalibus subeundum, v. g. ob prodigalitatem viri; si alia via hoc malum averti non possit. gravissimum detrimentum temporale.

Quæstio 3. *Ob quam causam conjuges possunt mutuo consensu se separare a thoro et habitatione?*

R. Possunt se separare mutuo consensu ad vitam sanctiorem amplectendam. Probatur ex verbis Christi, Matth. XIX, 29 : *Omnis, qui reliquerit... uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* Non solet tamen talis separatio quoad habitationem permitti, nisi vel ambo religiosam vitam amplectantur, vel vir sacros Ordines suscipiat, et uxor in religione profiteatur, aut si vetula sit et non suspecta de incontinentia, in mundo manens votum castitatis emittat; de quo vide tit. *De conversione conjugatorum,* lib. 3 Decretal. Tertia divortii causa, ex mutuo consensu.

Quæstio 4. *Qua auctoritate fieri potest divortium?*

R. 1°. Separatio quoad solum thorum potest fieri ex mutuo consensu, sine interventione auctoritatis publicæ; præcipue si fiat ad tempus tantum, ut liberius vacent orationi, secundum id quod habetur I Cor. VII, 5. Qua auctoritate separari possint conjuges.

2°. Separatio quoad solum thorum, potest etiam fieri auctoritate privata, ob adulterium compartis, si de eo certo constet. Ratio est, quod pars adultera amisit jus ad debitum, et separatio thori non est actio publica, quæ indigeat publica auctoritate.

Idem dicendum, quando conjux non tenetur reddere debitum propter periculum contagionis.

3°. Divortium quoad habitationem propter adulterium compartis, juxta S. Thomam, fieri non potest nisi judicio Ecclesiæ; quia hæc separatio conjugum est actio publica, pertinens ad externam gubernationem; unde non potest fieri privata auctoritate sine perturbatione et scandalo.

Multi tamen censent, ut ait Billuart, quod maritus, certus de adulterio suæ conjugis, possit sine strepitu et occulte eam deserere, prætextu peregrinationis, mercaturæ etc. Durum enim esset cogere virum, ut publicet conjugis crimen in judicio, cum suo perpetuo dedecore.

4°. Ex aliis causis v. g. ob sævitiam, aut hæresim, divortium quoad thorum et habitationem, fieri non potest nisi auctoritate judicis ecclesiastici; nisi sit periculum in mora, et per modum fugæ, vel, ut addit S. Alphonsus

de Ligorio, n. 971 : « Si non possit litigare, aut judicem » adire, vel facile sævitiam probare. »

Quæstio 5. *An tenetur conjux innocens recipere adulterum emendatum, aut dimissum ex alia causa, ea cessante?*

De eorum reconciliatione.

R. 1°. Si divortium factum sit ob adulterium, respondet S. Alphonsus, n. 965 : « Affirmant Conc. et Busemb... » ad hoc teneri ex charitate, si alias ille sit in periculo » relabendi. Sed ego minime auderem innocentem ad » hoc obstringere sub culpa, cum ex una parte Christus » Dominus eum perpetuo liberaverit ab obligatione co» habitandi cum adultero, et ex alia non videtur charitas » ad tantum onus obligare, ut conjux recipiat alterum, » qui fregit sibi fidem. Unde merito dicunt Salmanticen» ses, tantum ex honestate et decentia debere innocentem » sibi reconciliare emendatum, si commode potest. » Unde in jure etiam statuitur, cap. *Constitutus, De conversione conjugatorum*, quod post factum ob adulterium divortium per judicem ecclesiasticum, possit innocens, invita comparte, suscipere Ordines sacros, aut ingredi religionem.

Pars nocens e contra id non potest sine alterius consensu, quia ab ea semper revocari potest. Excipe nisi innocens jam vitæ statum irrevocabilem assumpserit; aut si post alterius emendationem obstinate negaret reconciliationem : tunc enim censetur velle perpetuo separari, et conjugem ab onere cohabitationis liberare.

2°. Si compars dimissa fuerit judicio Ecclesiæ propter hæresim, etiam non tenetur innocens emendatum recipere; ut patet ex cap. *De illa, De divortiis :* secus vero si sine judicio Ecclesiæ fuerit dimissa.

3°. Si divortium factum sit ex alia causa, illa cessante, tenetur conjux conjugem recipere.

Quæstio 6. *An uxor in mutatione domicilii debet sequi maritum ?*

Mulier regulariter sequi debet virum.

R. Regulariter affirmative; quia vir caput est fœminæ et totius familiæ.

Excipiuntur casus quidam. 1°. Si maritus intendat continue vagari, nisi hanc vivendi rationem mariti uxor ante Matrimonium cognoverit : tunc enim in illam censetur consensisse; alias sic perpetuo vagari est mulieri nimis grave et parum decens.

2°. Si ex itinere immineret mulieri periculum gravis peccati, mortis etc.

3°. Si maritus sine necessitate vellet migrare in regionem admodum remotam. Probabilius tamen tenetur sequi virum condemnatum ad exilium.

4°. Si inter illos aliter conventum sit. In hoc tamen casu, si gravis necessitas, v. g. insalubre cœlum maritum ad alium locum avocaret, teneretur per se uxor sequi.

Circa absentiam conjugum notandum, quod vir, etiam invita muliere, abesse potest ad breve tempus, non mulier sine consensu viri. Ex gravi causa etiam ad longum tempus abesse potest vir; v. g. si officium, commercium, sanitas id requirat; tunc vero si, expensis statui proportionatis, sine gravi incommodo uxorem secum ducere posset, et illa requireret, teneretur ei obtemperare.

Quæstio. 7. *Quasnam causas divortii admittit hodie jus civile?*

Prænotandum, in Codice Civili duplex genus divortii agnosci : unum quo matrimonium civile solutum censetur, ita ut conjugibus liberum fiat ad alias nuptias transire, et proprie *divortium* dicitur; aliud quo, firmo manente civili matrimonio, conjuges separantur quoad cohabitationem, et simul quoad bona temporalia : dicitur *separatio corporis et bonorum*. Vide Cod. Civ., art. 227, 306 et 311. Causæ divortii civilis.

Quoad primum genus, seu divortium legale, illud obtineri potest ex mutuo consensu conjugum, ut patet ex art. 233, sub certis tamen conditionibus et cautionibus a lege præscriptis. Præterea obtineri potest ab uno contra alterum ex determinatis causis, quæ sunt eædem juxta art. 306, ob quas conceditur separatio corporis et bonorum.

Notandum porro, quod illud civile divortium dissolutionem vinculi matrimonialis nequaquam operatur, sed tantum solutionem matrimonii civilis.

Regulariter hoc genus divortii fidelibus interdicendum est, ubi eorum Matrimonium in conscientia est validum, sed utile potest esse remedium, ubi Matrimonium in conscientia et coram Deo est invalidum.

Quoad separationem corporis et bonorum, hæc ex mutuo consensu obtineri non potest, sed tantum ex causis a jure determinatis. Jam ad quæstionem propositam

R. Causæ determinatæ a jure sunt : 1°. Adulterium uxoris respectu mariti ; adulterium mariti respectu uxoris, tantum in casu quo ille concubinam tenuerit in domo conjugali. Art. 229 et 230.

2°. Excessus, sævitiæ, injuriæ graves unius respectu alterius. Art. 231.

3°. Condemnatio conjugis alterutrius ad pœnam infamantem. Art. 232.

Alias causas separationis legalis et juridicæ conjugum non admittit jus civile. Ita prodigalitas potest esse causa partialis interdictionis, quæ describitur, art. 513 Cod. Civ., non autem divortii aut separationis.

N. 57. De unitate Matrimonii et polygamia.

Unitas Matrimonii.

Unitas Matrimonii, seu *monogamia*, in eo consistit, quod vir unam habeat uxorem, et uxor unum virum ; sintque ita duo tantum in carne una.

Monogamiæ opponitur *polygamia*, sic dicta a πολύς multus, γάμος nuptiæ, quasi *pluralitas nuptiarum*.

Polygamia triplex :

Polygamia autem distingui solet triplex : prima, quæ *successiva* dicitur, qua vir, seu mulier, successive plures habet uxores, vel maritos : huic opponitur *simultanea*, quæ duas reliquas species complectitur.

Secunda species igitur, quæ etiam *polyandria* vocatur, a πολύς et ἀνήρ vir, illa est, qua mulier simul habet plures viros.

Tertia est, qua vir simul habet plures uxores : hæc ordinarie nomine polygamiæ intelligitur, et dicitur etiam *pluralitas uxorum*. De singulis hic inquiritur, an licitæ sint.

Quæstio 1. *An licita est sub Nova Lege polygamia successiva ?*

successiva est licita ;

R. Affirmative, contra Montanistas et Novatianos, qui secundas nuptias ut illicitas damnabant.

Clare probatur ex I Cor. VII, 39 : *Mulier.... si dormierit vir ejus, liberata est : cui vult nubat :* etc.

Probatur etiam ex doctrina et praxi constanti ac perpetua Ecclesiæ, quæ semper viduos ac viduas ad

secundas, tertias, aut ulteriores nuptias admisit. Hinc Eugenius III, in decreto ad Armenos in Concilio Florentino : *Declaramus*, inquit, *non solum secundas nuptias, sed etiam tertias et quartas atque ulteriores, si aliquod canonicum impedimentum non obstat, licite contrahi posse.*

Confirmatur ratione : per mortem enim unius conjugis dissolvitur vinculum conjugale : adeoque nihil obest, quominus pars superstes novas nuptias ineat, neque ex lege naturali, neque ex lege divina, aut ecclesiastica.

Nec officit quod aliqui Patres vehementius contra secundas, et præsertim ulteriores nuptias invehantur ; plerique enim eas non damnant ut illicitas, sed ut minus perfectas. Ita S. Ambrosius, *De viduis*, cap. 11 : *Non prohibemus secundas nuptias*, inquit, *sed non probamus sæpe repetitas : neque enim expedit quidquid licet.* Ita Synodus Laodicæna, can. 1, agnoscit secundas nuptias ut legitimas, et simul indicit pœnam canonicam eas contrahentibus; propterea quod viderentur aliquem continentiæ defectum præ se ferre.

In aliquibus tamen locis, et præsertim in Oriente, aliquando prohibitæ fuisse videntur, maxime vero tertiæ aut quartæ nuptiæ ; de quo vide Continuatorem Tournely, cap. 5, n. 212, et Wirceburgenses, n. 363 et seq. Verum nunquam talis prohibitio generalis in Ecclesia viguit.

Observandum, quod secundæ sive ulteriores nuptiæ inter fideles, æque ac primæ, sunt Sacramenta ; nec obstat, ut antea vidimus, quod secundæ nuptiæ mulieris non possint benedici, cum benedictio illa certe non sit de essentia Sacramenti.

Quæstio 2. *An unquam licita fuit polygamia secundi generis, seu polyandria ?*

R. Negative; quia repugnat primario Matrimonii fini, seu procreationi et debitæ educationi prolis. Mulieres enim, quæ pluribus viris commiscentur, sicut meretrices, ut plurimum sunt infœcundæ. Si autem proles nascatur, incertum est cujus sit viri ; incertum habet patrem, adeoque statum et cognationem : unde natum est fieri, ut debita ejus educatio negligatur. Deinde virorum pluralitas destrueret pacificam cobabitationem, cum unus vellet alteri prædominari : nec ordo familiæ patitur plura capita in uno corpore.

polyandria est jure naturæ prohibita;

Hinc est, quod, stante primo Matrimonio mulieris, nuptiæ cum secundo viro semper habitæ fuerint illicitæ et invalidæ, etiam apud infideles et barbaros.

Quæstio 3. *An et quo jure illicita est polygamia tertii generis, seu pluralitas uxorum ?*

pluralitas uxorum primitus fuit prohibita jure divino,

R. I. Jure positivo divino fuit prohibita in primæva Matrimonii institutione.

Hoc imprimis concluditur ex ipso facto creationis unius viri et mulieris : si enim voluisset Deus, ut vir unus pluribus uxoribus jungeretur, *cum unum hominem fecit, multas fecisset mulieres,* ut observat S. Joannes Chrysostomus, *Hom.* 62, alias 63, *in Matth.*, n. 1.

Hanc autem legem unitatis Matrimonii clare innuit Adam, ubi a Deo inspiratus ait : *Homo... adhærebit uxori suæ : et erunt duo in carne una :* nam, ut observat Innocentius III, cap, *Gaudemus, De divortiis : Non dixit tres vel plures, sed duo ; nec dixit : adhærebit uxoribus, sed uxori.*

Imo ipse Christus Dominus, ex citatis verbis concludens : *Itaque jam non sunt duo, sed una caro,* aperte legem unitatis Matrimonii docet, ut observat Concilium Tridentinum, Sess. XXIV ; adeoque istis verbis contentam ostendit.

in quo postea dispensatum est,

II. In hac lege postmodum a Deo dispensatum fuisse constat 1°. exemplis Abrahami, Jacobi, Davidis, aliorumque pietate insignium virorum, qui certe plures uxores non assumpsissent, nisi id licitum esse credidissent.

2°. Constat ex lege Mosaica, ubi frequenter licita supponitur pluralitas uxorum ; imo implicite saltem approbatur, ut Deut. XXI, 15, ubi Deus per Moysen præscribit, quomodo vir habens duas uxores et ex utraque filium, substantiam inter eos dividere debeat.

3°. Constat ex communi sententia tum Patrum, tum doctorum Judæorum.

Nec obstat, quod aliquando secunda uxor in Scriptura vocetur concubina, ut v. g. Agar : nam eadem, Gen. XVI, 3, dicitur etiam uxor. Secundariæ autem uxores plerumque dicebantur concubinæ, quia admittebantur tantum ad concubitum, non vero ad communitatem bonorum, nec earum filii ad hæreditatem patris.

Quandonam vero præfata dispensatio data fuerit, ignoratur. Communiter creditur datam non fuisse ante

diluvium ; quia solus Lamech, homicida, id attentasse legitur, qui propterea tanquam adulter habetur a S. Hieronymo et a Nicolao I, can. *An non,* causa 24, quæst. 3.

Plures existimant, paulo post diluvium fuisse concessam , quando ob paucitatem hominum multiplicandus erat populus fidelis , neque ita longæva erat vita hominum, ut ante. Unde loquitur Sara de hac re, tanquam nota et usitata, Gen. XVI, 2. Nam, licet quidam putent, singulos indiguisse speciali revelatione, qua ipsis innotesceret licitum esse plures sibi copulare uxores, probabilius tamen videtur, cæteros satis intellexisse exemplo unius sanctitate insignis patriarchæ, cui id revelatum fuerit, idem sibi licitum esse.

Interim quidam cum Estio fundamentum divinæ hujus concessionis desumunt ex Gen. XXI, 12, ubi Dominus dicit Abrahæ : *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus.* Porro, Sara suadente, duxit Abraham ancillam ejus Agar.

Inter theologos etiam non convenit, an hæc dispensatio generalis fuerit pro omnibus gentibus. Aliqui cum Estio, Sanchez, Drouin etc. putant solis Hebræis concessam fuisse, quia pro ipsis solis militabat ratio allegata de necessitate multiplicandi populum Dei. Communius vero cum Bellarmino, Sylvio, Billuart etc. dicitur, hanc facultatem ad gentiles fuisse extensam, ne occasionem scandali accepissent a Judæis. Dum enim videbant viros sanctitate præcellentes pluribus uxoribus jungi, merito existimare poterant, idem sibi licere. Hinc Esther conjugio copulata est Assuero, regi gentili, habenti aliam uxorem.

III. Sub Nova Lege polygamia jure divino est prohibita, dispensatione, de qua supra, a Christo Domino revocata, Matth. XIX, et primæva institutione redintegrata. sed dispensatio a Christo revocata.

Idem adhuc clarius constat ex verbis Domini, Luc. XVI, 18 : *Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur :* ergo a fortiori, qui priore retenta, alteram ducit, mœchatur. Nam, ut ratiocinatur Bellarminus, ideo mœchatur qui alteram ducit, quia prior revera non desinit esse uxor; atqui quando non est dimissa, a fortiori remanet uxor, et Matrimonium cum secunda est merum adulterium.

Tandem evidens fit ex perpetua Traditione et praxi Ecclesiæ. Adeo quidem constans et unanimis est Patrum ac Conciliorum doctrina, ut nullum ex adverso produci possit testimonium; adeo universalis Christianorum communis consensio et jurisprudentia in hac re, ut nulla gens christiana, nequidem ex hæreticis aut schismaticis, polygamiam non reprobaverit : si vero aliquando principes quidam, priore uxore vivente, alteram ducere tentaverint, nemo nescit quanta vi semper reclamaverint Summi Pontifices.

Solus Lutherus, etsi parum, ut solet, sibi constans, non solum scriptis et verbis hanc doctrinam impugnavit; sed insuper, adstipulantibus Bucero et Melanchtone, inaudito facinore, permisit sequaci suo Philippo, Hassiæ lantgravio, ut, vivente adhuc uxore, alteram duceret et duas simul haberet.

Contra illos Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, can. II, decrevit : *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores; et hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit.* Ergo de fide est, quoad Christianos lege divina pluralitatem uxorum esse prohibitam.

Quoad infideles vero eam nunc quoque prohibitam esse, colligitur ex constante Ecclesiæ praxi, quæ infideles ad Baptismum non admittit, nisi eam unicam retinere velint uxorem, quam primam duxerant, reliquis dimissis: Christus enim, cui data est omnis potestas in cœlo et in terra, omne conjugium ad primævam institutionem reduxit.

An jure naturæ pluralitas uxorum sit prohibita, disputatur.

IV. An jure naturæ sit prohibita pluralitas uxorum, non ita constat, et diversimode loquuntur auctores.

Communiter admittunt, non esse contra primarium Matrimonii finem, seu prolis generationem et educationem, nec contra præcepta primaria, quibus prohibita intelliguntur, quæ semper et ubique intrinsece mala sunt, nullamque dispensationem admittunt. Ab alia parte satis etiam constat, esse generaliter naturæ Matrimonii minus consentaneam, quia nata est impedire secundarium Matrimonii finem, seu pacificam cohabitationem.

Hinc S. Thomas, quæst. 65, art. 1, in corp., dicit : *Pluralitas uxorum neque totaliter tollit, neque aliqualiter impedit Matrimonii primum finem, cum unus vir sufficiat*

pluribus uxoribus fœcundandis, et educandis filiis ex eis natis. Sed secundarium finem, etsi non totaliter tollat, tamen multum impedit, eo quod non facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur ; cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, et etiam quia communicatio plurium in uno officio causat litem... Tertium autem finem totaliter tollit, eo quod sicut Christus est unus, ita et Ecclesia una. Infert S. Doctor, pluralitatem uxorum esse contra jus naturæ secundarium, in quo solus Deus dispensare possit. Ipsi consentiunt communiter theologi, quin tamen plerique definiant, an secundum Matrimonium, solo spectato jure naturæ, non tantum illicitum sit, sed etiam invalidum.

Non desunt porro graves theologi, qui ex enumeratis incommodis haud inferri posse putent, pluralitatem uxorum esse jure naturæ vere et universaliter prohibitam. « Multum sæpe difficilius est, » ait Liebermann, « pacem » domesticam servare cum una uxore rixosa, morosa, aut » libidinosa, quam cum duabus bene morigeratis. Deinde » an non bona liberorum educatio etiam impeditur per » polygamiam successivam ? Et si ex utroque conjugio » liberi nascuntur, quanta, quæso, discordiarum seges, » non inter liberos tantum, sed et eorum ex matre fami- » lias ! Ergo non illico legi naturæ repugnat, quod bono » familiarum aut societatis non satis consulit. Alio modo » differt malum a bono, alio minus perfectum a perfecto. » Quod proprie malum est, a culpa eximi nulla ratione » potest : at prudens legislator sæpe quæ minus perfecta » sunt, si non approbat, permittit tamen ; et ne graviora » exinde incommoda nascantur, cautus providet, donec, » mutato populi statu ac conditione, meliora et perfe- » ctiora possint in priorum locum substitui. » In hac sententia facilius explicatur, quomodo polygamia olim licita esse potuerit ; in altera sententia explicari nequit, nisi cum S. Thoma admittendo, dispensari a Deo posse in præceptis secundariis legis naturæ.

N. 58. De impedimentis Matrimonii in genere.

S. Thom., Supplem. quæst. 50.

Quid hic vocatur impedimentum Matrimonii ?

Impedimenta Matrimonii

R. Id quod Matrimonium contrahendum reddit invalidum, vel illicitum. Observa, quod impedimenta, de quibus hic agitur, directe ac primario impediant ipsum contractum naturalem Matrimonii : indirecte tantum afficiunt Sacramentum, quatenus contractus est de substantia Sacramenti, adeo ut, illo deficiente, Sacramentum subsistere nequeat, nec licite suscipi possit, nisi licitus sit contractus.

Sequitur, quod impedimenta juris naturalis etiam impediant Matrimonia infidelium, quæ non habent rationem Sacramenti, sed contractus tantum.

Quomodo dividuntur impedimenta Matrimonii ?

varie dividuntur.

R. Dividuntur 1°. in impedimenta dirimentia seu irritantia, et impedientia seu prohibentia tantum : hæc divisio liquet ex definitione : de posterioribus agetur a N. 61 ad N. 65, de prioribus N. 66 et sequentibus.

2°. In impedimenta juris naturæ, et impedimenta juris positivi. Quæ autem dirimant seu impediant jure naturæ, quæ jure positivo, dicetur infra per singula.

3°. In absoluta et respectiva. Absolutum dicitur, quo quis impeditur contrahere Matrimonium cum quacumque persona : qualia sunt votum, Ordo sacer, ligamen etc. ; respectivum dicitur, quod Matrimonium impedit cum certa quapiam persona, non cum omni : talia sunt cognatio, crimen, raptus etc.

4°. In perpetua et temporalia. Perpetua dicuntur quæ de se semper manent, etsi quædam tolli possint dispensatione aut voluntaria mutatione : talia sunt votum, cognatio, cultus disparitas etc. Temporalia dicuntur, quæ de se cum tempore cessant absque dispensatione : qualia sunt tempus clausum et impubertas.

5°. In publica et occulta.

6°. In ea quæ Matrimonium præcedunt, et ea quæ Matrimonio jam contracto superveniunt.

N. 59. De potestate Ecclesiæ constituendi impedimenta dirimentia Matrimonii.

Prænotandum circa potestatem constituendi impedimenta Matrimonii, præsertim dirimentia, plures viguisse et adhuc vigere perniciosos errores, quos hic breviter recensemus.

Errores varii circa potestatem Ecclesiæ.

Lutherus, in op. *De captivitate Babylonica*, et alibi docuit, Matrimonium non esse Sacramentum, sed contractum mere civilem et politicum; causasque matrimoniales, utpote mere civiles et politicas, ad judices sæculares pertinere. Hinc facultatem statuendi impedimenta dirimentia prorsus ecclesiasticæ potestati denegavit, ipsi tribuens tantum, ut possit promulgare ea quæ ipse Deus in Scriptura sacra, et præsertim Lev. XVIII constituit; insuper prætendit, in his dispensari non posse. Istos errores condemnavit Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, can. I, III et IV.

Post Lutherum, sæculo XVII, Marcus Antonius de Dominis, famosus apostata, Spalatensis olim Archiepiscopus, et Launoius, doctor Parisiensis, potestati Ecclesiæ circa Matrimonium infesti fuerunt. Posterior, a Spalatensis sententia vix discedens, in op. *De Regia in Matrimonium potestate* docet:

1°. Sacramentum a contractu matrimoniali esse prorsus distinctum. 2°. Ecclesiam posse propria auctoritate quædam statuere circa Sacramentum; non vero circa contractum, nisi ex principum expresso vel tacito consensu. 3°. Contractum esse mere civilem, civilis potestatis dispositionibus subjectum: irrito vero contractu, non subsistere Sacramentum, defectu materiæ.

Launoii systema vix editum optime refutarunt duo doctores Parisienses, Lhuillier et Gerbais, illudque damnavit Sedes Apostolica, 10 Septemb. 1688.

Circa medium sæculi XVIII, doctrinam Launoii fere demortuam suscitarunt quidam jurisperiti, eamque amplexa est turba doctorum schismaticorum in Gallia, et Josephismi, ut aiunt, fautores in Germania provinciisque

Imperatori subjectis. Eamdem adoptaverat Synodus Pistoriensis, anno 1786 sub Scipione Ricci celebrata, et a Pio VI per Bullam AUCTOREM FIDEI anno 1794 damnata. Eisdem principiis innixus Imperator Josephus II jam anno 1783 edictum dederat, quo omnes causas matrimoniales judicibus civilibus reservavit, et quædam etiam impedimenta ab Ecclesia statuta abrogavit.

Falsæ huic doctrinæ et impiæ legislationi fortiter restiterunt Episcopi et clerus Belgii aliarumque provinciarum, et signanter Archiepiscopus Mechliniensis, Cardinalis Joannes Henricus de Franckenberg. In Gallia vero ex præfatis doctrinis prodiit matrimonialis legislatio anni 1792, quæ Matrimonium unice ut civilem actum spectat, nihil attendens ad Ecclesiæ canones seu decreta.

Similem errorem nostra ætate propugnavit Franciscus de Paula Vigil, in op. *Defensa de la autoridad de los Gobiernos y de los Obispos contra las pretenciones de la Curia Romana*. Ipse enim, *potestatem, qua Ecclesia donata est a suo Divino Institutore, stabiliendi impedimenta Matrimonium dirimentia a principibus terræ dimanare tuetur, eamque Christi Ecclesiam sibi arrogasse impie affirmat*, ut loquitur Summus Pontifex Pius IX in Brevi MULTIPLICES INTER 10 Junii 1851, quo præfatum opus solèmniter proscripsit. Huc spectat propositio damnata LXVIII Syllabi 8 Decemb. 1864 : *Ecclesia non habet potestatem impedimenta Matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.* His præmissis,

Proba Ecclesiam habere potestatem statuendi impedimenta, quæ Matrimonii contractum vere dirimant quoad vinculum.

Potestas Ecclesiæ constituendi impedimenta

R. Prænotandum, quod ipse Christus Dominus, *cui data est omnis potestas in cœlo et in terra*, supremam suam potestatem in Matrimonium exercuit, dum, Matth. XIX, sublata polygamiæ et libelli repudii licentia, illud ad primævam institutionem revocavit, ejusque unitatem et perpetuitatem stabilivit, adeoque ligaminis impedimentum redintegravit; insuper, pro fidelibus gratiam annexuit et Sacramentum esse voluit.

Postea S. Paulus exceptionem a generali lege indissolubilitatis declaravit pro casu Matrimonii in infidelitate

contracti, dum pars infidelis non vult pacifice cohabitare cum altera ad fidem conversa.

Cum vero Christus Dominus noluerit exercere directe aliquam postestatem in res mere temporales, nec talem potestatem delegaverit Apostolis, concluditur, Ipsum habuisse contractum matrimonialem veluti rem sacram et spiritualem. Talem revera esse insuper constat ex dictis N. 25. Hinc potestas Ecclesiæ statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia

Probatur I. *Ex ratione theologica, fundata in Scriptura sacra.* Constat enim tum ex rei natura, tum ex agendi ratione Salvatoris et Apostoli, tum ex ratione Sacramenti, quæ contractui matrimoniali inest, hunc inter res sacras et spirituales annumerandum esse. Atqui Christus Dominus Ecclesiæ suæ tribuit in res sacras omnem potestatem, quæ necessaria aut opportuna esset ad bonum Ecclesiæ regimen, et ad salutem et sanctitatem fidelium promovendum, prout suadent illa verba Salvatoris : *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Matth. XVIII, 18. Talis porro est absque dubio potestas tum judicandi quænam causæ ex jure naturali aut divino Matrimonium dirimant; tum alia statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia : cum ab una parte ipsa ratio contractus habeat, ut a legitima potestate irritari possit, ab alia vero, bonum commune Ecclesiæ et salus fidelium postulet, ut quibusdam de causis Matrimonium irritetur, v. g. causa criminis, aut Ordinis sacri, voti solemnis etc. Hoc sane non illi negabunt, qui talem potestatem principibus ideo tribuunt, quod illam bono societatis civilis necessariam putent. Ergo. prob. I, ex Scriptura sacra.

Probatur II. *Ex Traditione et praxi Ecclesiæ.* Antiquissimis enim documentis constat, Ecclesiam ab initio amplissimam potestatem in Matrimonia fidelium exercuisse ; tum statuendo, *ut sponsi et sponsæ de sententia Episcopi conjugium faciant, ut nuptiæ secundum Dominum sint, non secundum cupiditatem,* prout loquitur S. Ignatius Martyr, *Epist. ad Polycarpum*, cap. 5 ; tum ritus etiam determinando in earum celebratione adhibendos, ut preces, benedictiones, annuli traditionem etc. ; item locum designando, ubi jungerentur, in ecclesia scilicet inter Prob. II, ex Traditione.

Missarum solemnia, ut constat ex Tertulliano, *Ad uxorem*, lib. 2, cap. 9 ; tum varias itidem prohibitiones edendo, v. g. circa nuptias ministrorum Ecclesiæ, aut fidelium cum infidelibus, de quibus modo Apostolus : *Nolite jugum ducere cum infidelibus ;* tum insuper impedimenta quædam dirimentia sanciendo.

Quod jam primis sæculis quædam impedimenta dirimentia statuerat Ecclesia, clare testatur S. Basilius, *Epist.* 160 *ad Diodorum*, n. 2, ubi defendit, nullum esse Matrimonium, quod aliquis iniret cum fœmina cujus sororem carnaliter cognovisset, ob impedimentum scilicet affinitatis in primo gradu lineæ transversæ ; idque ex Patrum traditione imprimis probat : *Primum,* inquit, *quod in ejusmodi rebus maximum est, morem nostrum objicere possumus, ut vim legis habentem, eo quod nobis a viris sanctis traditæ sint regulæ.* Ita ipse loquitur sæculo IV. Revera hoc impedimentum jam statutum legitur in Concilio Neocæsariensi anni 314.

Eadem ætate Concilium Illiberitanum, can. 66, statuit : *Si quis privignam suam duxerit uxorem, eo quod sit incestus, placuit nec in fine dandam esse communionem.*

« Similiter S. Gregorius Magnus, sexto sæculo, de variis » loquitur impedimentis, maxime de quibusdam consan- » guinitatis atque affinitatis gradibus, ab Ecclesia consti- » tutis, etiam repugnantibus aliquando principum edictis. » Suam quoque hac in materia auctoritatem exercuit » idem Pontifex, dum ecclesiasticam legem quoad gra- » duum extensionem, in gratiam neocatholicorum in » Anglia relaxavit. Sæculo quoque septimo, in Synodo » Quinisexta, vulgo Trullana, anno 692 celebrata, varia » Matrimonii impedimenta statuta aut confirmata fue- » runt, quæ etiamnum apud Græcos obtinent, licet tot » jam sæculis hi ab Ecclesia Romana recesserint. » Ita Moser, *De impedimentis Matrimonii*, cap. 21.

Plura documenta vide apud Perrone, *De Matrimonio christiano*, lib. 2, cap. 1, art. 2, et cap. 2, art. 2, aliosque fusiores theologos.

Prob. III, argumento præscriptionis.

Probatur III. Argumento *præscriptionis*. Etenim quo tempore Lutherus contra Ecclesiam rebellare cœpit, hæc pacifice, nemine reclamante, utebatur ab immemoriali tempore potestate statuendi impedimenta Matrimonii,

et causæ matrimoniales ubique ad eam deferebantur, non ab indoctis tantum et infimæ plebis hominibus, sed a doctis etiam, ab ipsis quoque regibus et imperatoribus. Nullum vero tempus assignari potest, quo Ecclesia illam potestatem sibi arrogasset : ergo dicendum, quod ab initio illam habuerit, atque ab ipso Christo acceperit.

Probatur IV. *Ex Concilio Tridentino,* signanter ex can. IV, Sess. XXIV, ubi doctrinam Ecclesiæ sic definit : *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.* Prob. IV, ex Concilio Tridentino.

Ex hoc canone patet, esse de fide, dictam potestatem Ecclesiæ vere competere.

Objicitur 1°. cum Luthero ejusque asseclis. Deus, Lev. XVIII, determinavit, inter quas personas Matrimonium contrahi possit vel non possit, atque ita numerum impedimentorum constituit; qui proinde ab Ecclesia neque augeri, neque minui potest. Objectiones refelluntur.

R. Neg. conseq. Impedimenta a Veteri Lege statuta sunt pro Judæis, non pro Christianis, nisi eadem sub Nova Lege sancita fuerint.

Lege Veteri abrogata, potuit Ecclesia, potestate quam a Christo Domino accepit, ut probavimus, eadem statuere, nova addere, in his et illis dispensare etc. Unde merito definivit Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, can. III : *Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum ; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant et dirimant; anathema sit.*

Obj. 2°. Matrimonium est contractus civilis ; atqui Ecclesia in contractus civiles nullum jus habet ; ergo non potest statuere impedimenta Matrimonii dirimentia.

R. Dist. maj. Matrimonium est contractus secundario et accidentaliter civilis, sed primario et essentialiter contractus naturalis et religiosus, conc. ; est contractus mere civilis, nego. Cfr. dicta N. 23.

Obj. 3°. Ecclesia non potest mutare materiam Sacramenti ab ipso Christo determinatam ; atqui id faceret, si contractui matrimoniali novum impedimentum dirimens opponeret.

R. 1°. Illa difficultas ad minus æqualiter impedit potestatem principum, adeoque inepte proponitur ab iis qui principibus deferunt potestatem, quam Ecclesiæ abjudicant.

2°. Neg. min. Materia enim Sacramenti est contractus validus ; illudque verum manet post legem Ecclesiæ irritantem, ut antea : Ecclesia impedit tantum, ne contractus sit validus. ac proinde ne materia existat ; eodem fere modo ac ille, qui ex aqua facit cerevisiam, non mutat materiam Baptismi, sed facit ut aqua non amplius sit aqua, seu materia apta.

Nota. Ex canone IV, Sess. XXIV, Concilii Tridentini, supra intulimus, esse de fide, Ecclesiæ competere potestatem constituendi impedimenta Matrimonium dirimentia. Interim cum multi ex iis, qui cum Launoio hanc potestatem Ecclesiæ proprio jure competere negant, catholici videri velint, varia excogitarunt effugia, quibus vim canonum Concilii Tridentini elidere nituntur. Sic dixerunt : 1°. canones illos non esse dogmaticos, sed mere disciplinares, adeoque fidem non attingere ; aut 2°. nomine Ecclesiæ posse intelligi cœtum fidelium, seu principes christianos, qui sunt de Ecclesia, et insignis illius pars ; vel 3°. certo canones posse intelligi de potestate, quam Ecclesia a principibus mutuata sit, et exercecat expresso vel tacito eorum consensu. Sequentibus quæstionibus has difficultates solvimus.

Proba canones Concilii Tridentini, qui Ecclesiæ adscribunt potestatem condendi impedimenta dirimentia, esse dogmaticos.

Canones Tridentini sunt dogmatici, non mere disciplinares.

R. Canones illi vere sunt dogmatici, seu dogma fidei stabiliunt, si in iis statuatur, non tantum quid agendum sed quid credendum ac docendum sit ; atqui ita esse

Probatur 1°. ex obvio sensu illorum canonum, qui anathema pronuntiant, non in contrahentes vetante Ecclesia, sed contra negantes Ecclesiæ potestatem impedimenta condendi, aut dicentes, illam in condendis impedimentis errasse.

Prob. 2°. ex scopo Concilii in statuendis illis canonibus, quem ipsi Patres ibidem esse declarant, exterminare *schismaticorum hæreses et errores.*

Prob. 3°. ex rationibus, quibus mox demonstrabimus, hic agi de potestate originaria Ecclesiæ ab ipso Christo ei

tradita : potestas autem a Christo Ecclesiæ tradita fidei est objectum, adeoque canon illam definiens dogmaticus est.

Prob. 4°. ex damnatione doctrinæ Nuytzii, qui eumdem errorem renovavit. Vide propositionem LXX Syllabi 8 Decemb. 1864, infra referendam.

Proba nomine Ecclesiæ hic intelligi non posse cœtum fidelium, aut principes qui sunt in Ecclesia, sed Ordinem hierarchicum, seu prælatos Ecclesiæ.

R. Probatur 1°. ex eo quod hic agatur de potestate et doctrina Ecclesiæ, ut ex dictis patet. Porro licet aliquando Ecclesia dicatur totus cœtus fidelium, vel aliqua pars illius, ubi tamen agitur de potestate et doctrina Ecclesiæ, semper intelligendum est illud de iis qui, juxta Christi institutionem, docendi et regendi potestatem in Ecclesia exercent, id est, de prælatis Ecclesiæ. et nomine Ecclesiæ designant prælatos Ecclesiæ non principes sæculares,

Prob. 2°. ex eo quod, can. IX, Concilium vocat *ecclesiasticam*, legem illam, qua inductum est impedimentum Ordinis : atqui ecclesiasticæ non dicuntur leges principum sæcularium, sed principum spiritualium seu ecclesiasticorum.

Prob. 5°. ex eo quod, can. VII, anathema pronuntiat contra illum, *qui dixerit Ecclesiam errare, cum docuit, et docet*, etc. Etenim Ecclesiam docentem certo non constituunt principes sæculares, sed prælati Ecclesiæ : ergo et in cæteris canonibus, dum loquitur de potestate et doctrina Ecclesiæ, prælati Ecclesiæ, non principes sæculares, intelligendi sunt.

Proba præfatos Tridentinos canones, non de adventitia ex tacito vel expresso principum consensu, sed de originaria ac propria Ecclesiæ potestate loqui.

R. Probatur cum illustri jurium ecclesiasticorum in Belgio propugnatore, Card. de Franckenberg, Archiepiscopo Mechliniensi, in suo *Judicio doctrinali super doctrina professorum Seminarii Generalis, Lovan. die* 26 *Jun.* 1789. aguntque de potestate Ecclesiæ propria, non de adventitia.

1°. Ex eo quod unanimi consensu theologi hos canones ita intellexerint ante Launoium, atque deinceps omnes cordati catholici.

2°. Si Ecclesia revera fuisset illam potestatem mutuata a principibus hujus sæculi, eam sibi competere judicio dogmatico definire non potuisset; cum similis concessio sit factum mere humanum, non aliquid divinitus revelatum.

Imo contingere posset, ut dogmatica illa definitio foret falsa, v. g. sub infidelium dominatione, aut si principes concessam potestatem revocarent.

3°. Potestas illa competit Ecclesiæ, quia contractus matrimonialis ex se spiritualis est, ac insuper a Christo elevatus ad dignitatem Sacramenti : unde ab ipso Christo Domino, ut supra vidimus, et postea per Apostolum Paulum, multa circa ipsum statuta ac definita fuerunt. Potestatem autem in res spirituales Ecclesia non habet a principibus temporalibus, sed a Christo Domino.

4°. Ex praxi Ecclesiæ, quæ semper hanc potestatem exercuit ut sibi propriam, imo quandoque invitis principibus : ut dum a principibus statuta impedimenta abolevit, aut dum votis principum, postulantium in Concilio Tridentino ut irritum declararetur Matrimonium filiorum familias sine consensu parentum initum, cedere noluit. Unde et ipsi principes catholici semper ad Ecclesiam recurrerunt ad obtinendas dispensationes in impedimentis canonicis. Præterea nullo documento probari potest, principes hujusmodi potestatem unquam Ecclesiæ concessisse.

5°. Probatur ex eo quod potestas illa Ecclesiæ omnino necessaria sit, ut dignæ susceptioni Sacramenti Matrimonii prospicere valeat.

6°. Hanc potestatem originarie Ecclesiæ competere, probatur etiam ex Bulla Auctorem fidei, anno 1794 a Summo Pontifice Pio VI edita, in qua contraria sententia uti hæretica damnatur propositione 59ª, quæ sic sonat : *Doctrina Synodi asserens,* ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare, contractui Matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quæ ipsum nullum reddunt dicunturque dirimentia, *quod* jus originarium *præterea dicitur cum* jure dispensandi essentialiter connexum, *subjungens,* supposito assensu vel conniventia principum, potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum Matrimonii ; *Quasi Ecclesia non semper potuerit, ac possit in Christianorum Matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quæ Matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus Christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium; in iisdemque dispensare. Canonum III, IV, IX, XII, Sess. XXIV, Concilii Tridentini eversiva,*

hæretica. Unde concludendum, de fide esse, Ecclesiam posse jure proprio impedimenta dirimentia statuere, seu prædictam potestatem ei originarie competere.

7°. Probatur tandem ex reprobatione operum Nuytzii. Inter errores a Pontifice Pio IX in Brevi 22 Augusti 1851 enumeratos, sequentes notantur : quod professor ille Taurinensis assereret, *Ecclesiam sequioribus sæculis dirimentia impedimenta inducere cœpisse, non jure proprio sed illo jure usam, quod a civili potestate mutuata erat;* et *Tridentinos canones, qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiæ negare audeant, vel non esse dogmaticos, vel de hac mutuata potestate intelligendos.* Hæ propositiones jussu Pontificis relatæ fuerunt LXIX et LXX inter damnatas in Syllabo 8 Decemb. 1864. In posteriori propositione simul reprobatur error eorum, qui dicunt canones Tridentinos, statuentes Ecclesiam gaudere potestate condendi impedimenta dirimentia, non esse dogmaticos, de quo supra.

Quibusnam in Ecclesia competit jus statuendi impedimenta dirimentia?

Quinam in Ecclesia possint impedimenta condere.

R. 1°. Certum est, hanc potestatem inesse Concilio generali, quod Ecclesiam repræsentat, et Summo Pontifici, in quo residet plenitudo auctoritatis ecclesiasticæ, vi cujus potest leges condere et decreta quæ obligant omnes ecclesias.

2°. Certum adhuc videtur, potuisse olim Concilia particularia constituere impedimenta dirimentia pro aliqua provincia. Revera pleraque ex iis quæ viguerunt in primis sæculis, originem ducunt a Conciliis provincialibus.

Communissime autem tradunt theologi, hodie ad solum Concilium generale, vel ad Romanum Pontificem pertinere, impedimenta dirimentia statuere. Cum enim Episcopi et Concilia particularia subjiciantur auctoritati Summi Pontificis, eorum jurisdictio, consentientibus omnibus Catholicis, ait Benedictus XIV, *De Synodo*, lib. 7, cap. 8, n. 7, ejusdem Pontificis auctoritate et imperio limitari, atque ex legitima causa omnino auferri potest. Porro facta fuit hæc limitatio seu reservatio, nempe ex consuetudine, quam testantur fere omnes auctores.

Cæterum necesse non est, ut semper expressa lege statuatur impedimentum : sufficere potest consuetudo. Id

constat 1°. ex decisione Alexandri III, cap. *Super eo, De cognatione spirituali*, lib. 4 Decretal.; 2°. ex eo quod reipsa quædam impedimenta induxerit consuetudo, uti agnoscunt plerique canonistæ, et expresse de impedimento disparitatis cultus asserit Benedictus XIV, Constit. SINGULARI, § 10, Bullar. tom. 7, edit. Mechlin.; 3°. ex ratione quia cum jura generatim tribuant consuetudini vim inducendi leges, nulla est ratio sufficiens excipiendi impedimenta Matrimonii.

An infideles, aut hæretici ligantur impedimentis canonicis?

Impedimentis ab Ecclesia sola constitutis non ligantur infideles,

R. 1°. Infideles certo non ligantur, saltem directe, impedimentis sola auctoritate Ecclesiæ constitutis : Ecclesia enim auctoritatem non habet in eos, qui non fuerunt baptizati, secundum hæc verba Apostoli, I Cor. V, 12 : *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare ?* Subjiciuntur autem impedimentis, tum juris naturalis, tum juris divini positivi.

Indirecte tamen attingi possunt impedimento ecclesiastico, v. g. si conjungi velint cum fidelibus, qui subjiciuntur impedimentis Ecclesiæ.

ligantur vero hæretici.

2°. Quoad hæreticos, certum est eos non eximi ab auctoritate Ecclesiæ, adeoque hujus impedimentis ligari posse ; sed quæstio est de voluntate Ecclesiæ, an nempe eos ligare velit.

Quamvis non pauci, præsertim inter Germanos, ut Layman, Schmalzgrueber etc., id negent, quoad hæreticos qui degunt in societate ab Ecclesia prorsus separata, videtur omnino dicendum, eos impedimentis Ecclesiæ subjici,

Probatur præsertim ex praxi et sensu Ecclesiæ Romanæ, « qui nobis innotescit, » ait Carrière, *Compendii* n. 139, « sive ex indulto, quo a Summis Pontificibus conceditur » Episcopis facultas *dispensandi in contractis Matrimoniis* » *cum hæreticis conversis, etiam in secundo simplici et* » *mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum,* » unde deducitur, hæreticos indigere dispensatione; sive » ex auctoritate Benedicti XIV, qui illud declarat aut supponit, tum in Constitutione AD TUAS MANUS, directa ad » Episcopos Poloniæ, die 7 Augusti 1748; tum in declaratione, data anno 1741, circa Matrimonia Hollandiæ; » tum demum in epistola ad Card. Eboracensem, die

» 9 Febr. 1749, in qua pro casu quodam peculiari ita » diserte pronuntiat. »

Ita Carrière, qui tamen contrarium dicendum putat, si ageretur de impedimentis, nonnisi post peractam separationem hæreticorum statutis.

Quæ de impedimento clandestinitatis specialiter notanda sunt, dicentur suo loco.

Quænam intelliguntur per causas matrimoniales, quæ, juxta Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, can. XII, spectant ad judices ecclesiasticos ?

Quæ sint causæ matrimoniales spectantes ad judices ecclesiasticos.

R. verbis Benedicti XIV, *De Synodo diœcesana*, lib. 9, cap. 9, n. 3 et seq. « Tria sunt causarum matrimonialium » genera : 1°. Aliquæ versantur circa initi conjugalis fœ- » deris firmitatem ; et hæ, nullo Catholicorum contradi- » cente, in solo Ecclesiæ foro sunt pertractandæ... »

« 2°. Aliæ sunt causæ excitatæ aut super validitate » Sponsalium, aut super jure instituendi divortium, quo- » ad thorum et cohabitationem ; et istæ pariter, ob illum » respectum, quem habent ad Matrimonii Sacramentum, » ad solum judicem ecclesiasticum deferuntur : quod de- » ducitur ex cap. *Ex litteris*, *De Sponsalibus*, et ex cap. » *Porro*, *De divortiis*. Sponsalia quippe prævia sunt ad » Matrimonium celebrandum obligatio, et per divortium » jura relaxantur utrique conjugum ex Matrimonio quæ- » sita. »

« 3°. Aliæ demum sunt causæ, quæ connexionem qui- » dem habent cum Matrimonio, sed res mere politicas » et temporales directe atque immediate respiciunt ; uti » sunt lites, quæ frequenter moventur, super dote, dona- » tione propter nuptias, hæreditaria successione, alimen- » tis, et similibus : et istas ad judices sæculares pertinere, » ex communi doctorum sensu, recte docent Bellarminus » et Tannerus. »

Probantur pertinere ad judices ecclesiasticos

Causas Matrimoniales primi et secundi generis, seu ipsum vinculum conjugale et Sacramentum spectantes, ad judices ecclesiasticos pertinere, patet ex ipsa natura Matrimonii, sive quatenus Sacramentum est, sive quatenus contractus est religiosus, divinæ institutionis et a legibus divinis pendens : Ecclesiæ enim imprimis est judicare de rebus sacramentalibus, aliisque conscientiam et mores directe concernentibus.

« Idipsum evincitur, » ait Perrone, *Prælectiones theologicæ*, tract. *De Matrimonio*, n. 257, « ex agendi ratione » Christi, Apostoli Pauli et perpetua Ecclesiæ praxi. » Christus enim causam de repudio ac de divortio judica- » vit, Matth. V et XIX, nec eam ad magistratum politicum » remisit, prout fecit cum ageretur de hæreditate, Luc. » XII, 14. Sic etiam Apostolus, I Cor. VII, causam judica- » vit de conjugio inter fidelem et infidelem. De praxi » autem Ecclesiæ tot sunt documenta, quot Romanorum » Pontificum decreta et canonum sanctiones, quæ quovis » sæculo editæ sunt ad conjugia spectantes. »

Hinc vel ipsi Anglicani et plerique protestantes Germani, causas hujusmodi ad Ecclesiæ forum pertinere, nobiscum sentiunt. Ita de istis causis loquens in opere suo *Jus ecclesiasticum protestantium*, tom. 1, lib. 2, § 24, dicit Boehmer : « Protestantes sequuntur jus pontificium; » quamvis enim negent Matrimonium esse Sacramentum, » existimarunt tamen majores nostri, matrimoniales cau- » sas ad casus conscientiæ esse referendas, quorum cum » non habeatur ratio in foro sæculari, merito easdem » judicio ecclesiastico esse delegandas. »

privative. Imo ex adductis rationibus liquet, *omnes* hujusmodi causas spectare privative ad *solos* ecclesiasticos judices, nequaquam ad judices civiles. Atque hoc sensu accipiendum esse canonem XII Concilii Tridentini, luculenter docet et demonstrat Pius VI in epistola, quam sub forma Brevis dedit ad Episcopum Motulensem 16 Septemb. 1788, quamque edidit integram cl. Moser, *De impedimentis Matrimonii*. Inter alia hæc habet Pontifex : *Si hæ causæ non alia ratione pertinent ad unum Ecclesiæ judicium, nisi quia contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem Legis evangelicæ Sacramentis, sicut hæc ratio Sacramenti communis est omnibus causis matrimonialibus, ita omnes hæ causæ spectare unice debent ad judices ecclesiasticos, cum eadem sit ratio in omnibus.*

Idem liquet ex constanti Ecclesiæ praxi, quæ semper hujusmodi causas sibi vindicavit; ex eo quod non simplices fideles modo, sed etiam principes, causas concernentes valorem Matrimonii similesque ad Ecclesiæ tribunal semper detulerunt.

Hinc patet, quantum ab Ecclesiæ doctrina et a veritate

aliena sit sententia Launoii cæterorumque regalistarum, qui causas matrimoniales vel omnes, vel illas saltem *quæ sunt meri facti*, ut aiunt, judicibus laicis subjiciunt; et quam merito Summus Pontifex Pius IX damnaverit hanc propositionem professoris Taurinensis Nuytz : *Causæ matrimoniales et Sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent;* quæ Syllabo 8 Decemb. 1864 inserta est numero LXXIV.

N. 60. An principi sæculari competat potestas statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia.

Ex dictis N. præc. patet, satis constare, et inter Catholicos convenire de potestate Ecclesiæ in Matrimonia fidelium ; minus vero inter illos convenit quoad potestatem principum sæcularium in Matrimonia seu fidelium seu infidelium, et signanter quoad potestatem condendi impedimenta Matrimonium dirimentia.

Variæ doctorum sententiæ.

Quoad Matrimonia fidelium non pauci doctores etiam ex præstantioribus, ut Petrus Soto, Thomas Sanchez, et præsertim plerique ex Gallia et Germania, inter quos Drouin, Tournely, Collet, Gerbais, Pachman etc., Ecclesiæ agnoscentes potestatem condendi impedimenta, eamdem tamen pari ratione principibus sæcularibus competere contendunt, jure proprio et suæ auctoritati innato, ut loquuntur. Quidam vero ex ipsis putant, principes ea potestate uti non posse, nisi concurrat auctoritas Ecclesiæ, ne conflictus oriatur inter utramque potestatem civilem et ecclesiasticam. Plures autem doctores catholici, sive veteres sive recentiores, principibus denegant omnem hujusmodi potestatem circa Matrimonia fidelium.

Quoad Matrimonia infidelium, communissima fuit superioribus sæculis inter theologos sententia principibus adscribens potestatem condendi impedimenta Matrimonium dirimentia quoad vinculum et in conscientia. Unde sæculo elapso Facultas theologica Lovaniensis, in *Judicio doctrinali* anni 1759 circa potestatem principum sæcularium in Matrimonium, affirmat : « Extra dubium esse

positum penes sæculares principes esse potestatem irritantia impedimenta statuendi respectu Matrimoniorum non baptizatorum sibi subditorum. »

Quantum vero absit, ut istud extra dubium positum sit, constabit ex statim dicendis.

Quid certo statuere possunt principes sæculares circa Matrimonia subditorum sive fidelium sive infidelium?

Certo valent principes præscribere civiles formas.

R. 1°. Cum effectus Matrimonii qui *civiles* vocantur, principum sæcularium auctoritati subjiciantur, de his procul dubio statuere possunt, quidquid ad pacem familiarum ipsumque bonum commune reipublicæ procurandum, necessarium est. Ita conditiones præscribere possunt sine quibus Matrimonia, etiam Christianorum, in foro civili ut legitima non habeantur, neque effectus civiles consequantur. Olim in Belgio nullæ ejusmodi conditiones præscriptæ erant, sed eo ipso quo Matrimonia legitime coram Ecclesia contracta erant, in foro etiam civili omnes effectus obtinebant. Hodiedum vero ad hoc plura a conjugibus præstanda sunt, quæ recensentur in Codice Civili, ab art. 63 ad 76 ; item ab art. 144 ad 179. Ibidem quoque ab art. 203 ad 228 recensentur effectus quos lex agnoscit, et qui ex cæremonia civili coram magistratu a conjugibus paracta provenire censentur. Ab art. autem 1387 ad 1581 agitur de conventionibus quas conjuges ante Matrimonium per actum notarialem stipulari possunt circa bona sua temporalia, et de horum in defectu specialis stipulationis regimine.

2°. Videtur dicendum, quod, bono communi sic exigente, principes cogere possint cives qui Matrimonium inire volunt, ut civilis legis præscriptiones, modo juribus Ecclesiæ non sint contrariæ, adimpleant, unde Matrimonia eorum in foro civili legitima censeantur, et civiles effectus Matrimonii sortiantur; pœnis etiam plectendo, v. g. civili officio privando illos, qui neglectis istis præscriptionibus, matrimonialiter cohabitant.

3°. « Principes christiani, » ait Moser, cap. 23, « tanquam Ecclesiæ pii filii, ejusdemque strenui defensores ac vindices, circa Christianorum Matrimonia, sicuti circa res sacras cæteras, ea quoque decernere valent, quæ conducere nata sunt ad Ecclesiæ hac in re leges manutenendas, earumque violatores pœnis etiam temporalibus

» coercendos..... Observandum tamen, hanc principum » protectionem Ecclesiæ beneplacito omnino subjacere, » eique in omnibus conformem esse oportere,.. ita ut si- » milis defensio nunquam nec ullo modo, ultra Ecclesiæ, » quæ defenditur, voluntatem, extendi possit. »

An conjuges possunt ac tenentur adimplere formas seu solemnitates a lege civili apud nos pro Matrimoniis præscriptas ?

Fideles possunt præscriptas illas formas adimplere,

R. ad 1. Affirmative ; possunt eas adimplere quia sunt actus profani qui nihil mali in se continent, et id unice efficiunt ut conjuges apud civilem potestatem ut Matrimonio juncti agnoscantur, et eorum Matrimonia civiles effectus consequantur.

Hinc ad Episcopum Lucionensem, nomine Pii VI respondit Cardinalis de Zelada : *Nihil impedimento esse, quominus fideles, ut civilibus effectibus potiantur, præscriptam a nationali conventu declarationem faciant, illud semper præ oculis habentes, nullum ab illis tunc contrahi Matrimonium, sed actum mere civilem exerceri. Collectio Brevium Pii VI*, tom. 1, pag. 500. Monitum autem quod adjicit Cardinalis Zelada jam dederat Benedictus XIV, in litteris ad Missionarios Hollandiæ datis 17 Septemb. 1746, his verbis : *Sciant Catholici vestræ curæ concrediti, cum civili magistratui... Matrimonii celebrandi causa se sistunt, actum se mere civilem exercere, quo suum erga leges et instituta principum obsequium ostendunt; cæterum tunc quidem nullum a se contrahi Matrimonium.* Vide *De Synodo diœcesana*, lib. 6, cap. 7, n. 5. Hodiedum vero specialis obligatio incumbit parochis, fideles suæ curæ commissos plenius ea de re instruendi, cum non desint adversarii veritatis, qui etiam scriptis publicis asserere non vereantur, Matrimonium coram magistratu contrahi, et contractum coram parocho pro mera cæremonia habendum esse.

ac regulariter tenentur.

R. ad 2. Regulariter tenentur in conscientia præscriptas civiles formas adimplere, quatenus bonum proprium, bonum prolium, familiæ et ipsius societatis exigit, ut Matrimonia effectus civiles obtineant, et lites ac damna evitentur, quæ alioquin nata sunt sequi.

Additur *regulariter*, quia aliquando licet civiles formas omittere ; si nempe necessitas cogat Matrimonium inire, et formæ istæ adimpleri non possint.

In Belgio leges civiles prohibent sub gravi pœna, ne sacerdos Matrimonium benedicat priusquam civiles formæ adimpletæ sint, sed simul supponunt casus accidere posse, in quibus id liceat, qui tamen necdum determinati sunt. Vide Constitutionis belgicæ art. 16.

An principes possunt propria auctoritate inducere impedimenta quæ dirimant seu irritent Matrimonia fidelium?

Principes impedimenta dirimentia condere certo non valent quoad Matrimonia fidelium.

R. Nequaquam id possunt ; sed hæc potestas uni Ecclesiæ est propria.

Prob. I, ex doctrina Ecclesiæ.

Probatur I. *Ex doctrina Ecclesiæ,* quæ luculenter patet ex decretis Conciliorum, et ex declarationibus Summorum Pontificum ac sacrarum Congregationum.

1°. Ex decretis Conciliorum : licet enim Concilia explicite non definiant, jus statuendi impedimenta dirimentia non competere principibus, ex iis tamen quæ docent, merito sic infertur. Ita Concilium Lugdunense II et postea Florentinum statuunt, post mortem conjugis secundas et tertias nuptias valide contrahi posse, *si aliquod impedimentum canonicum non obsistat :* ergo ad illas invalidandas non sufficit impedimentum civile.

Clarius id insinuat Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, *De reformatione Matrimonii,* cap. I, ubi declarat, Matrimonia clandestina vera esse Matrimonia, *quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit :* ergo vera et valida essent Matrimonia, si sola civilis potestas ea irrita declararet.

Præterea, cit. Sess., can. XII, anathemate damnat eos, qui dixerint, *causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos.* Probavimus autem præc. N., hoc intelligendum esse de potestate exclusiva Ecclesiæ præcipue circa causas concernentes nexum matrimonialem. Ergo de his causis sola Ecclesia potest judicare ; ac consequenter sola potest impedimenta dirimentia decernere. Si enim principes etiam possent hæc statuere, non posset eis denegari potestas in casibus particularibus judicandi, an impedimentum hujusmodi subsit.

2°. Ex declarationibus Summorum Pontificum :

Urbanus VIII circa Matrimonium fratris Ludovici XIII, regis Galliæ, sine hujus consensu initum, declaravit : *Non esse in sua potestate, ut Matrimonium juxta regulas et præscripta Concilii Tridentini contractum, irritum faceret ; Galliæ leges nulla vi pollere in Sacramentum, quod a*

Christo institutore et Ecclesiæ canonibus unice pendet. Qualescumque essent civiles harum legum effectus, persistere, immotumque esse Matrimonii vinculum.

Benedictus XIV, in litteris 9 Febr. 1749 ad Cardinalem Eboracensem declarat, quod impedimentum a principe laico statutum in Matrimoniis vim habere non debeat, sed inquirendum sit : *num jure canonico tale impedimentum decretum fuerit, aut communi Ecclesiæ Catholicæ consuetudine stabilitum.* Bull. edit. Mechl., tom. 3, pag. 18.

Pius VI, in Brevi Apostolico ad Episcopum Motulensem, dato die 16 Septemb. 1788, de Matrimonio loquens dicit : *Ad solam Ecclesiam... jus omne ac potestas pertinet suam assignandi formam huic contractui, ad sublimiorem Sacramenti dignitatem evecto, ac proinde de Matrimoniorum validitate aut invaliditate judicium ferre.*

Pius VII, in instructione data Nuntio Apostolico in Polonia, anno 1808, inter alia dicit : *Matrimonium, cui nullum canonicum impedimentum obstat, verum et ratum proindeque indissolubile esse, quodcumque impedimentum ei potestas civilis, absque jure atque sine consensu et approbatione Ecclesiæ Catholicæ ejusque capitis Pontificis Romani, opponat.* Extat hæc instructio in opere cui titulus : *Monumenta catholica pro independentia potestatis ecclesiasticæ*, auctore De Roskovany.

Denique, omissis aliis, Pius IX, in epistola ad regem Sardiniæ 19 Septemb. 1852, sic loquitur : *Non datur igitur aliud conciliationis medium, nisi ut Cæsar servet quæ sunt Cæsaris, et Ecclesiæ relinquat, quæ ad eam pertinent. Potestas civilis statuat tantum de effectibus civilibus, qui ex Matrimonio proveniunt ; sed relinquat Ecclesiæ illius valorem inter Christianos ordinare.*

3°. His Romanorum Pontificum instructionibus et decretis conformes prodierunt plures sacrarum Congregationum decisiones.

Ita in Rituali Bellicensi legitur responsio sacræ Pœnitentiariæ data Episcopo Vivariensi 1 Junii 1824 : *Sacra Pœnitentiaria, perpensis expositis, Venerabili in Christo Patri, Episcopo Vivariensi, respondet, primum Matrimonium a Petro.... contractum in forma Ecclesiæ consueta, absque impedimento canonico, sed tantum cum impedimento civili, validum esse*, etc.

Hinc adeo clara et constans est sententia Sanctæ Sedis in hac quæstione, ut nullus qui Sedi Petri in doctrina fidei et morum cordatam adhæsionem voverit, aliter sentire possit. Ideo, retractata contraria sententia, cui prius adhæserat, hanc quoque in posterioribus editionibus *Institutionum theologicarum* adoptavit Ill. Bouvier, quem in *Compendio De Matrimonio*, edito anno 1857, imitatus est cl. Carrière.

Productis documentis unum antiquissimum addimus ex sæculi III initio, quod nuper prodiit, et legitur in op. *Philosophoumena* seu *contra hæreses*, quod nonnulli Origeni, alii S. Hippolyto, primo Episcopo Portuensi, alii aliis attribuunt, sed manifeste est elucubratio alicujus invidi æmulatoris S. Callixti, Romani Pontificis. Auctor ille, quiscumque sit, S. Callixto vitio vertit, quod permitteret honestis fœminis, non servatis legum præscriptionibus, aliquem in maritum sibi adsciscere, quem elegissent, sive servum, sive liberum, seu talis conditionis, cui illæsa propria dignitate, non possent legaliter nubere. Inde enim manifestum fit, hunc Pontificem persuasum habuisse, legum civilium præscriptiones Matrimonia Christianorum infirmare non posse.

Prob. II, auctoritate S. Thomæ et S. Bonaventuræ.

Probatur II. *Auctoritate S. Thomæ* : agens enim de impedimento cognationis legalis, Supplem. quæst. 57, art. 2, postquam advertit S. Doctor, illud a lege civili prius introductum, ab Ecclesia deinde approbatum fuisse, addit : *Et inde est, quod legalis cognatio Matrimonium impediat.* Et infra, ad 4, subjungit : *Dicendum, quod prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum Matrimonii, nisi interveniret Ecclesiæ auctoritas, quæ idem etiam interdicit.*

Hoc ipsum docet *S. Bonaventura, In 4 Sent.*, dist. 42, ubi de eodem impedimento loquens, ait : *Ecclesia tale impedimentum sua constitutione et approbatione fecit esse validum, alioquin non posset impedire.*

Huic doctrinæ, ut ait cl. Moser, subsequentium sæculorum theologi calculum passim adjecerunt, etiam in Galliis, quamdiu saltem liberum ibidem fuit scriptoribus, ea quæ hac in re sentiebant, publice declarare.

Prob. III, rationibus theologicis.

Probatur III. *Rationibus theologicis.* 1°. quidem directe ex natura Matrimonii, quatenus est Sacramentum Novæ Legis. Christus ipsum contractum naturalem ad

Sacramenti dignitatem elevavit, ita quidem ut contractus et Sacramentum uno eodemque actu conficiantur, neque ab invicem realiter distinguantur. Cfr. N. 26. Atqui Sacramenta, uti res sacræ reliquæ, unice subjiciuntur potestati Ecclesiæ, non vero principum; qui proinde nihil circa eorum materiam, aut formam, aut conditiones ad valorem requisitas, præscribere possunt.

Confirmatur ex eo, quod Matrimonium, etiamsi tantum spectetur ut contractus naturalis, inter res sacras annumerandum est, ut dictum fuit N. 23, et probatur in sequenti quæstione.

2°. Indirecte ex dogmate, præc. N. stabilito, de potestate Ecclesiæ statuendi impedimenta contractum Matrimonii dirimentia : implicat enim, quod Matrimonium, imo quævis alia materia, sub eodem respectu subjiciatur duabus potestatibus, quæ ambæ sint supremæ et independentes : si enim supremæ sint et independentes, non debet intra limites dominii sui una obsequi alteri quoad ea quæ hæc sola statuerit in illa communi materia, sed tantum quoad ea quæ hæc statuit in negotio seu dominio exclusive sibi proprio non vero communi. Unde Ecclesia posset et deberet validum in conscientia pronuntiare Matrimonium cum impedimento civili, ab ipsa non admisso, contractum, quod tamen propter hoc impedimentum supponeretur in conscientia invalidum. Quanta confusio, et conscientiarum perturbatio !

Ex dictis sequitur, omnia impedimenta a sola potestate civili constituta, unice respicere effectus civiles, neque mens legislatoris christiani esse potest, ut ipsum vinculum matrimoniale respiciant, in quod ipse nihil valet.

Hinc cum in Gallia decretum fuisset, invalida fore Matrimonia filiorumfamilias sine consensu parentum contracta, et clerus gallicanus conscientiarum turbationes inde orituras objecisset, facile annuit rex Ludovicus XIII, ut invaliditas quoad solos effectus civiles intelligeretur.

Ita etiam hodiedum certum est, impedimenta civilia non irritare vinculum Matrimonii, imo non desunt quibus videtur, nunquam fuisse mentem legislatoris illud irritare. Qua de re sic loquitur cl. Carrière, *Compendii* n. 303 : « Recentioribus temporibus videntur non pauci » jurisperiti magis accedere ad eorum sententiam, qui

» propugnant, non fuisse in mente legislatoris statuere » impedimenta vere in foro conscientiæ dirimentia. Isti » non propugnant quidem, impedimenta civilia respicere » tantum effectus civiles, sed asserunt, non respicere nisi » forum externum, seu non dirimere nisi vinculum legale » et civile Matrimonii. Illud autem deducunt præsertim » ex discussionibus habitis, sive cum de morte civili, sive » cum de divortio, sive cum de matrimonio generatim » ageretur. Vix ullus fuit ex consiliariis et oratoribus, qui » non fuerit professus, legem spectare tantum ad contra- » ctum civilem, non curare de contractu naturali et reli- » gioso, abstrahere ab omni idea religiosa et obligatione » conscientiæ. Hæc omnia passim occurrunt percurrenti » has discussiones. » Idem de lege civili in Statibus Fœderatis Americæ Septentrionalis declarat Ill. Kenrick, *De Matrimonio,* cap. 7, n. 82, dicens: « Quas autem a lege » civili declarari contigerit nuptias irritas, de effectibus » civilibus intelligere oportet; nam legum latoribus in » animo non est, de rebus spiritualibus, vel quæ ad ani- » marum regimen pertinent, aliquid decernere; cum ex » Constitutione totius Reipublicæ *Status* et *Ecclesiæ* dis- » crimen omnino servandum sit, nec quidquam valeat » potestas civilis in rebus ecclesiasticis. »

An principes sæculares statuere possunt impedimenta dirimentia pro Matrimoniis subditorum infidelium?

An valeant quoad Matrimonia infidelium, incertum est.

R. Affirmant plures theologi, ut modo vidimus, dicuntque, ista Matrimonia, cum non sint Sacramenta, esse contractus mere civiles et profanos, adeoque, sicut aliis contractibus, ita et his certas formas et solemnitates a principibus sæcularibus præscribi posse, sine quibus sint irrita et invalida etiam in conscientia.

Negans sententia

Verumtamen probabilior nobis cum P. Perrone aliisque videtur contraria sententia, denegans principibus omnem potestatem constituendi impedimenta dirimentia quoad vinculum naturale et essentiale Matrimonii.

prob. I, ex natura contractus matrimonialis.

Probatur hæc sententia 1. *Ex natura contractus matrimonialis,* qui essentialiter non est contractus civilis et mere profanus, ut falso supponunt adversarii, sed essentialiter, et secundum primarios effectus atque obligationes consideratus, dicendus est contractus naturalis, et si placet domesticus, maxime vero moralis ac religiosus;

quoad secundarios vero ac mutabiles effectus atque obligationes tantum, potest esse contractus civilis. Id liquet si consideretur seu in sua origine, seu secundum naturam vinculi quod inducit, seu secundum finem ipsius proprium.

1°. Si consideretur in sua origine, palam fit, esse origine priorem omni societate et omni potestate civili. A Deo institutus est in ipsa creatione hominis, explicite additis legibus unitatis ac indissolubilitatis, adeoque jure naturæ et jure positivo divino ordinatus antequam existeret societas civilis seu politica. Eatenus contractus sacer est, seu religiosus et divinus ; domesticus etiam dici potest, quatenus fundamentum seu principium est societatis domesticæ, quæ ipsa præsupponitur societati politicæ : hæc enim ex constitutis modo familiis tandem coalescit.

Fuit itaque antequam erat civilis potestas; est etiamnum, ubi nulla potestas civilis : ergo ubi hæc est, non debet ab illa essentialiter dependere, sed tantum quoad secundarios, separabiles ac mutabiles, civiles nimirum effectus.

2°. Si consideretur natura vinculi quod inducit, idem merito concluditur. Vinculum enim istud , individuum illud consortium viri cum muliere perpetuo fœdere conjuncti, tale est, ut inde pendeat moralitas totius vitæ quam deinceps agere intendunt , firmitas jurium et obligationum inde consequentium , et honestas coram Deo et conscientia actuum huc pertinentium ; adeoque ea ratione est matrimonialis contractus eminenter moralis et religiosus, ad moralem et religiosam spectans auctoritatem, non ad auctoritatem mere civilem.

3°. Si denique spectetur finis Matrimonii proximus, quatenus institutum est in officium naturæ, ad perpetuam generis humani propagationem per legitimam procreationem filiorum ad imaginem Dei creandorum et supernæ beatitudini destinandorum, atque ad eorumdem rectam in cultu divino educationem ; res hæc tantæ excellentiæ est, ut limites civilis potestatis prorsus excedat, et regi postulet auctoritate sublimiori et altioris ordinis, religiosa nimirum ac divina.

Adde, ab initio Matrimonium a Deo institutum fuisse ut sacrum signum unionis Christi cum Ecclesia, atque

eatenus etiam latiori sensu sacramentum semper fuisse, antequam a Christo efficaciam operandi gratiam in Nova Lege accepit. Ergo eatenus quoque rebus sacris accensendum est, adeoque a potestate religiosa, non a potestate civili dependet.

Prob. II, ex natura et fine potestatis civilis.

Probatur II. *Ex natura et fine potestatis civilis.* Hæc enim instituta est ad rectam gubernationem reipublicæ in ordine ad felicem ejus statum externum et temporalem procurandum. Porro hic finis non exigit, ut possint imperantes Matrimonia subditorum dissolvere quoad vinculum, aut illegitimam coram Deo et in conscientia reddere cohabitationem quorumdam ; sed sufficit ut possint eos privare statu et juribus ac effectibus civilibus, atque etiam pœnis animadvertere in delinquentes.

Prob. III, ab inconvenienti contrariæ sententiæ.

Probatur III. *Ab inconvenienti alterius sententiæ.* Si enim haberent principes illam potestatem in Matrimonia infidelium, cum ex supra demonstratis constet, eos ista potestate carere quoad Matrimonia fidelium, dicendum foret, principum sæcularium potestatem a Christo Domino restrictam fuisse, et partem aliquam potestatis, ex rei natura ipsis competentis, sublatam, et Ecclesiæ traditam. Hoc autem odiosum est, nec sine demonstrativis argumentis admittendum ; sed potius dicendum, Religionem Christianam reliquisse integram atque intactam principum auctoritatem, etiam in Matrimonia, quæ nunquam se extendit ad vinculum naturale, sed tantum ad formas et effectus civiles.

Objectiones.

Objicitur 1°. Auctoritas theologorum, quorum maxima pars agnoscit hanc potestatem principum in Matrimonia infidelium.

R. 1°. Multi ex illis theologis eamdem potestatem adscribunt principibus in Matrimonia fidelium, in quo certe errant : non mirum itaque si iidem cum aliis multis erraverint in definiendo potestatem principum in Matrimonia infidelium.

2°. Theologi plerique nitebantur falso principio, nimirum quod Matrimonium esset essentialiter contractus civilis, dum essentialiter est tantum contractus naturalis et religiosus.

3°. Nunquam defuerunt præstantissimi theologi, qui præfatam potestatem principum denegarent : inter quos

Isaac Habert, Barruel, in op. *Les vrais principes sur le mariage,* Muzzarelli aliique citati apud Carrière, n. 549 et seq., atque recentius cl. Martin in op. : *De Matrimonio ac potestate ipsum dirimendi,* eximius D. Heuser, *De potestate statuendi impedimenta dirimentia,* P. Perrone, *De Matrimonio christiano,* etc. Multi alii, inter quos eminet Moser, licet ex professo non agant de Matrimoniis infidelium, talibus argumentis impugnant potestatem principum in Matrimonia fidelium, quibus simul eripiant ipsis potestatem in Matrimonia infidelium. Hanc quoque fuisse sententiam S. Thomæ deducunt ex locis supra citatis, licet contrariæ sententiæ patroni illum pro se allegare soleant.

Obj. 2°. Principes hac potestate semper, consentientibus omnibus orbis terrarum nationibus, libere usi sunt : atqui ille consensus est veluti resonantia vocis ipsius naturæ in omnibus terræ finibus. Ita Gerbais.

R. 1°. Neg. maj. Gratis enim asseritur, sed nulla ratione probatur, ait cl. Heuser, 1°. semper et apud omnes populos impedimenta *juris positivi* extitisse ; 2°. illa impedimenta a civili potestate ortum duxisse, non a potestate religiosa, seu a principibus quatenus civili, non quatenus religiosa auctoritate pollebant inter gentiles ; 3°. impedimenta illa civilis potestatis attigisse in eorum mente vinculum naturale, non solos civiles effectus.

2°. Neg. min. Potuerunt enim principes sæculares, præsertim gentiles, communi errore potestatis suæ limites excedere, sicut in aliis pluribus, ut dum superstitiosas actiones seu ritus populis præscripserunt.

Obj. 3°. Auctoritas et praxis Sanctæ Sedis, quæ declaravit, ait Perocheau, *Theologia ad usum Missionis Sutchuensis*, invalida esse Matrimonia quæ legibus patriæ irritantibus adversantur, nisi per consuetudinem abrogatæ fuerint illæ leges.

R. cum cl. Martin, nullam hujusmodi declarationem cuiquam innotuisse. Addit P. Perrone, quod talis declaratio, si extaret, non potuisset latere Muzzarellium sacræ Pœnitentiariæ theologum, qui contrariam sententiam tuetur. « Ego ipse, » pergit, « doctissimum S. R. E. Cardinalem, qui » non ita pridem assessoris munere summa cum laude fun» ctus erat S. Inquisitionis supremæ Congregationis, hac » de re interrogavi, mihique respondit, nullum editum

» fuisse decretum hujusmodi. Quod si aliqua resolutio » peculiaris data est pro speciali aliquo casu, nihil officit, » tum quia hactenus data opera hoc super argumento » discussio facta non fuerat, et in rebus dubiis consueve- » runt Congregationes Romanæ communiori sententiæ, » prout hactenus ista fuit, ob rationum momenta quæ » paulo ante recensuimus, adhærere, quin intenderint » quidpiam rei veritati detrahere, prout identidem in » aliis adhuc implexis quæstionibus sese gesserunt. » Suppositiæ illi declarationi opponimus certum Innocenti III decretum, cap. *Gaudemus*, *De divortiis*, lib. 4 Decretal., ubi valida declarantur Matrimonia ante Baptismum contracta in secundo gradu consanguinitatis, quin exceptio ponatur pro casu quo lex civilis illa prohibeat.

N. 61. De impedimentis impedientibus in generali.

S. Thom., Supplem. quæst. 50, art. 1.

Quæ impedimenta dicuntur tantum impedientia, seu prohibentia?

Impedimentum impediens quid;

R. Ea quæ reddunt Matrimonium contrahendum illicitum, sed non invalidum, juxta hunc versum:

Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Quot sunt impedimenta impedientia?

quot et quæ sint.

R. Sunt hodiedum quatuor hoc versiculo expressa:

Ecclesiæ vetitum, tempus, Sponsalia, votum.

Antiquitus, ultra hæc quatuor, erant alia octo, scilicet impedimentum catechismi, quod oriebatur ex instructione baptizandi, vel ex professione fidei ejus nomine facta, v. g. ubi supplentur solemnitates omissæ, et inducebat quamdam imperfectam cognationem spiritualem; tum septem erant crimina, propter quæ reus a Matrimonio contrahendo interdicebatur. Illa, pro aliquali juris veteris notitia, his quatuor versibus comprehensa subjungimus:

Incestus, raptus sponsatæ, mors muliebris,
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,

Vel si pœniteat solemniter, aut monialem
Accipiat : prohibent hæc conjugium sociandum.

Notandum, quod status peccati mortalis, ignorantia rudimentorum fidei etc., licet impediant ne Matrimonium licite contrahatur, inter impedimenta Matrimonii non sunt numeranda ; tum quia hæc sunt impedimenta communia aliis Sacramentis ; tum quia hic agitur de impedimentis Matrimonii, non adeo ut est Sacramentum, quam prout est contractus.

N. 62. De Ecclesiæ vetito.

Quid est Ecclesiæ vetitum ?

Ecclesiæ vetitum quid :

R. Est prohibitio ineundi Matrimonium a superiore ecclesiastico ob justam causam facta.

Si vox illa sumeretur omnino generaliter, comprehenderet omnia impedimenta. Sed hic minus generaliter accipitur pro illis quæ mere prohibent, et quidem jure ecclesiastico tantum, nec specialiter inter impedimenta recensentur ; sicut specialiter recensetur tempus clausum, quo alioquin, etiam mere ob Ecclesiæ prohibitionem, nuptiarum vetatur solemnitas.

Porro vetitum Ecclesiæ duplex esse potest : *generale* nimirum, quod toti communitati præscriptum est ob generale motivum ; vel *particulare,* quo alicui ob particulare motivum Matrimonium prohibetur.

causæ generales,

Sic generaliter vetat Ecclesia : 1°. ne Matrimonium ineatur sine præviis proclamationibus ; 2°. ne catholici contrahant cum hæreticis ; 3°. ne Matrimonium ineatur ab excommunicato, aut cum excommunicato, saltem vitando etc.

speciales vetandi Matrimonium.

Causæ speciales alicui in particulari prohibendi Matrimonium plures esse possunt ; communiores vero sunt : 1°. necessitas vitandi scandalum, aut rixas et discordias præveniendi ; 2°. suspicio alicujus impedimenti, de quo inquirendum sit ; 3°. tertiæ personæ contra Matrimonium intercessio, seu oppositio.

Talis prohibitio de se obligat sub gravi, quando prohibitio fit, ut solet, ex gravi motivo sive justitiæ, sive

honestatis etc., ideoque illam transgredientes peccarent graviter, etiamsi crederent rationem, ob quam facta est, non subsistere ; possent quoque a judice ecclesiastico graviter puniri. Imo juxta cap. *De muliere, De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ*, lib. 4 Decretal., potest judex conjuges ad separationem adigere etiam per censuras, si eos jungi vetuerit ob impedimenti dirimentis suspicionem, donec scilicet legitime de valore eorum Matrimonii cognoverit.

Notandum, quod ob similes particulares causas Matrimonium prohiberi possit, non tantum a Summo Pontifice et Episcopo, sed etiam a parocho ; quia ipsi committitur cura ut Matrimonium debito modo ineatur, ac proinde illi deese non debet auctoritas ad hoc necessaria.

Observandum vero id, quod statuit Concilium Provinciale Mechliniense III, tit. 10, cap. 4 : *Impedimento aliquo denuntiato, vel Matrimonio desponsorum oppositione aliqua facta, non prius ad ulteriores proclamationes aut Matrimonii solemnizationem parochus procedat, quam re ad Ordinarium, vel Vicarium ejus, aut Officialem delata, ab eodem intellexerit, quid facere debeat.*

Casu igitur, quo tertia persona Matrimonio sese opponit, v. g. filia prætendit, sponsum per promissionem aut aliter sibi obligatum esse ; parochus examinare debet, an fidem mereatur, et verum dicat ; tumque sponsum adhortari, ut ei satisfaciat. Hoc facto, aut si filia ex alia causa desistat, ad ulteriores proclamationes et ad Matrimonium procedi potest. Secus vero casus Ordinario seu Officiali exponendus est ; ejusque decisioni standum.

An parochus, qui solus novit impedimentum, alia quam confessionis via, nec potest illud probare, tenetur Matrimonio obsistere ?

An teneatur Matrimonio obsistere parochus qui solus novit impedimentum.

R. 1°. Si impedimentum sit partibus notum, videtur affirmandum. Negant equidem nonnulli theologi, quia Sacramenta non sunt deneganda peccatori occulto publice petenti. Plures vero affirmant, quorum sententiam Benedictus XIV, *De Synodo*, lib. 6, cap. 7, n. 7, vocat tutiorem et communiorem. Ratio, quia parochus non tantum intervenit ad dandam benedictionem nuptialem, sed etiam qua testis et judex contractus, et ut talis auctoritatem et obligationem habet examinandi an contractus legitime

fiat. Unde quamvis parochus non possit denegare assistentiam, præcise quia cognoscit sponsos esse in statu peccati, si peccatum sit occultum, aliud tamen dicendum, quando adest aliquod impedimentum canonicum.

Præterea per parochi resistentiam saltem differetur peccatum ; imo sæpe impedietur, vel quia partes desistent, vel quia Episcopus, ex parochi testimonio, aut Matrimonium prohibebit, aut dispensationem concedet, si locus sit. Ita Carrière, *Compendii* n. 287.

2°. Si impedimentum sit partibus ignotum, generatim eadem solutio tenenda. Attamen si in particulari et extraordinario casu, parochus certo sciret nullum bonum effectum ex revelatione sperandum, sed e contra maxima mala, infamiam partium, publicum concubinatum in matrimonio civili et innumera peccata formalia inde merito timenda, videtur aliquando posse dissimulare silentio, quod inutiliter et adeo damnose revelaret. Non tamen facile judicandum, quod revelatio impedimenti et oppositio parochi nullum bonum consequeretur effectum : e contra enim præsumendum, quod revelatio sive nunc, sive postea utilis erit.

M. irritum contra vetitum ecc. validum est a nisi Rom. Pontifex qui i facere potest addiderit clausulam irritantem.

N. 63. De tempore feriato.

Quid hic intelligitur per tempus feriatum ?

R. Per tempus *feriatum*, seu *clausum*, intelliguntur duo anni tempora, quibus Ecclesia solemnes nuptias celebrare prohibet, nempe Adventus et Quadragesimæ. Tempus feriatum quid :

Ista prohibitio ab antiquo viguit in Ecclesia, a Concilio vero Tridentino renovata fuit, Sess. XXIV, cap. X, *De reformatione Matrimonii,* his verbis : *Antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari, sancta Synodus præcipit.*

Utrumque tempus autem sic determinat : *Ab Adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ, et a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive.* Ubi vox *inclusive* non tantum refertur ad Octavam Paschatis, sed etiam ad diem Epiphaniæ, ut notant Sanchez et Pauwels, et observat praxis. Initium vero sumendum

est a media nocte Dominicæ primæ Adventus et feriæ quartæ Cinerum, quia dies naturalis inchoatur a media nocte : ita Bonacina aliique, partim contra Sanchez, qui censet Dominicam primam Adventus incipere a primis vesperis.

Ratio cur Ecclesia illis temporibus solemnitates nuptiarum prohibeat, est, quod tunc fideles orationi et pœnitentiæ intentos esse velit : *Ipsa autem nuptiarum novitas*, ait S. Thomas, *In 4 Sent.*, dist. 52, quæst. unica, *ad voluptatum curam animos occuput, illosque vana lætitia dissolvit.*

An ipse contractus tempore clauso est prohibitus ?

eo tempore jure communi prohibentur solemnitates ;

R. Jure communi prohibentur tantum solemnitates Matrimonii, non ipse contractus, ut patet tum ex citatis verbis Concilii Tridentini ; tum ex Rituali Romano dicente : *Meminerint parochi*, tempore clauso *solemnitates nuptiarum prohibitas esse, ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia. Matrimonium autem omni tempore contrahi potest.* Confirmatur ex decisione sacræ Congregationis Concilii, quam allegat Benedictus XIV, *Institutione* 80, n. 20.

jure particulari, ipse contractus matrimonialis,

Attamen in multis diœcesibus, ex peculiaribus statutis vel consuetudine, etiam ipse contractus censetur interdictus. Id observat praxis omnium diœcesium Belgii, et clare supponit Synodus Provincialis Mechliniensis I anni 1570, tit. 5, cap. 7, Synodus Provincialis Mechliniensis II anni 1574, tit. *De Sponsalibus*, et Synodus Provincialis Mechliniensis III anni 1607, tit. 10, cap. 8.

Rationem dat Zypæus, *Juris Pontificii novi*, lib. 4, tit. *De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ*, n. 4, quod in his partibus semper benedicantur nuptiæ eodem tempore quo contrahuntur ; unde cum benedictio nuptiarum inhibeatur, etiam Matrimonium reputatum fuit prohibitum.

Idem habet usus generalis in Gallia, ut testatur Carrière, n. 921 ; item in pluribus diœcesibus Germaniæ et Bavariæ, teste Schmalzgrueber, tit. cit., n. 34. Eumdem usum viguisse in sua diœcesi Bononiensi, refert Benedictus XIV, *Institutione* 80, n. 15, qui ibid., n. 14, hac consuetudine locali Matrimonium illicitum fieri, tradit.

Imo cum hæc prohibitio sit de re gravi, sub gravi obligat. Minime tamen culpandus foret parochus, qui

in extrema necessitate, ubi legitimanda esset proles, nec tempus pateretur petere dispensationem, Matrimonio assisteret.

In locali hujusmodi usu, inhibente contractum matrimonialem tempore clauso, certe dispensare possunt Episcopi, ut loc. cit. docet Benedictus XIV. Obtenta autem dispensatione, solemnitates tamen omittendæ sunt, et diligenter observandum id, quod præscribit Concilium Provinciale Mechliniense III, tit. 10, cap. 8 : *Si quando ex legitima causa aliqui ad Matrimonium tunc contrahendum per Ordinarium admittantur, abstinendum tamen erit a solemnitatibus nuptialium conviviorum, choreis, sponsarum publicis traductionibus, et similibus, quæ temporis sanctitati repugnant; a quibus similiter abstinendum erit, etsi Matrimonium antea contractum fuerit, sub pœna arbitraria.*

nisi ab Episcopo dispensetur.

Inter solemnitates tunc prohibitas Giribaldi, quem citat Benedictus XIV, loc. cit., n. 16, etiam recenset : « Bene» dictionem solemnem, quæ scilicet solemniter intra Missæ » Sacrificium in Ecclesia celebratur. »

Cum licentia tamen assistendi Matrimonio apud nos concessa censetur licentia impertiendi consuetam benedictionem, qualis in Pastorali extra Missam præscribitur.

Nota, quod tempore clauso nequaquam prohibeantur Sponsalia, nec proclamationes bannorum, quæ non sunt solemnitates Matrimonii, sed præambula : hinc promiscue fieri solent circa finem Adventus et Quadragesimæ.

Neque etiam prohibetur Matrimonii consummatio. Cfr. S. Alphonsum de Ligorio, n. 984, et Benedictum XIV, loc. cit., n. 18.

N. 64. De Sponsalibus, ut impedimento Matrimonii.

Quomodo Sponsalia sunt impedimentum impediens Matrimonium ?

R. In quantum Sponsalia contracta cum una persona obstant, ne Matrimonium licite contrahatur cum quacumque alia persona, priore rationabiliter invita.

Sponsalia cum una impediunt Matrimonium cum alia ;

Impedimentum istud est juris naturæ, cum jus naturæ

prohibeat, ne corpus uni promissum sine hujus consensu tradatur alteri. Cum vero agatur de re gravi, grave peccatum injustitiæ committit, qui, stantibus Sponsalibus cum una, cum altera persona Matrimonium contrahit. Hoc tamen validum est, quia res uni promissa, illicite quidem, sed valide tradi potest alteri. Excipiendi sunt consanguinei personæ desponsatæ in primo gradu, cum quibus Matrimonium esset nullum, ob publicam honestatem, de qua N. 80.

item simplex promissio.

Notandum, quod sicut Spónsalia, ita quoque simplices promissiones, juramenta et quæcumque aliæ obligationes quibus aliquis alteri ad Matrimonium ineundum obstringitur, Matrimonium cum tertio impediunt, seu illicitum reddunt.

N. 65. De impedimento voti impediente tantum.

Qualia vota sunt impedimenta impedientia Matrimonii?

Quatuor vota impediunt Matrimonium;

R. Hæc quatuor : votum simplex castitatis, votum ingrediendi religionem, votum suscipiendi Ordines sacros, et votum non nubendi, seu cælibatus.

Ratio est, quod votum non nubendi directe violatur per contractum matrimonialem, adeoque hunc directe excludit ; reliquorum vero adimpletio stare non potest cum Matrimonii consummatione, adeoque ista excludunt Matrimonium contrahendum saltem modo ordinario. Unde qui sic contraheret, peccaret graviter, siquidem hujusmodi vota obligant sub gravi. Sed quæritur :

An habens votum simplex castitatis, ingrediendi religionem, vel suscipiendi Ordines sacros licite contraheret Matrimonium cum intentione ante consummationem ingrediendi religionem et sic servandi votum ?

nec communiter licet contrahere cum intentione ingrediendi religionem;

R. Communiter illicite sic contraheret ; tum propter periculum mutandi animum et agendi contra votum, quod, spectata communi fragilitate, regulariter timendum est ; tum propter injuriam quæ comparti inferretur, si ipsa inscia et sine gravi causa id fieret, cum merito se graviter tunc deceptam reputaret, nec voluisset contrahere, si intentionem alterius cognovisset.

Si autem in particulari casu nec periculum violationis voti subesse videatur, nec injuria alteri inferri censeatur, quia v. g. fit ex gravi causa, uti legitimandæ prolis, et præsertim cum alterius consensu, tunc sic licite posset contrahi.

An habens votum simplex castitatis non posset contrahere Matrimonium sub conditione in pactum deducta servandi castitatem?

R. Negative : tum quia incertum est an talis conditio non reddat Matrimonium invalidum, juxta dicta N. 37 ; tum quia res est plena periculis transgrediendi votum, causandi rixas et discordias, ut latius explicat Collet, *Traité des dispenses,* part. 2, lib. 2, cap. 1. et prorsus illicitum pactum servandi castitatem.

Qui ita contraxissent, deberent ad evitanda inde nata pericula, vel, petita prius voti relaxatione, consensum absolute renovare, vel ab invicem discedere ; nisi forte possent convenienter et sine periculo cohabitare ut frater et soror.

Ad quid teneatur ille qui Matrimonium contraxit cum voto simplice castitatis, vide N. 46. Ad quid teneatur qui contraxit cum voto castitatis,

Porro probabilius videtur dicendum cum Suarez, contra Sylvium aliosque, quod non teneatur quis, ut votum castitatis plene possit servare, ante consummatum Matrimonium religionem ingredi ; quia istud medium est nimis arduum et extraordinarium, ad quod vovens non censetur se obligasse. Dein facile obstare potest defectus vocationis.

Ad quid tenetur, qui Matrimonium contraxit cum voto ingrediendi religionem?

R. Cum maneat ille voto ligatus, tenetur sub gravi religionem ingredi, quamdiu licet. Si hoc videatur nimis arduum, petenda est dispensatio. Quamdiu illam non obtinuit primo bimestri, nec petere nec reddere potest debitum, quia sic redderet voti impletionem impossibilem, nec aliunde primo bimestri tenetur reddere. Semel autem consummato Matrimonio, reddere tenetur, et potest petere, quia voti adimpletio nunc facta est impossibilis, nec censetur fecisse votum castitatis, propter quod a petendo prohiberetur. aut cum voto ingrediendi religionem,

Si, elapso bimestri, Matrimonium nondum fuerit consummatum, adhuc tenetur religionem ingredi de consensu

compartis ; hac autem invita, probabilius non amplius potest, cum jam teneatur ad reddendum debitum.

Ad quid tenetur, qui Matrimonium contraxit cum voto suscipiendi sacros Ordines ?

aut cum voto suscipiendi Ordines sacros,

R. Tenetur Ordines suscipere, si possit, ut si uxor velit religionem ingredi ; quod si recuset, potest jam uti Matrimonio petendo et reddendo debitum, quia supponitur non habere votum castitatis.

Ad quid tenetur, qui Matrimonium contraxit cum voto non nubendi ?

aut cum voto non nubendi.

R. Cum votum illud factum sit impossibile hic et nunc, eatenus ad nihil tenetur, potestque libere uti Matrimonio, nisi vovendo cælibatum intendisset simul votum castitatis emittere. Juxta Suarez autem non censetur votum castitatis emisisse, nisi expresse et formaliter hoc intenderit, etsi ex affectu castitatis voverit; quia sicut finis aut motivum legis non cadit sub lege, ita finis aut motivum voventis non cadit sub voto.

Notandum vero quod, dissoluto Matrimonio, vota præfata totaliter reviviscant ; unde vovens teneretur ea deinceps observare, nec posset ad secundas nuptias transire ; nisi obtinuisset plenam dispensationem aut commutationem voti.

N. 66. De impedimentis dirimentibus in generali, et an prohibeant specialiter peccata luxuriæ.

S. Thom., Supplem. quæst. 50, art. 1.

Quid est impedimentum dirimens Matrimonium ?

Impedimentum dirimens quid.

R. Est illud quod Matrimonium contrahendum reddit invalidum.

Dicitur *contrahendum*, quia non eo sensu vocatur impedimentum dirimens, quasi dirimeret Matrimonium jam valide contractum, sed quia irritat Matrimonium cum eo contrahendum, seu potius attentandum.

Quot et quæ sunt impedimenta dirimentia ?

Impedimenta dirimentia

R. Communiter numerantur quindecim, quibus plures addunt defectum ætatis, ab aliis sub impotentia

comprehensum ; sicque habentur sexdecim, his notissi- sexdecim,
mis versibus expressa :

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas;
Amens, affinis, si clandestinus, et impos ;
Si mulier sit rapta loco nec reddita tuto ;
Impubes, ni forte potentia suppleat annos :
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Ex his aliqua semper viguerunt, utpote quæ sunt juris naturæ ; alia successive introducta fuerunt, et jam diu obtinent in Ecclesia ; duo, raptus nempe et clandestinitas, jure novo statuta fuerunt per Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, *De reformatione Matrimonii*, cap. I et VI.

De singulis impedimentis in particulari agemus sequentibus numeris, non tamen eo ordine quo referuntur in memoratis versiculis, sed ita ut illa sibi subsequantur, quæ propter similem causam Matrimonium irritant. Hinc primo dicemus de quatuor quæ irritant ob defectum consensus, seu quoddam animi vinculum, et sunt : error, conditio, amentia, vis ; dein de tribus, quæ dirimunt propter vinculum corporis, quæ sunt : ligamen, impotentia et ætas impubes ; tertio de duobus dirimentibus propter vinculum religionis, seu de voto et Ordine; postea de dirimentibus propter propinquitatem, quæque sunt : cognatio, affinitas, honestas. Sequuntur quatuor reliqua, quæ causas habent speciales, scilicet : crimen, raptus, clandestinitas et cultus disparitas.

Hoc ordine continentur sequentibus qualibuscumque versiculis :

Haud valide sociare valent connubia tales :
Errans, clam servus, demens, metuensque ; ligatus,
Impos et impubes ; monachus sive Ordine sanctus ;
Cognatusque, affinis, honestus ; crimine sordens,
Raptave, clam nubens, aut dispar relligione.

Quosnam obligant impedimenta dirimentia ?

R. 1°. Impedimenta juris naturalis aut divini obligant quosnam
omnes homines, etiam infideles : talia sunt error, con- obligent.
sanguinitas saltem in primo gradu lineæ rectæ, ligamen, amentia, impotentia.

2°. Impedimenta, quæ sunt juris ecclesiastici tantum, obligant omnes et solos baptizatos, etiam hæreticos, juxta dicta N. 59.

An eximat ignorantia aut necessitas.

Obligant vero, non solum eos qui eorum conscii sunt, sed etiam ignorantes etsi invincibiliter : licet enim ignorantia invincibilis excuset a peccato, non tollit tamen rationem irritandi, seu incommoda ob quæ impedimentum fuit statutum.

Neque cessant ob particularem aliquam necessitatem, ut si Matrimonium sit necessarium ad evitandam gravem infamiam, vel ad prolem legitimandam. Necessitas enim non potest reddere habiles, quos lex inhabiles declarat ex motivis boni publici, ast vero ratio esse potest concedendi dispensationem.

Attamen censent theologi, per modum epikeiæ aliqua impedimenta dirimentia ad casus quosdam necessitatis non esse extendenda, quia præsumitur Ecclesia tales casus voluisse exceptos. Ita videbimus impedimentum clandestinitatis, quatenus requirit præsentiam parochi, non obligare in locis ubi recursus ad parochum factus est imposibilis. Ita quoque censent nonnulli impedimentum disparitatis cultus non extendendum ad virum v. g. christianum, qui tempestate in insulam remotissimam conjiceretur, ubi nullæ essent fœminæ christianæ ; quia, aiunt, non censetur Ecclesia voluisse talem obligare ad perpetuam continentiam.

An peccet ex gravis mali metu contrahens cum impedimento dirimente, vide N. 69, ubi de impedimento vis.

Proba Ecclesiam sapienter decrevisse quædam impedimenta Matrimonium dirimentia.

Cur ab Ecclesia quædam constituta sint.

R. Cum cl. Scavini, *De Matrimonio,* disp. 3, cap. 2, quæst. 4 : « Sapienti sane et paterna erga filios suos sollicitudine mota fuit, dum hæc impedimenta statuit. Ut » quid enim hæc constituta habemus ? Ut inter pares indivisibilis illa societas ineatur, en impedimentum *condition is ;* ne lædatur illa reverentia, quam sibi mutuo » debent propinqui, en *cognatio, honestas, affinitas ;* ad » plurima delicta præcavenda, *criminis ;* ad Matrimonii » libertatem curandam, *raptus ;* ad legitimitatem tuendam, *clandestinitatis ;* ad ejus sanctitatem fovendam » *disparitatis cultus* impedimentum habemus : ut tandem

» amicos nobis extraneos faciamus, eosque multiplicemus,
» varii adnotantur in prohibitione gradus. »

« Profecto si modum conjugiis imponendum esse vel
» ipsi protestantes ultro fassi sunt, nullus sanæ mentis id
» uni Ecclesiæ denegabit, quæ sola proprio et originario
» jure ea constituendi auctoritate pollet; aut quia priva-
» tus unus ideo in sua voluntate ac libidine coarctatur,
» hanc, in publicum bonum constitutam a matre Ecclesia,
« disciplinam despicere ullo modo audebit? »

Accedit, quod ob graves causas benigna Mater dispensationem concedere non renuit; imo in dissitis regionibus amplam dispensandi facultatem Episcopis concedere solet.

Hinc patet, quam injuste hæretici et impii disciplinam Ecclesiæ circa impedimenta Matrimonii insectentur; et quam merito Concilium Tridentinum eos, qui dixerint *Ecclesiam in iis constituendis errasse,* anathemate percusserit.

An Matrimonium foret validum, si quis erronee putans adesse impedimentum dirimens, equidem contraheret?

Erronee putans subesse impedimentum probabilius valide contrahit, modo intendat consentire.

R. Duplex est sententia : prima negat, et præcipua ratio est, quod voluntas non potest serio et efficaciter ferri in illud, quod impossibile judicat intellectus; in hac sententia nullum esset tale Matrimonium ob defectum consensus : ita Pontius, Collet etc.

Secunda sententia, quæ videtur probabilior, affirmat cum Sanchez, lib. 2, disp. 33, n. 2. Supponitur autem, quod contrahens intendat serio consensum emittere, quantum in se est, ut supponendum est, dum desiderat valide contrahere, etsi putet consensum suum, ob impedimentum, non esse operaturum validum contractum.

Ratio, quia tunc personæ sunt revera habiles ad contrahendum, ut supponitur, atque etiam adest sufficiens consensus. Nec enim obest ratio supra allegata : nam homo ille non judicat impossibile præbere consensum de se sufficientem ad valorem : hoc possibile judicat, et vult. Quid igitur judicat impossibile? Nimirum, quod consensus ille hic et nunc operetur validum contractum; non propter aliquem defectum ex parte consensus, sed propter causam extrinsecam intervenientem, quæ est putativum impedimentum.

Propter eamdem rationem videtur dicendum, quod possit haberi verus et de se sufficiens consensus, etiam in casu ubi impedimentum subsistit et noscitur ; ita ut tunc non propter defectum consensus, sed tantum propter impedimentum, sit contractus invalidus.

Attamen frequentius forte contingit, ut ille qui ita mala fide contrahit, sciens aut putans subesse impedimentum irritans, non intendat vere matrimonialem præbere consensum, sed potius decipere compartem et in concubinatu vivere.

An licet contrahere Matrimonium cum dubio an subsit aliquod impedimentum dirimens ?

Licet contrahere cum dubio infundato,

R. 1°. Si dubium sit leve, seu infundatum, licet contrahere, spreto vel deposito dubio post congruam inquisitionem.

sed non cum dubio fundato de impedimento,

2°. Si dubium sit prudens, seu fundatum et probabile, et agatur de dubio juris naturalis aut positivi divini, vel de dubio facti, non licet Matrimonium contrahere. Etenim qui cum tali dubio contraheret exponit Sacramentum periculo nullitatis, et probabilem infert injuriam comparti, cui illud dubium esset ignotum. Præterea ipse contrahens subit periculum continuæ anxietatis propter perseverans dubium de valore Matrimonii, et periculo se exponit fornicationum, scandalorum et damnorum inferendorum, si postea de nullitate Matrimonii constet.

Igitur stante tali dubio, abstinendum est a Matrimonio ineundo, aut petenda dispensatio, si impedimentum sit dispensabile.

Dictum est, *si dubium sit prudens*, seu fundatum et probabile : unde non sufficit quævis conjectura, aut fama, aut testimonium personæ parum fide dignæ, ad prudenter dubitandum, an intersit impedimentum v. g. affinitatis, aut consanguinitatis etc. : prudentia enim dictat, sæpe nullam adhibendam esse fidem hujusmodi assertionibus.

nisi sit dubium juris ecclesiastici.

3°. Ubi agitur de dubio juris ecclesiastici, si nimirum dubitetur de subsistentia alicujus impedimenti mere ecclesiastici, an scilicet Ecclesia Matrimonium impedire voluerit in tali casu, vel an impedimentum ad illum casum debeat extendi, satis communiter tenent theologi licitum esse contrahere Matrimonium, cum opinione probabili probabilitate juris de absentia impedimenti, modo

inquit S. Alphonsus de Ligorio, n. 901, « opinio illa sit » universe vel certe ab AA. recepta ut probabilis; ita » Sanchez, Palao, Cardenas, Viva, Suarez,... cum com- » muni; hancque sententiam vocant tutam et moraliter » certam Cardenas, Holzman, Viva et Croix cum aliis. » Nec obstat dicere, quod cum opinione probabili non » liceat sponsis administrare Sacramentum Matrimonii. » Nam respondetur, quod eo casu non ministratur Sacra- » mentum cum sola opinione probabili, sed cum morali » certitudine; quando enim adest opinio probabilis de » jure, quod non subsit impedimentum, tunc Ecclesia ex » antiquissima consuetudine præsumitur contractum Ma- » trimonii approbare, et omne removere impedimentum, » ut communiter dicunt præfati AA. cum aliis, et fuse » probant Cardenas pluribus decisionibus Rotæ Romanæ, » ac quædam declarationes Urbani VIII. »

Alii vero, ut Carrière, n. 626, putant, non satis constare de hac mente Ecclesiæ. Unde ipsis videtur etiam in illo casu petenda dispensatio super impedimento dubio.

Si autem agatur de impedimento ligaminis, prudens reputatur dubium, quamdiu non habetur certitudo moralis de morte conjugis. Cfr. N. 70.

An fornicatio aliaque peccata luxuriæ inter personas, inter quas est impedimentum dirimens, habent specialem malitiam in confessione exprimendam?

Quænam impedimenta specialem malitiam addant peccatis luxuriæ;

R. cum Sanchez, lib. 7, disp. 5, n. 7, sub hac distinctione. Quando impedimentum statutum est ex speciali virtutis motivo, ratione cujus inter illas personas dedecet copula carnalis; tunc prohibito Matrimonio, fornicatio cæterique luxuriæ actus censentur etiam specialiter prohibiti, et contrahunt specialem malitiam, in confessione exprimendam. Si vero impedimentum solummodo statutum sit ex alio motivo v. g. in alicujus criminis pœnam, aut ad aliquod malum præcavendum etc.; tunc licet prohibeatur Matrimonium non tamen specialiter prohibetur fornicatio, quæ consequenter non habet specialem malitiam.

Ex his inferri possunt sequentia:

1°. Fornicatio aliaque peccata luxuriæ inter personas, inter quas existit impedimentum consanguinitatis, aut affinitatis, habent specialem malitiam incestus.

2°. Commissa inter personas, inter quas datur impedimentum cognationis legalis, habent specialem malitiam reductivam ad incestum.

3°. Commissa inter personas, inter quas est impedimentum cognationis spiritualis, contrahunt inde malitiam cujusdam incestus spiritualis, seu, ut alii loquuntur post S. Thomam, sacrilegii ad modum incestus.

4°. Inter personas, inter quas est impedimentum publicæ honestatis, induunt etiam quamdam malitiam incestus.

5°. Ratione impedimenti disparitatis cultus, juxta Sanchez aliosque, habent ista peccata specialem malitiam contra religionem; quia Ecclesia Matrimonium inter fidelem et infidelem irritat, ne hoc cedat in dedecus religionis; eadem vero ratio, aiunt, reperitur in fornicatione inter tales commissa. Idem credo, addit Sanchez, de copula fidelis cum hæretica.

Alii tamen contrarium sentiunt pro utroque casu. Quidquid sit, non raro aderit specialis malitia, tum ex periculo perversionis partis fidelis, tum ex periculo educationis prolis in hæresi aut infidelitate.

6°. Ratione voti, vel Ordinis sacri, peccata luxuriæ induunt specialem malitiam sacrilegii. Idem dic de impedimento voti simplicis castitatis impediente tantum.

7°. Ratione ligaminis, peccata luxuriæ contrahunt malitiam adulterii.

8°. Ratione impotentiæ, accedit fornicationis attentationi malitia contra naturam.

Notandum vero, quod non duplex est distincta malitia, ex eo quod est peccatum ab una parte contra naturam, aut contra fidem Matrimonii, aut votum etc., et ab alia parte contra legem prohibentem Matrimonium et simul omne carnale commercium; quia utrobique est idem prohibitionis motivum.

Ex principio supra posito sequitur jam e contra :

1°. Nullam esse specialem malitiam in peccatis luxuriæ inter personas, inter quas existit impedimentum criminis : Ecclesia enim hoc impedimentum solummodo statuit in pœnam delicti, utque auferatur occasio adulteriis et homicidiis committendis ; quæ motiva non militant contra peccata luxuriæ.

2°. Neque esse specialem malitiam in peccatis commissis inter raptorem et mulierem raptam, si hæc libere consentiat in luxuriam : quia impedimentum inter raptorem et raptam institutum est ad vindicandam plenam libertatem pro statu Matrimonii perpetuo requisitam ; quæ ratio non attingit fornicationes in casu.

An specialis illa malitia adhuc reperitur in fornicatione, aliisque luxuriæ peccatis, inter personas quibuscum ad contrahendum Matrimonium legitime et complete est dispensatum ?

R. sub distinctione. 1°. Si impedimenta sunt talia, ut actus luxuriosos specialiter prohibeant immediate ex se, et non tantum consequenter ad prohibitionem Matrimonii, tunc etiam post obtentam et executioni datam dispensationem, imo, ipso stante Matrimonio, actus luxuriosi extramatrimoniales retinent specialem malitiam. Hujusmodi sunt impedimenta voti castitatis et Ordinis sacri. Unde dispensatio in iis obtenta, in ordine ad Matrimonium contrahendum et maritalem copulam exercendam, non est extendenda ad copulam fornicariam, quæ specialiter prohibita manet, ratione ipsius voti et sanctitatis Ordinis. an etiam post obtentam dispensationem.

2°. Si impedimenta sunt talia, ut actus luxuriosos specialiter quidem prohibeant, sed tantum consequenter ad prohibitionem Matrimonii, tunc quidam adhuc tenent, apud Sanchez, lib. 7, disp. 67, n. 9, specialem malitiam in ipsis perseverare post obtentam dispensationem. Ratio, quod Ecclesia dispensando quidem intendat tollere prohibitionem suam quoad copulam maritalem, sed non quoad copulam fornicariam aliosque luxuriæ actus, quos omnino detestatur.

Communius vero et probabilius, cum Sanchez, Lugo, Bonacina etc., docetur, in casu post dispensationem completam cessare specialem prohibitionem fornicationis, siquidem, ut supponitur, hæc pendet a prohibitione Matrimonii : proinde hac sublata, desinit copula fornicaria habere specialem, præter communem luxuriæ malitiam.

Hoc obtinet in impedimentis consanguinitatis et affinitatis, cognationis spiritualis et legalis, tum publicæ honestatis. Adeoque, juxta hanc sententiam, post dispensationem, fornicatio inter cognatos aut affines, non habet malitiam incestus, sed simplicis fornicationis.

Confirmatur ex eo, quod, si generali lege permitteretur Matrimonium inter cognatos v. g. quarti gradus, fornicatio inter illos non haberet specialem malitiam incestus; sicut non reputatur incestuosa fornicatio inter eos, qui quinto gradu distant, postquam Ecclesia sustulit prohibitionem Matrimonii inter illos: atqui idem operatur dispensatio in casu particulari, quod legis abrogatio in communi.

N. 67. De impedimentis erroris et conditionis.

S Thom., Supplem. quæst. 51 et 52.

Quid

Error hic generatim dicitur judicium intellectus, quo quis putat personam, quacum Matrimonium contrahit, disparem seu aliam esse quam revera est.

Porro quadruplex error hic potest distingui, ratione objecti circa quod erratur.

et quotuplex error.

Primus est error personæ seu *circa personam*, quando quis intendit contrahere cum una et actu contrahit cum alia; v. g. intendit contrahere cum Anna, et contrahit cum Catharina. Hic dicitur error *substantialis*, quia personæ contrahentium sunt substantiale objectum contractus matrimonialis.

Si error non est circa ipsam personam, sed tantum *circa accidens* vocatur *accidentalis*: hic autem varius esse potest. Unde secundus error est *circa fortunam* personæ; ut si sponsus putet sponsam esse divitem, et ipsa est pauper.

Tertius error est *circa qualitatem* personæ, quando v. g. sponsa æstimatur pacifica, et est rixosa.

Quartus est error *circa conditionem servilem* personæ, quando v. g. sponsa putatur libera, et est serva, seu mancipium. —

An error circa personam dirimit Matrimonium?

Error circa personam dirimit,

R. Affirmative, juxta omnes. Ratio est, quod mutuus consensus ad valorem Matrimonii requisitus debeat ferri in personas contrahentes; consensus autem errantis in casu non fertur in personam quacum contrahitur, sed in aliam quæ abest, et non consentit.

Dirimit autem jure naturæ, quia mutuus consensus in determinatas personas jure naturæ necessarius est ad contractum Matrimonii. jure naturæ;

Perinde est sitne error circa personam antecedens, seu dans causam contractui, sive concomitans tantum, seu talis ut, cognito errore, adhuc fuisset initum Matrimonium. Perinde etiam est, sive error sit invincibilis, aut vincibilis, etiam crassus et affectatus; sive procedat ab ipso contrahente, sive ab alio qui eum decepit: quia equidem semper deest actualis consensus in personam præsentem.

Si autem error fuerit culpabilis, tenebitur errans resarcire damna, si quæ alteri parti, bona fide contrahenti, ex nullitate contractus obvenerint.

Ex dictis conclude, conjugium Liæ cum Jacob, etsi hic maritali affectu illam cognoverit, validum non fuisse, nisi ex consensu qui postmodum accessit, ut loquitur S. Thomas.

Hinc etiam infer, magnum esse discrimen inter hunc contractum Matrimonii et alios contractus, in quibus persona contrahens non est objectum contractus; adeoque error circa personam per se non irritat contractum.

Similiter magnum discrimen est inter hoc Sacramentum Matrimonii et reliqua, in quibus error circa personam non impedit valorem, quia baptizans v. g. intendit baptizare absolute personam præsentem, quæcumque illa sit.

An error circa fortunam, aut qualitatem personæ, dirimit Matrimonium?

R. Per se non dirimit; quia cum hoc errore circa accidentalia consistit consensus in ipsam personam quacum contrahitur, et hic sufficit ad valorem Matrimonii. non error circa accidens,

Confirmatur ex eo, quod sic communiter apprehendunt homines, et ita judicant tribunalia; porro contrahentes regulariter intendunt contrahere secundum communem hanc apprehensionem.

Nisi vero ita esset, frequentissimæ darentur causæ nullitatis, et nulla securitas in Matrimoniis. Quis adhuc nuptias inire vellet, aut qui parentes filias nuptui traderent, si sub eo prætextu possent dimitti?

Valet autem in casu Matrimonium, etsi contrahens

fuisset per dolum vel fraudem deceptus, cum fraus illa non inducat errorem circa substantiam. Neque contractum faceret rescindibilem, quia Matrimonium ex natura sua est indissolubile ; sed injuria alio modo, quantum fieri posset, reparanda foret.

Neque obstat, quod sponsus, si sponsam pauperem, rixosam, aut aliter defectuosam scivisset, Matrimonium non contraxisset ; quia non debet respici quid fecisset, sed quid fecerit ; supponitur autem, quod in personam absolute consenserit.

Dictum est *per se*, quia per accidens error circa fortunam vel qualitatem potest Matrimonium dirimere.

In quibus casibus error circa accidens personæ dirimit Matrimonium ?

R. Assignari solent tres casus, nempe :

nisi contrahens ab eo suspendat consensum,

1°. Quando contrahens cum tali errore, consensum suum actualiter aut virtualiter, licet forte interne tantum, suspendit a fortuna vel qualitate illa : tunc enim consensus est conditionatus, et juxta dicta N. 35, Matrimonium sub conditione initum, est invalidum, conditione non subsistente.

2°. Quando error redundat in substantiam, seu afficit personam ipsam, sub illa qualitate apprehensam.

3°. Quando est error circa conditionem servilem.

Quandonam error circa accidens censetur redundare in substantiam seu personam ?

aut error redundet in substantiam,

R. Valde laborant auctores in determinanda generali regula ad hoc discernendum. Multi, inter quos Carrière, n. 635 et *Compendii* n. 145., hæc duo simul requirunt : 1°. ut illud accidens sit qualitas individua, qua persona distinguatur a qualibet alia ; et 2°. ut persona non cognoscatur nisi sub ea qualitate, aut saltem sub hac præcipue cognoscatur.

Quando hæc duo adsunt, merito sane dicitur error redundare in substantiam ; sed, juxta alios, hæc regula non omnes casus complectitur.

S. Alphonsus de Ligorio, n. 1015 et 1016, hanc duplicem tradit regulam : « 1°. Quando qualitas non est communis » aliis, sed propria et individualis alicujus determinatæ » personæ, puta si quis crederet contrahere cum pri- » mogenita regis Hispaniæ, tunc qualitas redundat in

» personam; unde errando in qualitate erratur in persona, » et proinde nullum est Matrimonium, etiamsi ille non » habuerit expressam intentionem non contrahendi.... »

« 2°. Si consensus fertur directe et principaliter in » qualitatem, et minus principaliter in personam, tunc » error in qualitate redundat in substantiam; secus si » consensus principaliter fertur in personam et secun- » dario in qualitatem : v. g. si quis dixerit : *Volo ducere* » *Titiam, quam puto esse nobilem*, tunc error non redun- » dat in substantiam, et ideo non invalidat Matrimonium. » Secus si dixerit : *Volo ducere nobilem, qualem puto esse* » *Titiam :* tunc enim error redundat in substantiam, quia » directe et principaliter intenditur qualitas, et minus » principaliter persona. »

Itaque S. Alphonsus de Ligorio neque qualitatem omnino singularem requirit, neque ut persona sit unice aut principaliter nota sub hac qualitate. Sed videtur tunc supponi, quod contrahens, saltem interne et implicite, ab hac conditione suspenderit suum consensum, adeoque videtur posse referri ad casum consensus conditionati, de quo supra. In praxi igitur multum attendendum est ad circumstantias, animum et dispositiones contrahentium. Cfr. Feije, *De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus,* n. 74 et 75.

Quandonam error circa conditionem dirimit Matrimonium ?

R. Quando persona libera contrahit Matrimonium cum persona servituti stricte dictæ subjecta, putans eam esse liberam. aut sit circa conditionem servilem ;

Dicitur 1°. *persona libera :* si enim et ipsa serva foret, valeret Matrimonium.

Dicitur 2°. *cum persona servituti stricte dictæ subjecta,* seu vere mancipio domini sui, qui plenam habet facultatem illud aliis vendendi, locandi etc. ut rem suam.

Perinde vero est sive mas sit liber et fœmina serva, seu vicissim.

Dicitur 3°. *putans eam esse liberam;* quia conditio servilis tantum dirimit Matrimonium, quando pars libera servitutem alterius ignorat : hinc valet Matrimonium, si persona libera sit servitutis alterius conscia.

Collige per *impedimentum conditionis,* quod secundo

loco recenseri solet, intelligendum esse impedimentum erroris personæ liberæ circa conditionem servilem alterius.

Quo jure impedimentum conditionis dirimit Matrimonium?

hoc ultimo casu dirimit solo jure ecclesiastico.

R. Hoc impedimentum dirimit Matrimonium ex positiva ordinatione Ecclesiæ, ut patet ex cap. *Ad nostram, De conjugio servorum,* lib. 4 Decretal., et ex can. *Si quis ingenuus,* causa 29, quæst. 2.

Non est de jure naturæ, ut pauci existimant; quia hic error est per se tantum circa accidens personæ, et quia servitus non obstat fini essentiali Matrimonii, etsi individuæ societati et cohabitationi viri et mulieris multis modis noceat.

Cum servitus sit per totam Europam extincta, non oportet hic plura inquirere.

N. 68. De impedimento amentiæ.

S. Thom., Supplem. quæst. 58, art. 3.

Quid est impedimentum amentiæ?

Dirimit Matrimonium amentia plena

R. Est impedimentum dirimens Matrimonium, ob defectum sufficientis usus rationis in alterutro contrahentium.

Unde talis intelligitur amentia, quæ non relinquit sufficientem usum rationis ad intelligendam substantiam contractus matrimonialis. Comprehenduntur autem furiosi, stulti, imbecilles plenæ deliberationis et electionis incapaces. Non autem illi, quorum amentia non est absoluta, sed licet mente debiles, sat rationis habent ad peccandum mortaliter.

jure naturæ,

Patet, hoc impedimentum esse juris naturæ : vide cap. *Dilectus, De Sponsalibus et Matrimoniis,* lib. 4 Decretal.

Perinde est sive amentia sit perpetua, sive temporanea, dummodo Matrimonium contrahatur tempore amentiæ.

Quid si amens contrahat in lucido intervallo?

R. Tunc Matrimonium erit validum : passim vero erit illicitum, ut docet S. Thomas, loc. cit.; tum ob funestos

recurrentis amentiæ effectus, tum ob defectum debitæ prolium educationis, quæ ab hujusmodi conjuge sperari non potest. nisi contrahatur in lucido intervallo.

Ob justam tamen causam quandoque tale Matrimonium licitum esset, v. g. ad legitimandam prolem, ad sanctificandam unionem civiliter existentem, ad reparandum honorem puellæ. Facilius interim permitti poterit, si vir amens lucida intervalla habeat, quam si mulier talis sit : ex hujus enim redeunte amentia majora mala proli sive conceptæ sive natæ obvenire consueverunt. Si ambo ita amentes essent, vix unquam Matrimonium posset esse licitum.

Si justa quædam causa taliter amentem ad Matrimonium admittendi subesse videatur, parochus nihil agat, inconsulto Episcopo, cujus est dispicere, utrum illa causa prævaleat incommodis ex tali Matrimonio sequi natis.

Licet illi qui valde debilis ingenii sunt, Matrimonium per se valide et licite contrahere possint, sæpe tamen ab eo avertendi sunt, ob discordias, rei familiaris neglectum, pauperiem et alia mala, quibus exponuntur, et præcipue quia prolem rite educare nesciunt. Quid de semi-amente,

Hac occasione inquirere solent auctores de surdis mutis, an ipsi Matrimonium inire possint. aut surdo et muto.

De quo interrogatus Innocentius III, cap. *Cum apud Sedem, De Sponsalibus et Matrimoniis,* sic respondit : *Videtur quod si talis* (surdus et mutus) *velit contrahere, sibi non possit vel debeat denegari, cum quod verbis non potest, signis valeat declarare.* Nulla igitur potest esse difficultas, quoad validitatem contractus matrimonialis, si modo constet, eos intelligere substantiam illius, quales hodie multi sunt, in scholis surdo-mutorum instructi; de cæteris vero non raro dubitandi locus datur, et generatim ipsis Matrimonium dissuadendum est, quia minus idonei sunt ad prolem debite educandam.

N. 69. De impedimento vis seu metus.

Nota. *Vis* et *metus* hic indistincte adhibentur, utpote correlata : vis enim consideratur in inferente metum,

metus vero in patiente vim, et dicitur mentis trepidatio instantis mali vel periculi causa.

Quid est impedimentum vis?

Impedimentum vis, R. Impedimentum dirimens Matrimonium contractum ex metu gravi, injuste incusso ad extorquendum consensum matrimonialem.

Statuitur hoc impedimentum variis juris canonici locis, signanter cap. *Significavit, De eo qui duxit*, lib. 4 Decretal., tum cap. *Veniens ad Apostolicam Sedem*, cap. *Cum locum*, et cap. *Consultationi, De Sponsalibus et Matrimoniis.*

Ex data definitione, et ex citatis capitulis colligitur, ad inducendum hoc impedimentum requiri tres conditiones : 1°. ut metus sit gravis; 2°. ut sit injuste incussus; 3°. ut sit incussus in ordine ad extorquendum consensum matrimonialem.

De his agetur in tribus sequentibus quæstionibus; in quarta dicemus, quo jure hoc impedimentum dirimat Matrimonium.

Quæstio 1. *Quid requiritur, ut metus censeatur gravis in ordine ad inducendum impedimentum?*

oritur ex metu gravi, R. Ut metus censeatur gravis, debet esse talis, ut cadat in constantem virum, seu talis, quo persona, cæteroquin constans, moveretur ad Matrimonium contrahendum.

Hinc oportet 1°. ut malum quod timetur, sit notabile, et grave in se, aut saltem respective ad personam cui intentatur. Ita in se grave malum reputantur : mors, gravis læsio, carcer diuturnus, exilium, stuprum, amissio status vel magnæ partis bonorum, notabilis infamia etc. Relative gravis reputari poterit, respectu personæ valde honestæ, alicujus culpæ seu defectus revelatio, quod leve malum censeretur respectu alterius minus honestæ.

Requiritur 2°. ut malum illud verisimiliter et propinque immineat : pericula enim remota, aut quæ non judicantur verisimiliter eventura, ex se non habent, quo graviter perturbent et mentis libertatem impediant.

Merito jura requirunt metum gravem, quia metus levis non impedit notabiliter libertatem, et alioquin innumera sequerentur incommoda, cum metus levis facile interveniat. Imo licet in aliquo casu malum leve imminens

animum tam graviter perturbaret ac si esset notabile, equidem non induceret impedimentum; cum enim vis illata tunc gravis non sit, perturbatio animi censetur voluntaria ipsique timenti imputanda, et *vani timoris justa excusatio non est*, ut habet regula juris.

Attamen si metus ille, licet levis ex objecto, ita alicujus perturbaret animum, ut tolleret rationis deliberationem, Matrimonium esset nullum, non propter metum, sed ob defectum deliberationis.

Ad discernendum metum gravem a levi, attendi debet personarum qualitas, ætas, sexus : sufficit enim, uti dictum fuit, ut malum quod imminet, sit grave relative ad personam cui metus incutitur. Unde illud quoque, quod dici solet, *metus gravis cadens in constantem virum*, intelligi debet respective, seu habito respectu ad personas ejusdem qualitatis, sexus etc., quæ reputantur constantes. Idem igitur metus potest esse gravis cadens in puellam constantem, qui levis est respectu viri constantis; similiter idem metus potest esse gravis respectu viri parvi ingenii, qui talis non sit respectu alterius.

In dubio autem, an metus gravis sit vel levis, in foro externo judicari solet pro valore Matrimonii, quia causa Matrimonii est favorabilis.

Metus reverentialis non censetur gravis, nisi accedant graves minæ, verbera, aut preces seu injunctiones instantissimæ, vultu austero factæ etc., quia tunc dura et gravis potest reputari vexatio.

Quæstio 2. *Quandonam metus censetur injuste incussus?*

R. Quando vel ipsa metus incussio de se injusta est, vel injusta est ex modo seu ratione incutiendi. injuste incusso

Primum habet locum, si quis puellæ mortem minetur, nisi ipsi nubat; istæ namque minæ de se injustæ sunt, cum sint de pœna indebita.

Secundum obtinet, si privatus quis comminetur carcerem adolescenti, nisi ducat filiam quam vi oppressit; quia licet illa pœna violentæ oppressioni debeatur, comminans tamen privata auctoritate eam injuste inferret. Sed posset juste comminari, se eum judici denuntiaturum, nisi puellam ducat, aut convenienter dotet.

Injustus quoque esset metus, si judex comminatione carceris v. g. absolute cogeret juvenem, ad ducendam

puellam, quam seduxit, si ille posset et vellet eam convenienter dotare, quia jura tantum exigunt, ut vel ducat vel dotet.

Jura requirunt, ut metus sit injuste incussus ; quia si justus fuerit, nulla fit injuria metum passo, qui licet hic et nunc minore gaudeat libertate, hoc sibi imputare debet, cum posuerit causam, ex qua postea ad contrahendum Matrimonium juste compellitur. Ita validum est Matrimonium, ad quod metu excommunicationis quis compellitur, cum ea quacum habebat Sponsalia.

Hinc quoque intelligitur, non posse irritari Matrimonium per metum provenientem ex causa naturali, cum tunc certe nulla fiat contrahenti injuria, ad quam jura maxime hic attendunt. Unde valet Matrimonium, si quis concubinam ducat ob imminentem mortem, ob periculum inferni, infamiæ etc.

Notandum, esse indifferens, an malum quod timetur sit inferendum immediate isti personæ, quacum quis vult contrahere, an vero parentibus ejus, fratribus, sororibus aut filiis, aliisve, ut addit Sanchez, consanguineis et amicis ipsi intime conjunctis, quorumque malum, non secus quam proprium, timet : tunc enim malum parentibus intentatum in ipsam redundat.

Similiter indifferens est, sive metus alicui personæ incutiatur ab illa, quæ cum ipsa Matrimonium vult contrahere, sive a tertia. Hinc si pater puellæ quemdam juvenem injusto metu compellat ad Matrimonium cum sua filia, Matrimonium erit nullum, licet filia coactionis sit ignara ; quia eadem isti juveni fit injuria ejusque libertas æque læditur, ac si metus a filia esset incussus.

Quæstio 3. *Quandonam metus censetur incussus ad extorquendum consensum matrimonialem ?*

ad extorquendum consensum matrimonialem.

R. Quando eo fine incutitur, ut inducatur persona ad consentiendum in Matrimonium.

Hanc conditionem passim requirunt auctores, contra paucos, licet in jure expressa non reperiatur.

Ratio hujus requisiti est, quod metus, ut Matrimonium dirimat, se habere debeat per modum causæ injustæ extorsionis consensus ; cum ideo hoc impedimentum obtineat, ut malevolis eripiatur facultas sibi per vim conjugem copulandi. Quando autem ex alio fine incutitur,

licet ipse metus sit in se injustus, non habetur proprie injusta extorsio consensus, cum metus tunc per accidens se habeat ad illum consensum.

Hinc si puella incidens in manus latronis, Matrimonium offerat juveni adventanti, si eam liberet, Matrimonium erit validum.

Attamen, juxta Carrière, *Compendii* n. 144, sufficit, quod metus *æquivalenter* in ordine ad Matrimonium censeatur incussus; « quia, » ait, « licet metum inferens non » expresse intendat Matrimonium, si tamen a metu non » desistat, nisi quia ei proponitur Matrimonium cum ipsa » vel etiam cum altera persona ineundum, quia nempe » tale Matrimonium est ipsi quoquo modo utile, dicendum » videtur adesse impedimentum : tum quia non desistens » a malo inferendo nisi propter Matrimonium censetur » dicere : *aut Matrimonium ini, aut tale malum experieris;* » tum quia tale Matrimonium esset vere fructus injustitiæ, sicque applicatur motivum legis impedimentum » statuentis. » Cfr. cl. Feije, op. cit., n. 92.

Hinc dicendum esset Matrimonium nullum in casu supra posito, si puella ex metu ipsi latroni offerret Matrimonium cum ipso aut ejus filio, si velit a malo inferendo desistere; et hoc videtur probabilius. Alii tamen in eo casu Matrimonium valere putant.

Quæritur etiam : An metus juste quidem incussus, sed injuste relatus ad finem extorquendi consensum matrimonialem, sufficiat ad Matrimonium irritandum ? Casus dubii.

Casus est, si ancilla juveni homicidæ comminetur eum denuntiare judici, promittat vero desistere, si ille velit ipsam ducere. Item si judex juste damnato comminetur executionem, sed promittat libertatem, si velit ducere talem puellam.

Alii in his casibus Matrimonium nullum censent, eo quod minæ exequendi illam denuntiationem, vel sententiam, eo ipso fiant injustæ, quod illis abutatur quis ad indebitum consensum matrimonialem extorquendum.

Alii vero Matrimonium valere putant, quia nulla homicidæ vel damnato fit injuria, sed e contra præstatur beneficium, et Matrimonium se habet tanquam pretium illius : nec obest quod judex in casu injuriam irroget legi, cum reo equidem favorem præbeat. Cfr. S. Alphonsum

de Ligorio, n. 1051, et Carrière, *De Matrimonio*, n. 770 et 771.

Communiter etiam dicunt, valere Matrimonium, si medicus nollet curare ægrotum, nisi ille contrahat cum sua filia. Excipe tamen, si medicus teneretur ex justitia curare illum infirmum, aut etiamsi ex charitate tantum, v. g. quia nullus alius adesset in casu urgente; vel si medicus fingeret morbum lethalem, cum talis revera non esset : in his enim casibus metus esset injustus; nequaquam vero, si curatio nulla ratione sit debita, et Matrimonium tantum proponatur tanquam pretium curationis.

Circa hoc impedimentum vis ulterius notanda sunt sequentia :

Varia notanda.

1°. Subsisteret impedimentum, si pater v. g. metu gravi et injusto cogeret juvenem ad Matrimonium cum una ex filiabus suis, dando electionem : ita Sanchez, Daelman etc. Ratio, quia equidem ille injuste cogitur ad contrahendum Matrimonium, et licet aliqua detur electio quoad personam, hæc tamen valde restringitur : unde motiva legis irritantis obtinent.

2°. Si ille cui metus gravis infertur ad injuste extorquendum consensum, consentiat equidem non ex metu sed omnino voluntarie, v. g. quia hoc ipsum Matrimonium exoptabat, erit validum : quia jam non ex metu, sed sponte consentit.

3°. Matrimonium ex metu initum nequit ullo modo per juramentum firmari. Non quidem validum effici potest, cum per juramentum non tollatur impedimentum, neque hac ratione eludi possit lex irritans : et ita declaratur cap. *Significavit, De eo qui duxit.* Sed nec exurgit obligatio Matrimonium ratum habendi : non ex justitia, cum juramentum jus nullum conferat ei qui consensum per metum extorsit; non ex virtute religionis, quia ex communi theologorum doctrina, quando contractus irritatur ex motivo boni publici, juramentum huic adjectum nullam vim habet. Ita Carrière, *Compendii* n. 145.

4°. Notandum, parochi esse, ut ait Steyaert, satagere ut omnis metus injustus, sive gravis sive levis, absit a Matrimonium contracturis, tum ob infaustos exitus, tum ne postea disputatio accedat, levisne an gravis ille metus fuerit.

Præscribunt Synodus I Provincialis Mechliniensis, tit. 3, cap. 2, et Pastorale, ut parochus Matrimonium celebraturus interroget sponsos, utrum veniant libera voluntate et a nullo coacti; notant vero Steyaert et Braunman, sæpe non sufficere illam interrogationem, quæ fit immediate ante Matrimonium, eo quod tunc præ confusionis timore non audeant veritatem fateri; prævie ergo, saltem quando suspicio aliqua metus adest, circa hoc interrogandi sunt, puta dum utraque pars seorsum examinatur de scitu necessariis etc.

5°. Notandum etiam, quod Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, cap. IX, *De reformatione Matrimonii*, ipso facto excommunicet magistratus ac dominos temporales, qui *quovis modo directe vel indirecte subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant.* Cfr. Const. Apostolicæ Sedis, 4 id. Octob. 1869.

Rarius vero jam, post introducta ab eodem Concilio impedimenta raptus et clandestinatis, contingit ut metu gravi coactus quis Matrimonium ineat.

Quæstio 4. *Quo jure vis dirimit Matrimonium?*

Vis dirimit jure ecclesiastico,

R. 1°. Certum est, quod dirimit jure ecclesiastico. Constat ex variis locis in initio hujus N. citatis, quæ tamen non tam introducunt impedimentum, quam potius jam existens supponunt.

2°. Certum quoque est quod, si vis tollat deliberationem et essentialem actus moralis libertatem, dirimit Matrimonium jure naturæ, propter defectum consensus, qui tunc non habetur.

an jure naturæ disputatur.

Si vero non tollat penitus libertatem, sed minuat tantum, ita ut sufficiens maneat deliberatio, qualis requiritur ad peccandum mortaliter, non consentiunt theologi.

Prima sententia, pro qua citant S. Thomam, Supplem., quæst. 47, art. 3, quamque tuentur Estius, Pontius, Scotistæ communiter, et cui favet S. Alphonsus de Ligorio, n. 1054, dicit, jure naturæ irritare.

Hujus sententiæ præcipua argumenta sunt: 1°. Quod Matrimonium sit vinculum amoris perpetuum, ideoque requirat consensum maxime liberum et spontaneum; durum enim nimis esset, ex consensu tanta injuria extorto, ad perpetuum amoris vinculum adstringi.

2°. Quia, ut ait S. Thomas, loc. cit., metus ille repugnat

Matrimonii perpetuitati : nam jus naturale dictat, injuriam illatam esse reparandam, ideoque omnes alii contractus ex tali metu initi sunt rescindibiles; itaque cum contractus matrimonialis semel valide initus rescindi nequeat, dici debet jure naturæ ab initio esse nullum.

3°. « Ratio tertia, » inquit S. Alphonsus, loc. cit., « quia » si tale Matrimonium naturaliter valeret, natura approbaret actum, ex quo gravissima mala contra commune » bonum orirentur, nempe quod sæpe innocens cogere- » tur vitam duram ducere, et reus commodum ex sua » iniquitate reportaret ; quæ non sunt naturali rationi » consona. »

Secunda vero sententia negat, quam tenent Sanchez, Salmanticenses, Sylvius, Wiggers, Steyaert, Billuart et communiter Thomistæ.

Ratio est, quod illud quod fit ex metu, sit simpliciter voluntarium et liberum, adeoque præstetur consensus de se sufficiens ad valorem omnium aliorum contractuum, ut communius tenent doctores : ergo talis consensus de se etiam sufficit ad valorem Matrimonii, nisi probetur contrarium.

Contrarium vero non probant argumenta allata : talia enim sunt quæ nimis probant ; ergo nihil probant. Ita primum tendit ad probandum, irritum esse Matrimonium contractum ex metu justo, aut a causa naturali exorto, siquidem metus justus, aut ex causa naturali ortus, sæpe non minus obest et libertati et amori conjugali, quam metus injustus.

Ex secundo vero et tertio argumento sequeretur, similiter irritum esse Matrimonium ex gravi dolo aut fraude initum, in quo sæpe non minus irreparabilis committitur injuria, et eadem sequi solent mala. Sive v. g. puella nobilis, dives etc. ex fraude et dolo nebulonis cum eo contrahat, sive ex metu, damnum idem est, et identidem irreparabile.

Itaque observandum, in utroque casu contractum cum omnibus sequelis suis procedere ex libera contrahentis voluntate : supponitur enim semper adesse libertatem sufficientem ad plenam deliberationem. Approbat autem jus naturæ id quod ex libera voluntate procedit, quin ullo modo approbet injustitiam quæ voluntatem contrahentis

vexat; sed illam e contra reparandam jubet, quantum reparabilis est.

Ad auctoritatem S. Thomæ quæ opponitur, dicit Sylvius, eum supponere irritationem per Ecclesiam factam, et, ea posita, probare convenienter illam esse factam : id enim clare evincunt ejus argumenta; non, quod metus jure naturæ Matrimonium irritet.

An peccat qui metu gravi coactus, sciens se valide contrahere non posse, profert verba consensus ?

R. Non convenit inter theologos.

An contrahens ex metu gravi, sciens se valide contrahere non posse, peccet.

Alii dicunt, illum peccare mortaliter, sive vere sive ficte consentiat. Ratio, quia in utroque casu habetur simulatio Sacramenti, quod sciens invalide ministrat et suscipit : atqui damnata est hæc propositio : *Urgens metus gravis est justa causa Sacramentorum administrationem simulandi*. Cfr. tract. *De Sacramentis in genere*, N. 43. Si autem contrahatur in ecclesia coram parocho benedicente, quamvis benedictio sacerdotis non sit forma Sacramenti, saltem adhibentur in vanum cæremoniæ imprimis venerabiles; quod videtur esse gravis inordinatio. Cfr. Collet, cap. 8, n. 129 et seq., et Carrière, n. 622.

Alii vero dicunt, illum peccare quidem si ficte consentiat, ratione mendacii quod admittit, sed venialiter tantum, quia alteri non facit injuriam; nullatenus autem peccare si vere consentiat. Ratio, quia verba quæ profert, in casu non sunt sacramentalia, seu materia aut forma Sacramenti, neque ex se neque ex mente contrahentis.

Non ex se, quia non efficiunt contractum validum, et solum contractum validum Christus elevavit ad dignitatem Sacramenti. Hic quidem notanda magna differentia inter Matrimonium, quod habet rationem contractus et Sacramenti, ac reliqua Sacramenta, quæ habent solam rationem Sacramenti ; hæc enim habent materias et formas a Christo ad hoc determinatas; Matrimonii autem materia et forma sunt illa sola quæcumque efficiunt contractum validum, qualiacumque illa sint, sive verba, sive nutus, sive scriptura, sive per ipsos contrahentes, sive per interpretes aut procuratores proferantur.

Neque sacramentalia sunt ex intentione contrahentis, qui non intendit perficere Sacramentum, quia scit

contractum esse nullum, adeoque deficere materiam et formam aptas Sacramento.

In eo autem quod cæremoniæ Ecclesiæ valde venerabiles sine fructu seu sine objecto adhibentur, cum tamen non constituant Sacramenti formam, videtur per se esse tantum levis inordinatio, quam ipsa urgens necessitas abstergit.

Hæc sententia, quam tenent Sanchez, lib. 4, disp. 16, Pontius, Sylvius, Lugo, Kugler etc., communior videtur et valde probabilis.

Nota, quod sic contrahens ex metu, sciensque Matrimonium esse invalidum, ex nullius mali periculo posset consentire in copulam carnalem, quia esset fornicatio. Si autem, mutato animo, jam non mere coacte sed sponte consentiat in copulam carnalem, affectu conjugali et minime fornicario, eo ipso suppletur defectus consensus et firmatur Matrimonium, modo celebratum fuerit in forma Tridentini, ubi lex Tridentina obtinet, et impedimentum metus non fuerit publice notum. Cfr. N. 94, ubi de convalidatione Matrimonii.

Quid si aliquis, alio insuper impedimento v. g. affinitatis ligatus, ex gravi metu injuste coactus consentiat in Matrimonium?

Quid si aliud adsit impedimentum.

R. Qui tenent, illum semper peccare graviter qui ex gravi metu consentit in Matrimonium inde invalidum, a fortiori idem dicunt pro casu.

Qui vero sustinent, illum qui ex gravi metu consentit, non peccare, communiter idem sustinent pro casu ubi aliud accedit impedimentum juris ecclesiastici. Ratio, quia leges Ecclesiæ prohibentes non obligant cum tanto incommodo; adeoque lex impedimenti etiam in casu non obligat quatenus est prohibens, etsi obliget quatenus est irritans. Excipe nisi metus incussus sit in odium religionis vel Ecclesiæ; quo casu metum passus mortem potius subire debet quam contrahere.

Si autem esset impedimentum juris naturæ irritans et prohibens Matrimonium v. g. inter patrem et filiam, graviter peccaret qui licet ex metu et invalide, serio consentiret, quia daret consensum in rem graviter illicitam. Si ficte tantum consentiret, esset mendacium ratione sui, ut videtur, veniale tantum, sed ratione scandali plerumque mortale. Cfr. Sanchez, lib. 7, disp. 5.

N. 70. De impedimento ligaminis.

Quid est impedimentum ligaminis ?

R. Est impedimentum, quo conjugatus inhabilis est ad novum Matrimonium ineundum durante vinculo prioris. Impedimentum ligaminis, est juris divini.

Hoc impedimentum fundatur in Matrimonii unitate, quatenus hæc pluralitatem tam uxorum quam virorum excludit. Unde impedimentum, sicut ipsa illa unitas, est juris divini; naturalis quidem respectu mulieris, quæ simul plures vetatur habere viros, et saltem positivi quoad virum, qui simul plures nequit habere uxores. Cfr. N. 57.

Cum autem vinculum Matrimonii rati et consummati non solvatur nisi morte conjugis, quæritur :

Quomodo constare debet de morte compartis, ut conjux aliud Matrimonium contrahere possit ?

R. Ita ut omne prudens dubium de illius vita excludatur. Ad secundas nuptias ineundum requiritur certitudo moralis de morte prioris conjugis,

Ratio est, quod alias Sacramentum periculo nullitatis, et contrahentes periculo adulterii exponerentur. Unde cap. *Dominus, De secundis nuptiis,* lib. 4 Decretal., dicitur : *Nullus ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus.* Et cap. *In præsentia, De Sponsalibus et Matrimoniis,* decernitur, quod non possunt mulieres ad alias nuptias convolare seu admitti, etiam post diutinam virorum absentiam, *donec certum nuntium recipiant de morte virorum.* Eodem modo loquitur Synodus Mechliniensis anni 1609, tit. 9, cap. 10, statuens, ut *ad secundas nuptias convolare desiderans, Matrimonio non jungatur, nisi habita prius legitima certitudine de morte prioris conjugis.*

Itaque non sufficit verisimilitudo vel probabilitas de morte conjugis, multo minus dubium negativum vel ignorantia, orta ex eo quod post discessum nullum nuntium miserit ; sed requiritur certitudo moralis proprie dicta.

Hic nota, extraneos et ignotos ad Matrimonium admitti non posse absque legitimo testimonio libertatis, etiamsi

asserant se liberos esse : sola enim eorum assertio sufficientem certitudinem dare non potest.

Quale testimonium sufficere censetur ad dandam certitudinem moralem de morte conjugis ?

ex testimonio legitimo.

R. 1°. Sufficit testimonium parochi loci, aut rectoris hospitalis, in quo conjux obiit. Si mors in aliena diœcesi contigit, ordinarie exigendum est, ut testimonium parochi recognoscatur ab Ordinario loci illius; imo si testimonium sit ex loco valde dissito, etiam approbetur ab Episcopo loci in quo novæ nuptiæ celebrandæ sunt, ut sic fraudibus certius obvietur.

2°. Ubi haberi non potest testimonium auctoritatis ecclesiasticæ, peti potest testimonium auctoritatis civilis, aut militaris. Quod si debitis conditionibus vestitum sit, sufficere potest.

3°. Testimonium unius viri privati, licet fide digni, ordinarie non sufficit, nisi testetur de visu et sit omni exceptione major, aut tales accedant circumstantiæ, quæ prudentem dubitationem excludant.

Rumor seu fama publica per se non sufficit, uti nec præsumptio ex diuturna conjugis absentia, aut ex eo quod fuit in prælio, nec postea comparuit etc., nisi præterea sufficientia indicia mortis accedant.

Cæterum in extraordinariis hujusmodi circumstantiis, ubi deest testimonium authenticum de morte conjugis, parochus non procedat ad nuptias novas celebrandas, inconsulto Episcopo, qui, discussis argumentis, pleniori judicio rem tanti momenti expendere, atque etiam a conjuge et testibus exigere poterit juramentum suppletivum, quo tandem moraliter certo, absque formidine de opposito, constet de morte compartis. Cfr. cl. Feije, op. cit., n. 315.

Quid, si conjux, post contractum secundum Matrimonium, deprehendat priorem conjugem adhuc vivere ?

Quid, si prior conjux dein compareat.

R. 1°. Debet se separare a secundo conjuge, licet cum eo proles genuerit, et ex separatione gravia mala sint timenda; quia secundum conjugium fuit certe nullum.

2°. Debet redire ad priorem conjugem, nisi detur justa divortii causa.

Interim si utraque, vel alterutra pars in bona fide fuerit, proles ex secundo Matrimonio nata reputabitur

legitima ; ita cap. *Ex tenore, Qui filii sint legitimi,* lib. 4 Decretal.

An in dubio de morte prioris conjugis liceat reddere vel petere debitum, collige ex dictis N. 47.

N. 71. De impedimento impotentiæ.

Quid est impotentia ?

R. Est incapacitas perficiendi copulam carnalem cum seminatione in vase debito, seu copulam de se aptam generationi. Impotentia

Dividitur in impotentiam *naturalem* et *accidentalem,* in *perpetuam* et *temporalem,* in *absolutam* et *respectivam* , in *antecedentem* et *consequentem.* varie dividitur.

Impotentia *naturalis* est, quæ provenit ex causa naturali et intrinseca, ut v. g. ex naturali frigiditate, vel etiam quandoque ex nimio calore, ex membri privatione, arctitudine vasis muliebris, etc. E contra *accidentalis* dicitur, quæ oritur ab extrinseco, puta ex maleficio : sed non facile credendum, impotentiam oriri ex maleficio, cum raro contingat in hac re verum reperiri maleficium.

Perpetua est, quæ vel nullo modo tolli potest, vel non nisi cum vitæ periculo, aut per miraculum, aut per media illicita. E contra *temporalis* dicitur, quæ vel sponte cessabit, vel per media naturalia et ordinaria tolli potest. Inter media naturalia et ordinaria comprehenduntur preces Ecclesiæ et exorcismi ; quia effectus exorcismorum, licet supernaturalis, censetur tamen ordinarius, non stricte miraculosus.

Absoluta dicitur, quæ est respectu omnium, quali laborant spadones utroque carentes testiculo, absolute frigidi etc. *Respectiva* vero, quæ est respectu aliquarum personarum tantum ; ut si mulier sit nimis arcta respectu unius viri, non respectu alterius.

Tandem impotentia dicitur *antecedens,* quæ præcedit contractum matrimonialem; *consequens* autem, quæ contracto Matrimonio supervenit.

Quænam impotentia dirimit Matrimonium, et quo jure ?

R. ad 1. Matrimonium dirimit impotentia *antecedens* Antecedens et

perpetua dirimit,

simul et *perpetua* : et si quidem sit *absoluta*, dirimit Matrimonium cum quacumque persona ; si vero sit *respectiva* tantum, dirimit Matrimonium cum illis dumtaxat personis, respectu quarum est impotentia.

Ratio est, quod talis impotentia impediat, ne inter virum et mulierem fiat traditio mutua potestatis in corpora in ordine ad copulam carnalem, et ista traditio sit de essentia contractus matrimonialis : qui enim sic laborat impotentia perpetua, potestatem istam tradere non potest, cum aptitudinem ad copulam non habeat, nec unquam habiturus sit. Cfr. dicta N. 23.

Dicitur *antecedens*, quia impotentia subsequens reperit Matrimonium jam valide contractum, neque illud dissolvere potest.

Dicitur *perpetua*, quia impotentia temporalis non impedit de se, ne fiat traditio potestatis pro tempore quo cessabit : unde valide contrahit moribundus licet actu impotens ex morbo. Ex positiva tamen Ecclesiæ lege irritat impotentia impuberum licet temporalis tantum ; de quo vide N. seq.

Si sublata fuit impotentia perpetua per miraculum, aut per medium illicitum, manet Matrimonium nullum, nisi novum consensum dent conjuges.

jure naturali et ecclesiastico.

R. ad 2. Impotentia antecedens perpetua imprimis dirimit Matrimonium jure naturali, ut patet ex ratione statim allegata. Dirimit etiam jure ecclesiastico, ut constat ex variis canonibus, causa 33, quæst. 1, et ex tit. *De frigidis et maleficiatis*, lib. 4 Decretal.

Nota, confundendam non esse prædictam impotentiam ad copulam, cum impotentia generandi, qua laborant steriles et plerique senes : unde hi valide contrahunt, modo copulam perficere valeant cum seminatione intra vas; verum enim semen emittunt, etsi infœcundum, secus ac eunuchi, qui semen non habent.

Quid fieri debet, si, contracto Matrimonio, detegatur inter conjuges certo subsistere impotentiam antecedentem et perpetuam ?

Quid si impotentia sit certa ;

R. Cum in tali casu Matrimonium sit certo nullum, conjuges putativi statim quoad thorum separari debent. Simul tamen habitare ut frater et soror poterunt, si id cupiant, nec adsit scandali aut incontinentiæ periculum, de

quo prudentis confessarii est judicare. Si autem separari cupiant aut debeant, recurrendum est ad judicem ecclesiasticum qui, causa cognita, separationem pronuntiare poterit. Si deinde partes vel alterutra ex ipsis instent ut Matrimonium declaretur nullum, judex procedere debet modo qui infra indicatur.

Perinde est, sive quis conscius suæ impotentiæ aut ignarus contraxerit. Qui autem, cognita impotentia, contrahit, graviter peccat, ob gravem injuriam, quam infert tum Sacramento, tum comparti. Cæterum, inquit S. Alphonsus de Ligorio, n. 1102, præcisis circumstantiis et experientiis, quisque præsumitur habilis, etiamsi castissime vixerit.

Quid fieri debet, si dubium exurgat, an subsistat inter conjuges impotentia perpetua ?

quid si dubia.

R. Durante tali dubio, standum est pro valore Matrimonii, et juxta dicta N. 47, conceditur conjugibus triennium ad experiendum, cap. *Laudabilem, De frigidis et maleficiatis.* Tempore illius triennii possunt copulam attentare, etiam cum periculo pollutionis, quæ utique præter intentionem sequitur, et ad quam se habent permissive.

Interim conjugibus suadendum, ut adhibeant remedia opportuna ad curandam impotentiam, v. g. medicinas corroborantes viri impotentis debilitatem, linimenta aliaque media quibus medici et chirurgi fœminæ arctitudinem medentur, orationes quoque ad Deum, etc.

Si copulæ perficiendæ sola obstet virginitas, *tunc,* ait S. Thomas, Supplem., quæst. 58, art. 1, ad 5, *medicinaliter aliquo instrumento possunt claustra pudoris frangi. Nec esset hoc contra naturam, quia non fieret ad delectationem, sed ad medicamentum.* An vero ad hoc tolerandum obligetur mulier, non convenit inter auctores. Certe non teneretur si fieri non posset sine gravi periculo.

Juxta cit. cap. *Laudabilem,* si, clapso triennio, impotentia perseveret, censetur perpetua : unde si tunc partes instent pro declaratione nullitatis Matrimonii, judex ecclesiasticus causam examinare tenetur.

Quomodo procedere debet judex ecclesiasticus, si conjuges petant ipsorum Matrimonium ob detectum impedimentum impotentiæ invalidum declarari?

Quomodo

R. Judex debet sedulo investigare an impedimentum

procedet judex ecclesiasticus in causa nullitatis Matrimonii ob impedimentum impotentiæ ad suum forum delatæ

revera subsistat, et causa ad forum externum deducta, accurate servare omnia quæ per Constitutionem Benedicti XIV DEI MISERATIONE, 5 Novemb. 1741, ac per instructionem S. Congregationis Concilii, 22 August. 1840, pro hujusmodi causis præscripta fuerunt. Si, causa rite examinata, constiterit adesse impotentiam antecedentem et perpetuam, judex poterit declarare Matrimonium nullum. At hodiedum, juxta cit. Const. DEI MISERATIONE, non possunt post primam sententiam dissolutionis Matrimonii, partes inire alias nuptias. Unde si in prima instantia ab Episcopo pronuntiata fuerit nullitas Matrimonii, nec partes inde appellent, appellare debet defensor Matrimonii, nec poterunt conjuges ad alia vota transire, nisi post obtentam alteram sententiam conformem super nullitate.

Dum ab una parte probatur Matrimonium non fuisse consummatum, ab alia parte vero non omnino liquet quod impotentia vere sit perpetua et nullo remedio curari possit, aut dubitatur an impotentia fuerit antecedens, conceditur aliquando a Sede Apostolica dispensatio in Matrimonio rato tantum. Sic præcaventur difficultates et scandala, quæ nata essent suboriri, quando, dissoluto Matrimonio propter impotentiam, conjux qui reputabatur impotens, habilis reperiretur, postquam forte alter novum Matrimonium iniisset. Tunc enim prius Matrimonium instaurari deberet, nisi vere subsisteret impotentia saltem relativa. De his omnibus cfr. cl. Feije, op. cit., a n. 423 ad 432, et n. 484 ac seq.

N. 72. *De impedimento ætatis.*

Quid intelligitur per impedimentum ætatis?

Impubertas dirimit,

R. Intelligitur inhabilitas ad contrahendum Matrimonium ante adeptam ætatem pubertatis, nisi forte malitia suppleat ætatem.

Ætas pubertatis habetur in masculis, completo anno decimo quarto, et in femellis, completo anno duodecimo; prout statuitur cap. *Ex litteris, De desponsatione impuberum*, lib. 4 Decretal.

Ex variis locis ejusdem tituli patet, sufficere ad impedimentum, quod alterutra pars ad annos pubertatis non pervenerit.

Statutum fuit hoc impedimentum, quia ante illam ætatem ratio plerumque minus bene valet discernere naturam contractus matrimonialis, neque præcipuus illius finis, seu generatio prolis, attingi potest.

Dicitur *nisi malitia suppleat ætatem*, tunc enim valet Matrimonium, contractum ante annos pubertatis, juxta cap. *Continebatur*, et cap. *De illis*, cod. tit. nisi malitia suppleat ætatem :

Quandonam dicitur malitia supplere ætatem ?

R. Quando ante pubertatis annos adest sufficiens rationis discretio ad intelligendam substantiam contractus matrimonialis, et simul potentia ad copulam consummandam.

Itaque ad valorem Matrimonii sufficit vel ætas pubertatis, vel anticipata pubertas, una cum sufficiente rationis discretione. Unde si quis post adeptam requisitam ætatem nondum esset habilis ad actum conjugalem, valeret utique ejus Matrimonium, modo discretio rationis non defuerit, nec impotentia sit perpetua.

Quo jure impedimentum ætatis dirimit Matrimonium ?

R. Si impubes nondum pervenerit ad discretionem rationis sufficientem, dirimit jure naturæ ; quia deest consensus in substantiam contractus. Si sufficiente discretione polleat, sed careat potentia ad copulam, dirimit jure canonico : non autem jure naturæ, quia impotentia supponitur esse temporalis, non perpetua. quo jure.

Notavimus modo N. 5, quod Matrimonium ab impubere cum sufficiente discretione attentatum sed invalide ex solo defectu potentiæ ad copulam, habeat vim Sponsalium, jure sic disponente cap. unico, *De desponsatione impuberum* in 6.

Notandum insuper quod, licet statim post adeptam pubertatem Matrimonium valide contrahi possit, ordinarie tamen maturior ætas sit expectanda, ut sponsi rem gravissimam maturiori judicio peragant, et obligationibus conjugalibus adimplendis sint aptiores.

N. 73. De impedimento voti dirimente.

S. Thom., Supplem. quæst. 53.

Quale votum dirimit Matrimonium contrahendum ?

Votum solemne dirimit Matrimonium,

R. De jure communi votum solemne emissum in religione per Sedem Apostolicam approbata. Patet ex verbis Bonifacii VIII, cap. unico, *De voto et voti redemptione* in 6 : *Præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum Matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam, factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.* Cfr. Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, can. IX, ubi anathema pronuntiat contra eos qui dixerint, *Regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante voto.*

Dictum est, *de jure communi,* quia ex speciali Pontificis statuto potest fieri, ut votum simplex dirimat Matrimonium. Ita ex Constitutione Gregorii XIII quæ incipit Ascendente Domino, 25 Maii 1584, votum simplex castitatis, a scholasticis Societatis Jesu post biennium novitiatus emissum, dirimit Matrimonium, quamdiu non sunt legitime dimissi. hunc enim vis illa, sicut ipso vota disparet.

Quo jure Matrimonium dirimitur per votum solemne ?

R. Non convenit inter theologos.

juxta multos jure divino aut naturali,

Multi dicunt, votum solemne ex natura sua habere quod Matrimonium dirimat, adeoque jure divino, seu jure naturali, ut quidam loquuntur. Ratio est, quod in voto solemni fit vera traditio et acceptatio corporis ad castitatem; quod vero uni traditum est, valide tradi non potest alteri. Præterea per votum solemne fit consecratio corporis Deo ; quod vero sic consecratum est, dum integrum est, profanum fieri nequit. Hæc sententia est S. Thomæ, 2 2, quæst. 88, art. 11, et Supplem., quæst. 53, art. 2, quem communiter sequuntur Thomistæ; S. Alphonsus de Ligorio, n. 1025, illam probabiliorem dicit.

Alii vero haud pauciores cum Scoto dicunt dirimere solo jure ecclesiastico. Hujus sententiæ, quæ inter recentiores videtur multo communior, rationes sunt : juxta plures jure ecclesiastico tantum.

1°. Quod *voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa*, ut declarat Bonifacius VIII, cap. supra cit., et Gregorius XIII, in Constitutione Ascendente Domino. Itaque si votum tantum dirimat Matrimonium, quatenus est solemne, et quod sit solemne, habeat tantum ex constitutione Ecclesiæ, sequitur, quod solum ex constitutione Ecclesiæ, adeoque jure ecclesiastico, Matrimonium dirimat.

2°. Quod multi Pontifices in hoc impedimento dispensarunt. Varia exempla allegat Fagnanus, in cap. *Cum ad, De statu monachorum*, lib. 3 Decretal., et plura deinceps occurrunt, maxime post perturbationem Gallicam, quando non paucæ hujusmodi dispensationes a Pio VII concessæ fuerunt Regularibus, qui e monasteriis suis ejecti, et mundi illecebris seducti, civile matrimonium attentaverant. Cum autem Pontifices in impedimentis juris naturalis aut divini non dispensent, si ipsi æstimassent, impedimentum voti esse juris naturalis seu divini, dispensationem non concessissent; neque dici potest, omnes illos Pontifices in his errasse. Ergo.

Ad adversariorum fundamentum præcipuum, quod in voto solemni habeatur traditio corporis ad castitatem servandam, ac solemnis consecratio seu benedictio, respondet Moser, *De impedimentis Matrimonii*, cap. 5 : « Neutrum vim habere videtur ex natura sua ad Matri- » monium dirimendum. Non traditio; nam in ordinibus » non approbatis a S. Sede, voventes æque tradunt se » Deo in servum perpetuum, etiam ad castitatem servan- » dam, atque illa traditio æque a superiore Dei nomine » acceptatur, quam in religione approbata. Sic v. g. » scholares Societatis Jesu per vota simplicia efficiebantur » veri religiosi et castitatem vovebant, quod votum a » superiore nomine Dei acceptabatur; tamen Matrimo- » nium non dirimebat, antequam Gregorius XIII vim » illam votis eorum tribuit... »

« Neque consecrationis, seu benedictionis solemnitas » vim illam ex natura sua votis conferre potest; nam hæc » multis in locis sæpe major est pro votis simplicibus, » quam pro solemnibus. »

Observant alii, quod licet donatio quædam corporis fiat per votum, hæc tamen non inducit per se inhabilitatem ad Matrimonium ; quia non potest hæc donatio conferre Deo dominium proprie dictum in corpus, cum ipse sit supremus omnium Dominus, neque inducere potest obligationem justitiæ proprie dictæ, sed religionis tantum.

Aliunde utraque obligatio et Matrimonii et voti potest aliquando simul consistere, ut patet in iis qui, inito et consummato Matrimonio, religionem profitentur : hi manent Matrimonii vinculo juncti, et voto obligati : ergo duæ illæ obligationes non sunt essentialiter incompatibiles. Cfr. Wiggers, *De Sacramento Matrimonii,* cap. 5, dubio 5.

Quandonam cœpit in Ecclesia impedimentum voti solemnis ?

Impedimenti voti incerta origo;

R. Prorsus incertum est. Constat jam viguisse sæculo XII, ut patet ex Conciliis Lateranensi I et II : plures tamen illud multo antiquius esse, aut etiam primis Ecclesiæ sæculis obtinuisse, contendunt. Vide Carrière, n. 653.

Nota. Olim juxta Clementinam unicam, *De consanguinitate et affinitate,* excommunicationem incurrebant ipso facto, tum qui, voto solemni emisso, Matrimonium attentabant, tum qui cum moniali contrahebant.

Hodiedum vero excommunicationi latæ sententiæ Episcopis sive Ordinariis reservatæ subjacent *Clerici in sacris constituti vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis Matrimonium contrahere præsumentes; nec non omnes cum aliqua ex prædictis personis Matrimonium contrahere præsumentes.* Ita Summus Pontifex Pius IX, in Const. Apostolicæ sedis, 4 id. Octob. 1869.

An Summus Pontifex in impedimento voti solemnis dispensare potest ?

in hoc dispensat Papa.

Prænotandum, quod duplici sensu hæc dispensatio intelligi possit : 1°. ita scilicet, ut dispensatus desinat esse religiosus ; 2°. ita ut manens religiosus possit inire Matrimonium. Hinc

R. 1°. In primo sensu Pontificem dispensare posse, negant multi ex iis qui tenent, votum solemne dirimere Matrimonium jure naturæ.

Sed omnino affirmandum est, quandoquidem multoties dispensasse Pontifices constat ; et ita tenent omnes qui dicunt, votum dirimere jure ecclesiastico tantum, et

etiam multi alii, inter quos S. Alphonsus de Ligorio, n. 1026.

2°. In secundo sensu dispensare posse, plures negant; atque sic multi interpretantur decisionem Innocentii III, cap. *Cum ad, De statu monachorum*, ubi dicit : *Abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

Attamen dispensationem etiam eo modo concedi posse, propugnat Suarez ; v. g. ut contrahatur Matrimonium ad legitimandam prolem antea natam, quin consummetur postea. Censet autem Carrière, taliter dispensatum verum religiosum dici non posse, nisi mutaretur prius disciplina Ecclesiæ circa professionem religiosam.

N. 74. De impedimento Ordinis.

S. Thom., Supplem. quæst. 53.

Quid est impedimentum Ordinis ?

R. Est inhabilitas ad Matrimonium contrahendum, orta ex susceptione Ordinis sacri. Ordo sacer

Quo jure hoc impedimentum dirimit Matrimonium ?

R. Jure mere ecclesiastico. Non ita tamen liquet, an directe proveniat ex lege Ecclesiæ irritante tale Matrimonium; an vero directe proveniat ex voto, quod in sacra ordinatione censetur emitti ; an, ut alii volunt, simul oriatur ex voto et ex lege Ecclesiæ directe irritante. dirimit jure ecclesiastico,

Nota, ex iis qui hoc impedimentum ex voto sacræ ordinationi annexo oriri putant, nonnullos sentire, illud juris divini esse ; plures tamen, etiamsi impedimentum ex voto solemni in religione approbata emisso juris divini esse teneant, impedimentum Ordinis juris mere ecclesiastici esse, uti reliqui omnes, admittunt. Cfr. Carrière, n. 788, 790 et seq.

Quandonam Ordo sacer cœpit esse impedimentum dirimens?

R. Determinari nequit quo præcise tempore vigere a quo

tempore incertum est,

cœpit. Certum tamen est hoc impedimentum ante Bonifacium VIII extitisse, ut patet ex propositione LXXII Syllabi 8 Decemb. 1864, a Pio IX damnata : *Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.* Constat etiam jam sæculo XII illud viguisse ex Conciliis Lateranensi I anni 1123, et Lateranensi II anni 1139; deinceps vero confirmatum fuisse per Eugenium III in Concilio Remensi, ac novissime per Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, can. IX. Multi autem putant, multo antiquius esse, et primis sæculis invaluisse.

semper fuit saltem impediens Matrimonium.

Constat interim, a primordiis Ecclesiæ vetitum fuisse, tam in Oriente quam in Occidente, post susceptum Ordinem sacrum inire Matrimonium, adeoque semper illum fuisse impedimentum saltem prohibens, sed non ita liquet, quod fuerit dirimens.

In Ecclesia Latina semper quoque servatum fuit, ut qui Matrimonio juncti ad Ordines sacros promovebantur, ab uxoribus deinceps separarentur.

Ab hac disciplina defecerunt Orientales, et in Concilio Quinisexto seu Trullano, anno 692, sanxerunt consuetudinem, ut Presbyteri et Diaconi, nequaquam vero Episcopi, retinerent uxores antea ductas : quam consuetudinem in ipsis toleravit, nunquam tamen expresse probavit Ecclesia Latina.

Quoad Italo-Græcos Benedictus XIV, Constitutione Etsi pastoralis, irritum declaravit Matrimonium, quod post sacram ordinationem contraheret Subdiaconus, Diaconus, vel Presbyter.

Utrum vero apud cæteros orientales Græcos irritum quoque sit Matrimonium post sacri Ordinis susceptionem contractum, decreto aliquo Apostolico hactenus definitum non est, ut observat Benedictus XIV, in Constitutione sua 19 Junii 1750, quæ incipit Anno vertente. Addit tamen ibidem Pontifex, tribunalia Urbis opinioni eorum adhærere, qui Matrimonia hæc nulla existimant. Cfr. Moser, cit. cap. 5.

Variæ pœnæ statutæ sunt in jure et a Summis Pontificibus contra clericos, qui cum impedimento Ordinis Matrimonium attentant. Juxta Clementinam unicam, *De consanguinitate et affinitate,* ipso facto excommunicationem

incurrunt. Idem pro Italo-Græcis statuit Benedictus XIV. Pius Papa IX, in Const. APOSTOLICÆ SEDIS, N. præc. citata, excommunicationi latæ sententiæ Episcopis sive Ordinariis reservatæ subjacere declaravit clericos in sacris constitutos Matrimonium contrahere præsumentes, et eamdem pœnam extendit ad personas, quæ idipsum cum illis attentant.

N. 75. De cognatione carnali seu consanguinitate.

Nota. Impedimentum, quod per vocem *cognatio* in memoratis versiculis exprimitur, triplex est, scilicet : cognatio *naturalis*, seu *carnalis*, quæ ex carnali generatione oritur, et vocatur *consanguinitas ;* cognatio *spiritualis*, quæ inducitur per Baptismum aut Confirmationem, et cognatio *legalis*, quæ per adoptionem contrahitur. Triplex cognatio.

Hoc et seq. N. de prima specie cognationis tantum agitur.

Quid est cognatio carnalis, seu consanguinitas ?

R. Est vinculum seu conjunctio sanguinis inter personas, quæ ab eodem propinquo stipite descendunt, ut fratres et sorores, vel quarum una descendit ab alia, ut pater et filius vel filia. Cognatio carnalis

Dicitur *ab eodem propinquo stipite ;* stipes quippe vocatur illa persona, a qua consanguinei communem trahunt originem, veluti rami a trunco ; unde etiam *truncus* et *radix* dicitur. Ita respectu fratrum et sororum stipes est communis pater, seu mater, vel uterque.

Additur *propinquo,* quia remote omnes homines ab uno descendunt, nec tamen inde dicuntur consanguinei.

Cum fundamentum hujus cognationis sit carnalis generatio, patet eam contrahi etiam cum illegitimis et spuriis.

Quomodo distingui et mensurari solet consanguinitas ?

R. Distinguitur per lineas, et linea mensuratur per gradus. distinguitur per lineas

Linea est series personarum consanguinearum, et dividitur in lineam rectam, et collateralem, seu transversam.

Linea *recta* est series consanguineorum, quorum alter rectam

ab altero descendit : ita filius, pater, avus, etc. sunt consanguinei in linea recta.

et collateralem,

Linea *collateralis* seu *transversa* est series consanguineorum, qui ab eodem stipite communi descendunt, verum non alter ab altero : sic frater et soror, patruus et neptis sunt consanguinei in linea collaterali.

Linea collateralis est duplex : *æqualis* scilicet, quando consanguinei æqualiter distant a stipite communi, ut duo fratres, duo consobrini, etc. ; vel *inæqualis*, dum a stipite communi distant inæqualiter, ut patruus et neptis : hæc etiam vocatur *mixta*.

et mensuratur per gradus.

Mensura distantiæ consanguineorum ab invicem et a communi stipite, est *gradus* : minima distantia, quæ est patris ad filium, constituit unum gradum, et qui se ita proxime contingunt dicuntur esse in primo gradu consanguinei.

Quomodo gradus consanguinitatis computandi sunt in foro ecclesiastico ?

Regulæ illam computandi in foro ecclesiastico,

R. Juxta has tres regulas :

Prima : *In linea recta duæ personæ tot gradibus distant, quot intercedunt generationes ;* seu, ut alii id exprimunt : *tot sunt gradus, quot sunt personæ, dempta una.* Sic pater et filius se contingunt in primo gradu ; avus et nepos in secundo.

Secunda regula : *In linea collaterali duæ personæ æqualiter distantes a communi stipite, tot gradibus distant inter se, quot una distat a communi stipite.* Ita frater et soror sunt consanguinei in primo gradu, duo consobrini in secundo lineæ collateralis æqualis.

Tertia regula : *In linea collaterali duæ personæ inæqualiter distantes a communi stipite, tot gradibus inter se distant, quot persona remotior distat a communi stipite.* Ita duobus gradibus distant avunculus et neptis, seu sunt consanguinei in secundo gradu lineæ collateralis, licet avunculus uno tantum gradu distet a communi stipite, equidem neptis duobus gradibus distat ab eodem.

Attamen solet distantia utriusque a stipite exprimi, idque exigit stylus curiæ Romanæ pro petenda dispensatione ; et ita in allegato exemplo avunculus et neptis sunt consanguinei in primo et secundo gradu mixtim, seu gradu inæquali primo cum secundo.

ARBOR CONSANGUINITATI


IV. Abavus, Abavia. 4.
IV. Propatruus, Propatrua. 5. Horum
III. Proavus, Proavia. 3.
IV. Proavunculus, Proavuncula. 5. Horum
IV. Filius, Filia. 6.
III. Patruus magnus, Amita mag. 4.
II. Avus, Avia. 2.
III. Avunculus magnus, Matert. mag. 4.
IV. Nepos, Neptis. 7.
III. Sobrinus, proprior, Sobrina. 5. Horum
II. Patruus, Amita. 3.
I. Pater, Mater. 1.
II. Avunculus, Matertera. 3.
IV. Pronepos, Proneptis. 8.
III. Filius, Filia. 6.
II. Patruelis, Amitinus, Amitina. 4. Horum
I. Frater, Soror. 2. Horum
I. Frater, Soror. 2. Horum
IV. Nepos, Neptis. 7.
III. Filius, Filia. 5.
II. Filius, Filia. 3.
I. Filius, Filia. 1.
IV. Nepos, Neptis. 6.
III. Nepos, Neptis. 4.
II. Nepos, Neptis. 2.
IV. Pronepos, Proneptis. 5.
III. Pronepos, Proneptis. 3.
IV. Abnepos, Abneptis. 4.

Numerus superior romanus assignat gradum secundum jus canonicum, inferior vero arabicus, secundum jus civile.

In cella … gat se p… consang…

Modus computandi gradus consanguinitatis juxta stylum Curiæ Romanæ.





...acua, quæ in medio est, fin-
...itum, qui de sua cum aliis
...nitate inquirit.

Quomodo gradus consanguinitatis computantur in foro civili ?

R. In modo computandi gradus in linea recta jus canonicum et civile conveniunt. Quoad lineam vero collateralem differunt : scilicet, juxta jus Romanum, quocum jus nostrum modernum convenit, in linea collaterali gradus utriusque partis simul computantur, seu duæ personæ tot gradibus inter se distare dicuntur, quot sunt generationes ab utraque parte simul. Ita frater et soror sunt consanguinei in secundo gradu ; avunculus et neptis in tertio. in foro civili.

Ratio hujus disparitatis in modo computandi desumitur ex diverso fine, quem sibi præfigit jus utrumque. Illam sic explicat Alexander II, *Epist.* 38, apud Gratianum, causa 35, quæst. 5, can. 2 : *In legibus ob nihil aliud ipsorum graduum mentio facta est, nisi ut hæreditas vel successio ab una ad alteram personam inter consanguineos deferatur. In canonibus vero ob hoc progenies computatur, ut aperte monstretur, usque ad quotam generationem a consanguineorum sit nuptiis abstinendum.... Hac igitur de causa, quia hæreditates nequeunt deferri, nisi de una ad alteram personam, idcirco curavit sæcularis imperator in singulis personis singulos præfigere gradus. Quia vero nuptiæ sine duabus non valent fieri personis, ideo sacri canones duas in uno gradu constituere personas.*

Differentia hæc clare patebit ex inspectione arboris consanguinitatis in tabula tractatui annexa, ubi numeri romani gradus canonicos, arabici gradus civiles designant.

Ex eodem schemate liquet significatio quorumdam vocabulorum, quibus diversi consanguinei indicari solent. Sic in linea recta inter ascendentes pater patris tui seu matris vocatur *avus*, pater avi *proavus*, pater proavi *abavus* : suntque respective consanguinei tui in secundo, tertio, quarto gradu. In eadem linea inter descendentes filius filii vocatur *nepos*, nepotis filius *pronepos*, filius pronepotis *abnepos*.

In linea collaterali frater patris tui vocatur *patruus*, soror patris *amita ;* frater matris est *avunculus*, soror matris est *matertera*. Filii patrui tui *patrueles*, amitæ *amitini*, avunculi seu materteræ *consobrini*, *amitini* nominantur : vulgo autem hi omnes dicuntur *cognati germani*.

Modus detegendi consanguinitatem

Nota. Ad detegendum, an duo inter se consanguinei sint, supra nomen utriusque scribantur nomina patris et matris, avorum et aviarum, proavorum et proaviarum, abavorum et abaviarum. Si eadem persona in utroque schemate occurrat, ipsa est stipes communis.

multiplicem.

Si plures hujusmodi stipites communes reperiantur, tot sunt diversæ cognationes : quæ in petitione dispensationis omnes sunt exprimendæ. Observa tamen, quod pater et mater communes unum faciant stipitem.

Aliunde etiam potest duplex cognatio provenire, quod nempe quis, tam per matrem quam per patrem, aut per avum simul et aviam, aut generatim per duplicem progenitorum seriem, descendat ab eodem stipite ac alter : v. g. si pater et mater sponsæ sint cognati germani, descendentes ab eodem stipite a quo descendit sponsus in tertio gradu, erit sponsa bis ejus cognata in tertio gradu æquali. Imo sic pluries possunt esse cognati.

Pone duas personas, Bernardum A. et Martham B. : Bernardus, tam per patrem, quam per matrem, descendit a communibus stipitibus, Antonio A. et Philippo B. ; et Martha ab uno descendit per patrem, ab altero per matrem, ut sequitur :



In hoc casu Bernardus est consanguineus Marthæ in duplici tertio ex parte sui patris Caroli, et in duplici tertio ex parte suæ matris Elisabeth, cum tertio ex parte patris, et secundo ex parte matris Marthæ ; seu consanguinei sunt in duplici tertio æquali, et in duplici inæquali tertio cum secundo.

N. 76. In quibus gradibus et quo jure consanguinitas dirimat Matrimonium.

S. Thom., Supplem. quæst. 54.

Prænotandum. Theologi communiter ex S. Thoma, 2 2, quæst. 154, art. 9, in corp., assignant tres rationes, ob quas non decet Matrimonium contrahi inter consanguineos. Prima est, quod homo honorificentiam debeat parentibus et consanguineis, in commixtione vero carnali

Rationes irritandi Matrimonia inter consanguineos.

consistat turpitudo honorificentiæ contraria; unde de ea homines verecundantur.

Secunda ratio est, quod personæ consanguineæ simul conversari soleant, et ideo a Matrimonio arcendæ sint, ne nimia opportunitas detur libidini.

Tertia ratio est, quod per nuptias inter propinquos impediretur multiplicatio amicorum; dum enim homo uxorem extraneam accipit, junguntur sibi quadam speciali amicitia consanguinei uxoris, ac si essent consanguinei sui.

In quibus gradibus, et quo jure dirimit Matrimonium consanguinitas lineæ rectæ?

In linea recta irrita sunt Matrimonia in omni gradu jure ecclesiastico,

R. 1°. Jure ecclesiastico dirimit Matrimonium probabilius in omni gradu lineæ rectæ. Patet ex responso Nicolai I ad consultationem Bulgarorum, cap. 39, ubi sic legitur : *Inter eas personas quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem et filiam, vel avum et neptem, inter matrem et filium, vel aviam et nepotem, et sic usque ad infinitum.* Restrictio autem impedimenti consanguinitatis ad quartum gradum, facta in Concilio Lateranensi IV, intelligenda videtur de sola consanguinitate lineæ collateralis, cum pro illa sola militent rationes ob quas facta est restrictio. Convenit hic cum jure canonico jus Romanum, *Institut.* lib. 1, tit. 10 *De nuptiis*, et modernus Codex Civilis, art. 161, quoad matrimonium civile.

ad quem gradum jure naturæ, dubium est.

2°. Certum est, jure naturæ graviter illicitum esse Matrimonium inter consanguineos lineæ rectæ præsertim proximiores, ut inter patrem et filiam vel neptem, inter matrem et filium vel nepotem.

3°. Non ita certum est an, et ad quem gradum, Matrimonium inter consanguineos lineæ rectæ sit irritum jure naturæ.

Prima sententia negat in ullo gradu irritum esse Matrimonium jure naturæ ; quia talis conjunctio non repugnat fini primario Matrimonii ; imo gravem indecentiam, quæ illud generaliter reddit illicitum, aliqua forte necessitate abstergi posse, censet. Pro hac sententia citatur Thomasius ; eamque non omnino rejiciunt Caramuel et Pontius, lib. 7, cap. 31, n. 6 ; sed parum videtur probabilis.

Secunda sententia propugnat, Matrimonium irritum

esse jure naturæ in omni gradu lineæ rectæ in infinitum, quia reverentiæ parentibus et majoribus debitæ graviter repugnat æqualitas conjugalis, et carnalis copulæ turpitudo. Alii tamen restringunt ad vigesimum, alii ad decimum, aut septimum, aut secundum gradum, fere pro libitu.

Tertia sententia, quæ communior videtur, tantum in primo gradu lineæ rectæ Matrimonium jure naturæ irritum esse pronuntiat.

In quibus gradibus, et quo jure dirimit Matrimonium consanguinitas in linea collaterali?

In linea collaterali irrita sunt usque ad quartum gradum jure ecclesiastico.

R. 1°. Certum est, jure ecclesiastico Matrimonium fidelium hodie dirimi usque ad quartum gradum inclusive, et non ultra. Ita enim statuit Innocentius III, in Concilio Lateranensi IV, his verbis : *Prohibitio copulæ conjugalis quartum consanguinitatis et affinitatis gradum de cætero non excedat : quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari.* Ita refertur cap. *Non debet, De consanguinitate et affinitate,* lib. 4 Decretal. Hoc porro ex dictis N. præc. ita intelligendum est, ut si una persona quartum gradum excedat, licet altera quarto tantum aut proximiori gradu distet a stipite, Matrimonium sit validum; atque ita decidit Gregorius IX, cap. *Vir qui,* tit. cit.

Impedimentum vero usque ad quartum gradum inclusive etiam locum habet respectu eorum qui in communi stipite conveniunt solum ratione unius personæ, v. g. qui ex eodem patre, non ex eadem matre geniti sunt, et vocantur fratres consanguinei; vel qui ex eadem matre non ex eodem patre nati sunt, et vocantur fratres uterini.

Eadem quoque ratio servatur, quoad hoc impedimentum et modum supputandi gradus, respectu spuriorum et illegitimorum, ac pro legitimis.

Nota quod ante præfatum Concilium Lateranense non eadem fuit Ecclesiæ disciplina. Ex S. Augustino, *De civitate Dei,* lib. 15, liquet, Matrimonium nulla lege fuisse prohibitum, nisi in primo gradu, seu inter fratres et sorores, usque ad finem sæculi IV. Tunc a Theodosio Matrimonia inter patrueles et consobrinos, seu in secundo gradu interdicta fuerunt, quam legem adoptavit Ecclesia, et semper servavit, etiam postquam lex civilis abrogata

fuit. Ante finem vero sæculi VI jam vigebat lex in Ecclesia irritans Matrimonia inter consanguineos usque ad septimum gradum, ut patet ex Epist. S. Gregorii Magni ad S. Augustinum, Anglorum Apostolum; atque hæc lex communiter observata fuit usque ad Concilium Lateranense IV anni 1215, quo prohibitio ad quartum gradum fuit restricta.

An in ullo gradu jure naturæ, dubium est.

2°. An jure naturæ irritum sit Matrimonium in primo gradu lineæ collateralis, seu inter fratrem et sororem, non convenit inter doctores. Alii, ut Sylvius, Sanchez etc., affirmant; quia carnalis commixtio inter fratrem et sororem, non secus ac inter patrem et filiam, multum repugnat pudori et honorificentiæ invicem debitæ.

Alii vero multi censent, inde confici, quod, seclusa necessitate, qualis erat inter filios et filias Adæ, Matrimonium inter fratrem et sororem illicite contrahatur, non tamen quod irritum sit. Atque huic sententiæ aperte favere videtur S. Thomas, 2 2, quæst. 154, art. 9, ad 3, ubi, postquam docuisset, Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ jure naturæ esse nullum, subjungit : *Aliæ vero personæ, quæ non conjunguntur secundum seipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex seipsis indecentium; sed variatur circa hoc decentia vel indecentia, secundum consuetudinem et legem humanam vel divinam... et ideo, sicut S. Augustinus dicit, lib.* 15 *De civitate Dei, cap.* 16 : *Commixtio sororum et fratrum, quanto fuit antiquior compellente necessitate, tanto postea facta est damnabilior, religione prohibente.* Cfr. quoque Supplem. quæst. 54, art. 3.

Ultra primum gradum jure naturæ irritum non esse Matrimonium in linea collaterali, fere omnes conveniunt. Unde etiam in istis gradibus Summi Pontifices dispensare solent; quod nunquam in primo gradu fuit factum.

Conclusiones.

Ex dictis collige :

1°. Si duo infideles consanguinei in secundo vel ulteriori gradu lineæ collateralis contraxerint, Matrimonium eorum est validum, adeoque ad fidem conversi separari non debent; atque ita statuitur cap. *Gaudemus, De divortiis,* lib. 4 Decretal.

2°. Si frater et soror contraxissent in infidelitate, Matrimonium esset dubium, et post conversionem judicium

Sedis Apostolicæ esset expectandum : interim vero separandi essent ob periculum incestus.

3°. Idem videtur dicendum, si avus duxisset neptem suam seu consanguineam in secundo gradu lineæ rectæ.

Si autem quis eousque naturæ jura violasset, ut propriam filiam sibi copulasset, Matrimonium certe nullum habendum esset.

Notandum, quod Christiani qui scienter cum impedimento consanguinitatis attentant Matrimonium, incurrant ipso facto excommunicationem, vi Clementinæ unicæ, *De consanguinitate et affinitate.* Sed cum præfata excommunicatio non recenseatur in Const. Apostolicæ sedis, qua Summus Pontifex Pius IX censuras latæ sententiæ limitavit, dicendum, quod hodiedum jam ipso facto non incurratur.

N. 77. *De impedimento cognationis spiritualis.*

S Thom., Supplem. quæst. 56.

Quid est cognatio spiritualis ?

R. Est propinquitas personarum proveniens ex Baptismo vel Confirmatione. Cognatio spiritualis

Inter quas personas contrahitur impedimentum cognationis spiritualis ?

R. Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, cap. II, *De reformatione Matrimonii,* impedimentum hoc, quod antea ad plures extendebatur, ita restrinxit, ut jam solum baptizans et susceptores ab una parte, singuli contrahant impedimentum cum prole baptizata ejusque parentibus, id est patre et matre, sive legitimis sive illegitimis, ab altera parte. Inter quas personas dirimat Matrimonium,

Eodem plane modo ex Confirmatione oritur impedimentum inter confirmantem atque tenentem ab una parte, et confirmatum ejusque parentes ab altera parte.

Notandum igitur, quod patrini non contrahunt impedimentum inter se, nec cum baptizante : unde patrinus et matrina possent inter se Matrimonium inire. Nihil quoque impedit, quominus duo conjuges eamdem prolem

suscipiant. Cfr. Constitutionem S. Pii V, Cum illius vicem. Baptizatus ejusque parentes, licet contrahant impedimentum cum baptizante et cum patrinis, non tamen cum eorum conjuge aut filiis.

Ut vero impedimentum cognationis spiritualis contrahatur, requiritur : 1°. ut Sacramentum Baptismi seu Confirmationis valide suscipiatur; et 2°. ut susceptores illud contrahant, requiritur, ut susceptio valide sit facta.

Ubi igitur dubium est Sacramentum, dubium quoque est impedimentum. Id frequentius occurrit in casibus, in quibus Baptismus, in necessitate ab obstetrice collatus, postea sub conditione in ecclesia iteratur.

Unde in registro baptismali tunc annotari debet, Baptismum sub conditione collatum fuisse : casu enim occurrente, facilius conceditur dispensatio, si quis v. g. patrinus fuerit in tali Baptismo, propter dubiam tantum cognationem, quam inde contraxit.

Quænam ad valorem susceptionis requirantur, traditur in tract. *De Baptismo,* N. 41.

Quo jure cognatio spiritualis dirimit Matrimonium ?

solo jure ecclesiastico ;

R. Jure mere ecclesiastico : Ecclesia scilicet ad normam cognationis naturalis impedimentum hoc constituit, eo quod Baptismus sit quædam generatio spiritualis, et Confirmatio hujus generationis perfectio. Unde baptizans et susceptores sunt quasi patres spirituales baptizati, et compatres parentum ejus : et inde cognatio eorum cum baptizato aut confirmato dicitur etiam *paternitas* et *filiatio,* cognatio cum parentibus, *compaternitas.*

An oritur hoc impedimentum ex Baptismo privato ?

an contrahatur ex baptismo privato.

R. Certe oritur inter baptizantem et baptizatum ejusque patrem ac matrem. Quæstio autem est, an similiter patrinus, si adhibeatur, impedimentum contrahat.

Affirmant Sylvius et Suarez cum multis; sed S. Alphonsus de Ligorio, lib. 6, n. 149, sententiam negantem, quam Sanchez, Soto aliique propugnant, communiorem dicit et probabiliorem : dubium igitur esset impedimentum, nisi auctoritas S. Congregationis Concilii, in duobus responsis annorum 1603 et 1677 opinionem affirmantem sequentis, contrariæ sententiæ probabilitatem adimeret. Cfr. *Anal. juris pontif.,* ser. 8, col. 1708 et seqq.

An impedimentum cognationis spiritualis contrahit patrinus Confirmationis, si ipse confirmatus non sit ?

R. Affirmant quidem Sylvius, Daelman aliique ; sed multi alii cum Suarez et Sanchez negant, quia non confirmatus in jure canonico et in rubrica Pontificalis Romani a munere patrini Confirmationis arcetur; atque ita pronuntiavit sacra Congregatio Concilii 13 Junii 1654, cujus hæc sunt verba relata a Pignatelli et Giraldi : *Censuit, non confirmatum, si susceperit aliquem in Sacramento Confirmationis, non contrahere cognationem spiritualem.*

Ex N. 41 tract. *De Baptismo* hic quoque notandum : Notanda.

1°. Quod in Baptismo ad summum unus et una tanquam patrini abhiberi possint, in Confirmatione unus vel una tantum : ita enim statuit Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, cap. II, *De reformatione Matrimonii.*

2°. Quod, si plures adhibeantur, omnes equidem verosimilius contrahant impedimentum.

3°. In susceptione per procuratorem, non hunc, sed principalem contrahere cognationem. Ita etiam declaravit S. Congregatio Concilii apud Zamboni, verbo *Matrimonium*, § 10, n. 1 et 5.

4°. Non contrahere illum, qui solum adhibetur in suppletione cæremoniarum : ita quoque S. Congregatio, loc. cit., n. 2 et 10.

5°. Dubium esse, an contrahatur cognatio a suscipiente si tantum assistat, et baptizandum aut confirmandum physice non tangat.

Nota insuper quod, cum non baptizatus sit incapax cognationis spiritualis, qui baptizat aut levat prolem mulieris infidelis, contrahat quidem cognationem spiritualem cum prole, non vero cum ejus matre. Unde nec postea, si ipsa baptizetur, prohiberetur cum ea Matrimonium inire. Cfr. Sanchez, lib. 7, disp. 60.

An ille, qui propriæ uxoris prolem baptizat, aut suscipit, perdat jus petendi debitum, vide resolutum N. 46

N. 78. De impedimento cognationis legalis.

S. Thom., Supplem. quæst. 57.

Quid est cognatio legalis ?

Cognatio legalis oritur ex adoptione,

R. Est propinquitas personarum proveniens ex adoptione.

Adoptio est personæ extraneæ in filium vel nepotem, filiam vel neptem, legitima assumptio.

Porro juxta jus Romanum duplex erat adoptio, *perfecta* et *imperfecta*.

Perfecta, quæ etiam adrogatio dicitur, illa est, qua adoptatus transit in potestatem et familiam adoptantis, et perinde ac filius legitimus et naturalis fit hæres illius necessarius, tam ex testamento, quam ab intestato.

Imperfecta est, qua adoptatus non transit in potestatem ac familiam adoptantis, nec fit hæres illius necessarius, sed tantum acquirit jus ad succedendum ei ab intestato. Prior fieri debebat auctoritate principis, et utriusque, tam adoptantis quam adoptati, consensu; posterior fieri poterat auctoritate magistratus.

Quo jure cognatio legalis dirimit Matrimonium ?

jure ecclesiastico,

R. Jure ecclesiastico tantum : ut enim advertit Benedictus XIV, *De Synodo*, lib. 9, cap. 10, n. 5, « cognationem » legalem, et quæ ex ea ad nuptias profluunt obstacula, » eo prorsus modo, quo a jure civili statuta fuerant, uni- » versum recepit approbavitque Nicolaus I, in respons. » ad consulta Bulgarorum, cap. 2, cujus responsionis » fragmenta referuntur in can. *Ita diligere*, causa 30, » quæst. 3, et in cap. unico, *De cognatione legali.* » *Inde est*, ut docet S. Thomas, quæst. 57, art. 2, *quod legalis cognatio Matrimonium impediat.* Nam, ut dicit ibid., ad 4 : *Prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum Matrimonii, nisi interveniret Ecclesiæ auctoritas, quæ idem etiam interdicit.*

Cum vero Ecclesia hic adoptaverit dispositiones juris civilis Romani, observat citatus Pontifex, ubi supra : « Si » quæstio incidat, sive in tribunali ecclesiastico, sive

» etiam in Synodo, an in hoc vel illo casu adsit impe-
» dimentum cognationis legalis, necessario recurrendum
» erit ad leges civiles, atque ad earumdem normam con-
» troversia decidenda. »

Ex qua adoptione provenit impedimentum dirimens Matrimonium ?

R. 1°. Certum est apud omnes, quod proveniat ex adoptione perfecta Romanorum. certe ex perfecta,

2°. Incertum est, an etiam ex imperfecta Romanorum adoptione proveniat, ut videri potest apud Benedictum XIV, loc. cit. Inter recentiores tamen communiorem videri sententiam affirmantem, dicit Giraldi. Ob dubium tamen aliqui in casu ad Sedem Apostolicam recurrendum esse opinantur. dubitatur an ex imperfecta,

Inter quas personas cognatio legalis inducit impedimentum dirimens Matrimonium ?

R. Distinguenda est cum S. Thoma triplex legalis cognatio : *Prima*, quæ est in linea recta, dirimit Matrimonium inter adoptantem et adoptatum ; item verisimilius inter adoptantem et adoptati descendentes, juxta nonnullos usque ad quartum gradum inclusive, juxta alios in infinitum. inter quas personas.

Secunda est in linea collaterali, et dirimit Matrimonium inter adoptatum et adoptantis prolem naturalem legitimo thoro natam. Hæc cognatio primum gradum non excedit.

Tertia, quæ potius est affinitas quam cognatio, dirimit Matrimonium inter adoptantem et uxorem adoptati, et vice versa inter adoptatum et uxorem adoptantis. Hæc etiam primum gradum non excedit.

Circa primam et tertiam cognationem notandum est, illam perseverare et Matrimonium impedire, etiamsi cesset adoptio, v. g. per mortem adoptati. Cognatio vero secundæ speciei non perdurat nisi quamdiu uterque, adoptatus v. g. et filia adoptantis, simul manent sub potestate patris adoptantis ; unde inter adoptatum et filiam adoptantis potest subsistere validum Matrimonium, si alterutra pars sit emancipata.

Quænam sunt dispositiones Codicis Civilis moderni relative ad adoptionem legalem ?

R. Juxta jus civile modernum hic vigens una tantum Adoptio

legalis juxta Codicem Civilem :

est species adoptionis, quæ imperfectæ adoptioni Romanorum similior est, quam perfectæ. Nam adoptatus non transit in potestatem adoptantis, sed manet in sua familia naturali : Cod. Civ., art. 348. Fit etiam adoptio auctoritate magistratus civilis, juxta formas præscriptas ; art. 353 et seq. Aliunde vero videtur adoptatus fieri hæres adoptantis, non tantum ab intestato, sed etiam necessarius ex testamento : art. 350 et 913.

Porro art. 348 statuitur impedimentum matrimonii civilis existere, 1°. in linea recta inter adoptantem et adoptatum, hujusque descendentes ; 2°. in linea collaterali, inter adoptatum et adoptantis prolem naturalem legitimam, et inter liberos adoptivos ejusdem ; 3°. ut in jure Romano, inter adoptantem et uxorem adoptati et vice versa inter adoptatum et uxorem adoptantis.

Ex his liquet, non leve discrimen intercedere inter jus Romanum et jus civile modernum quoad impedimentum cognationis legalis in linea collaterali. Juxta jus Romanum, ut supra notatum fuit, obtinebat tantum illud impedimentum quamdiu uterque, adoptatus v. g. et filia adoptantis, manebant sub potestate patris adoptantis, sed cessante adoptione, aut alterutro emancipato, cessabat, et validum inter illos poterat iniri Matrimonium. Jam vero juxta jus modernum, Cod. Civ., art. 346, adoptari non potest nisi majorennis, et adoptatus non constituitur sub potestate adoptantis. Nihilominus Codex, art. 348, hoc impedimentum statuit pro matrimonio civili, nec restrictionem juris Romani admittit. Imo aliud impedimentum civile inducit inter liberos adoptivos ejusdem.

Tandem conditiones quæ requiruntur, tam ex parte adoptantis quam ex parte adoptati, ut fieri possit adoptio, recenset Cod. Civ., art. 343-346.

An ex adoptione facta juxta præscripta Codicis Civilis oritur impedimentum dirimens Matrimonium in facie Ecclesiæ?

an constituat impedimentum dirimens Matrimonium.

R. Admisso cum communiore sententia quod ad impedimentum dirimens sufficiat adoptio Romanorum imperfecta, cui similior videtur moderna adoptio Codicis Civ., non illico pronuntiandum est hanc ultimam quoque coram Ecclesia dirimere Matrimonium, cum in pluribus, uti patet ex ante dictis, differant jus Romanum et jus modernum Codicis Civilis.

Ex adoptione facta juxta præscripta Codicis nostri Civilis, oriri impedimentum cognationis legalis sentiunt Baston, Bouvier, Gousset et Carrière, propter hanc præcipue rationem, quia leges civiles de cognatione legali Ecclesia suas fecit. Adfert quoque Carrière, n. 704, responsionem sacræ Pœnitentiariæ 17 Maii 1826, ad propositum dubium : *Cum in eodem regno* Galliæ *adoptionis jus modo legaliter sit receptum, quæritur an canonicum impedimentum adoptionis dirimens, locum etiam habere debet?* R. *Affirmative, si res sit de adoptione legitime inita.*

Attamen in hac quæstione solvenda, ut notat cl. Feije, op. cit., n. 305, « id tenendum imprimis est, Ecclesiam » fecisse suas leges civiles Romanas de adoptione, non » alias. » Hoc posito principio, sequentem tradit regulam, qua omnes difficultates in præsenti materia occurrentes resolvi possunt : « Quoties ergo in casu adoptionis ita » adsunt requisita legum civilium modernarum, ut (quod » fieri certe potest) simul adsint requisita substantialia » juris Romani, toties aderit impedimentum ; aberit » vero quoties illa non adsunt. » Quoad responsionem S. Pœnitentiariæ supra allatam, dici potest, eam loqui de adoptione *legitime inita,* adeoque intelligi debere de adoptione pro qua adsunt substantialia a jure Romano requisita, præsertim cum in dubio proposito non dicatur præscripta Codicis Civilis differre ab iis quæ statuit jus Romanum.

N. 79. De impedimento affinitatis.

S. Thom., Supplem. quæst. 55.

Quid est affinitas ?

R. Est propinquitas, quam una persona contrahit cum consanguineis alterius, ex copula carnali cum illa ; adeoque vir fit affinis consanguineis mulieris, et mulier consanguineis viri. Affinitas

Fundamentum igitur et origo affinitatis est copula carnalis, sive matrimonialis, sive extramatrimonialis, ut patet ex cap. *Fraternitati* et cap. *Ex litteris, De eo qui cognovit,* oritur ex copula carnali

lib. 4 Decretal. Cum enim per copulam carnalem vir et mulier fiant una caro, propinqui unius secundum carnem, fiunt propinqui alterius.

consummata.

Ut vero copula carnalis affinitatem inducat, debet esse consummata in vase debito, per emissionem seminis virilis intra illud; seu quod idem est, debet de se esse apta generationi. Ita post S. Thomam, art. 4, ad 2, auctores communiter. Non tamen videtur requiri seminatio fœminæ, cum probabilius non sit necessaria generationi; contrarium vero probabile habet S. Alphonsus de Ligorio, n. 1075.

Hinc non exurgit affinitas ex copula sodomitica, neque ex illa quæ habita fuit citra seminationem viri, aut cum effusione totius seminis extra vas; neque ex copula spadonis utroque testiculo carentis, cum talis non habeat semen virile.

Contra oritur affinitas ex copula inter senes et steriles habita : quia illa de se generationi apta est, et ex ea vir et mulier fiunt una caro. Sufficit etiam copula consummata cum muliere invita, ebria, insana etc. Nihil quoque refert, copula occulta sit an non; et quotiescumque constat de copula, præsumitur in foro externo consummata,

Nota, quod hoc impedimentum non cesset morte alterutrius conjugum vel fornicantium; sed sit perpetuum, uti decernitur causa 35, quæst. 10, can. 1.

Quomodo dignoscitur, an duæ personæ sint affines?

Regulæ discernendi affinitatem,

R. Ex eo quod una copulam carnalem habuit cum persona consanguinea alterius.

Hinc 1°. Inter duas personas, quarum neutra copulam carnalem exercuit, non potest esse affinitas.

2°. Existit tantum inter illam unam personam quæ copulam habuit, et alterius consanguineos, non vero inter consanguineos unius et consanguineos alterius. Hinc axioma : *Affinitas non parit affinitatem,* et ita traditur cap. *Quod super his, De consanguinitate et affinitate,* lib. 4 Decretal. Adeoque duo fratres possunt inire Matrimonium cum duabus sororibus, pater et filius cum matre et filia, vitricus cum vidua privigni etc.

Personæ quoque carnaliter copulatæ non sunt affines inter se, sed potius affinitatis principium, seu stipes.

Quomodo dignoscitur in quo gradu aut linea una persona sit affinis alteri ?

R. Facile dignoscitur per hanc regulam : Quoto gradu et in qua linea, aliqua persona est consanguinea alteri, eodem gradu et eadem linea est affinis illi quacum illa altera copulam habuit. Et gradum.

Sic avus Joannis, qui Joanni est consanguineus in secundo gradu lineæ rectæ, itidem in secundo gradu lineæ rectæ est affinis Catharinæ a Joanne carnaliter cognitæ. Frater Joannis, qui Joanni est consanguineus in primo gradu lineæ collateralis, est affinis Catharinæ etiam in primo gradu lineæ collateralis ; et ita de cæteris.

Non abs re erit, si hic quorumdam vocabulorum significationem tradamus ex *Institut.* lib. 1, tit. 10 *De nuptiis.*

Affinium denominationes.

Itaque aliquis vocatur Privignus (*stiefzoon, beau-fils*), vel Privigna (*stiefdochter, belle-fille*), respectu Vitrici (*stiefvader, beau-père* vel *mari du second lit*), aut Novercæ (*stiefmoeder, belle-mère* vel *femme du second lit*).

Vocatur quis Socer (*schoonvader, beau-père*), vel Socrus (*shoonmoeder, belle-mère*), respectu sui Generi (*schoonzoon, gendre*), seu mariti filiæ suæ, item respectu suæ Nurus (*schoondochter, bru*), seu uxoris filii sui.

Frater viri vel uxoris alicujus, respectu hujus dicitur Levir (*zwager, beaufrère*), soror autem viri vel uxoris alicujus, respectu ejusdem dicitur Glos (*zwagerin, belle-sœur*) : fratris mei uxor mihi Fratria est, sororis meæ vir Sororius.

Ad quem gradum affinitas dirimit Matrimonium ?

Affinitas ex copula matrimoniali dirimit ad quartum gradum ;

R. Distinguendum est : 1°. Affinitas orta ex copula matrimoniali, seu habita inter conjuges, dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum affinitatis inclusive. Constat ex cap. *Non debet, De consanguinitate et affinitate.*

Ante Concilium Lateranense IV anni 1215, ex quo desumptum est præfatum caput, impedimentum affinitatis extendebatur usque ad septimum gradum inclusive; uti patet ex can. *Nullum,* et can. *Æqualiter,* causa 35, quæst. 3.

ex fornicaria ad secundum.

2°. Affinitas ex copula fornicaria tantum dirimit usque ad secundum gradum inclusive.

Ita jure novo Concilii Tridentini, Sess. XXIV, cap. IV, *De reformatione Matrimonii,* statutum est; antea vero

dirimebat in iisdem gradibus ac affinitas orta ex copula matrimoniali.

Sub affinitate contracta ex fornicatione, Tridentinum comprehendit etiam illam, quæ oritur ex alia specie luxuriæ involvente fornicationem ; puta ex stupro, adulterio, incestu, etc. Ita Sanchez et doctores passim.

Insuper notandum, quod Concilium Tridentinum ita restrinxit hoc impedimentum ex copula fornicaria, ut ultra secundum gradum non tantum non dirimat, sed nequidem impediat Matrimonium; uti declaravit S. Pius V, in Constit. Ad romanum. Ita porro hoc intellige, quod licitum et validum sit Matrimonium etiam in secundo cum tertio mixto. Unde illicite quidem et invalide contraheret fornicarius cum mulieris a se carnaliter cognitæ consobrina, valide autem et licite cum hujus filia.

Observant auctores, citata decreta Concilii Lateranensis IV et Concilii Tridentini de linea collaterali intelligenda esse, et in linea recta Matrimonium irritari in quocumque affinitatis non secus ac consanguinitatis gradu.

Ad quem gradum parit affinitatem copula inter illos habita, quorum Matrimonium est invalidum ?

a) Quid si Matrimonium sit invalidum.

R. 1°. Si Matrimonium sit invalidum ex defectu consensus alterutrius, plures existimant, affinitatem non extendi ultra secundum gradum.

2°. Si Matrimonium, ex alia causa invalidum, fuit mala fide contractum, aut consummatum, saltem ab una parte, idem plures tenent, aliis contradicentibus.

3°. Si vero bona fide fuit Matrimonium ab utraque parte contractum et consummatum, minime concordant auctores.

Alii dicunt, impedimentum publicæ honestatis tunc quidem extendi ad quartum gradum , affinitatis autem ad secundum tantum, quia illa copula, licet animo conjugali habita, equidem in substantia fuit fornicaria.

Alii dicunt , etiam impedimentum affinitatis extendi usque ad quartum gradum, quia ex neutrius parte habitum fuit commercium illicitum, seu fornicatio formalis.

Huic sententiæ favet declaratio S. Congregationis Concilii 3 Decemb. 1667, relata apud Zamboni et citata a Benedicto XIV, *Quæst. can.* 291. Cum vir quidam, postquam Matrimonium ejus declaratum fuisset irritum propter

impedimentum consanguinitatis, vellet ducere consanguineam uxoris suæ in tertio gradu, S. Congregatio respondit : *Non posse contrahere, obstante illi tum impedimento publicæ honestatis, tum affinitatis.*

In praxi itaque pro his casibus in tertio et quarto gradu esset petenda dispensatio ab utroque impedimento : utrumque autem satis exponitur declarando Matrimonium putativum fuisse consummatum. Cfr. Carrière, n. 837.

Nota, quod quis duplicem affinitatem habere possit cum eadem persona, ut si fornicatus fuit cum ejusdem sorore et consobrina : utraque esset exprimenda in petenda dispensatione, uti videbimus suo loco.

Similiter si v. g. uxor habeat multiplicem cognationem cum sua consanguinea, vir multiplicem affinitatem cum eadem contrahere videtur.

Quo jure affinitas dirimit Matrimonium ?

Quo jure dirimit affinitas.

R. 1°. Certum est affinitatem dirimere Matrimonium jure ecclesiastico, ut patet ex canonibus supra allegatis.

2°. Quod jus naturale attinet, existit dubium circa affinitatem primi gradus lineæ rectæ ex copula matrimoniali, ut inter socrum et generum, vitricum et privignam. Aliqui enim putant, hoc impedimentum esse juris naturæ, ideo quod illi ad invicem sunt ad instar prolium et parentum, ex quo oritur quoddam debitum reverentiæ et honorificentiæ, cui contraria est turpitudinis revelatio ; ut in simili dictum est de consanguinitate primi gradus lineæ rectæ.

Alii tamen communius et probabilius tenent, nequidem in primo gradu lineæ rectæ affinitatem jure naturæ irritare Matrimonium. Cfr. Sanchez, lib. 7, disp. 66. Reverentia enim affinibus primi gradus lineæ rectæ debita, multo minor est ea, quæ debetur parentibus naturalibus, adeoque nil probat propter illam reverentiam irritum esse Matrimonium, sed tantum passim esse illicitum, et merito ab Ecclesia irritari. Pro hac sententia allegari solent tria Concilia Provincialia sæculi VI : Agathense, can. 61, Epaonense, can. 30, et Aurelianense III, can. 10, ubi jubetur hujusmodi conjugia in infidelitate contracta non dissolvi ; ergo censentur jure naturæ valida.

Nec obstat, quod dicit Apostolus, I Cor. V, 1 : *Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec*

inter gentes ; ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Videtur enim loqui de viro, qui patris viventis uxorem habebat, ut colligitur ex II Cor. VII, 12, ubi Apostolus sic habet : *Scripsi vobis, non propter eum, qui fecit injuriam, nec propter eum, qui passus est :* vivebat ergo adhuc pater, qui supponitur injuriam passus. Neque alias dici potuisset talem rem non audiri inter gentes, siquidem mos erat apud Persas, ut filius, mortuo patre, duceret novercam, etsi pleræque gentes talia Matrimonia detestarentur ut illicita.

Interim in primo gradu lineæ rectæ ex copula matrimoniali Ecclesia nullibi legitur dispensasse ; et testatur Benedictus XIV, *De Synodo,* lib. 9, cap. 13, n. 4, Pontifices, licet sæpius rogatos, a dispensando semper abstinuisse.

Quoad reliquos casus affinitatis, vix aliqua esse potest controversia. Licet enim quidam auctores, ex illis qui sustinent affinitatem ex copula conjugali irritare jure naturæ Matrimonium in linea recta, illud extendant in infinitum, communius tamen restringunt ad primum gradum. Communius quoque nec in primo gradu impedimentum juris naturæ agnoscunt, si affinitas oriatur ex copula fornicaria : tum quia ex illa non solet nasci tanta reverentia inter affines; tum quia noscitur in eo casu sæpe Sanctam Sedem dispensasse.

Quoad affinitatem in linea collaterali, sive ex copula conjugali, sive ex fornicaria, certum est, illam in nullo gradu dirimere Matrimonium jure naturæ. Unde et tempore legis naturæ Jacob duxit duas sorores, Liam et Rachelem; et sub lege veteri, Deut. XXV, statuitur, ut frater uxorem fratris sui sine liberis defuncti accipiat; et sub Lege Nova frequenter in hac affinitate dispensatur.

Nec obstat, quod Marc. VI, 18, Joannes Baptista dicat Herodi : *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Etenim S. Hieronymus, *In cap. XIV Matth.,* et Josephus, *Antiquitatum,* lib. 14, cap. 9, dicunt, quod Herodias esset uxor Philippi, fratris adhuc viventis, adeoque mirum non est, quod Herodi eam habere non liceret. Quod si supponatur cum S. Chrysostomo, *Hom. 49 in Matth.,* Philippum fratrem Herodis fuisse mortuum ; tunc dicitur, quod equidem Herodes illam ducere non potuerit, quia, tanquam

proselytus erat subjectus legi veteri, juxta quam tunc tantum poterat quis accipere uxorem fratris sui defuncti, quando hic sine liberis defunctus erat. Jam vero Philippus habuerat liberos ex Herodiade, saltem infamem illam saltatricem, quæ caput S. Joannis Baptistæ petiit et obtinuit, ut liquet ex Marc. VI, 22.

Hinc patet, quam immerito Henricus VIII, Angliæ rex, Catharinam Arragoniam, Arthuri fratris sui viduam, quam ex dispensatione Julii II duxerat, repudiaverit, ut duceret Annam de Bolen, sub prætextu quod Pontifex cum ipso dispensare non potuerit in primo gradu affinitatis collateralis. Verum nequidem existebat affinitas, sed tantum publica honestas; constat enim Matrimonium Arthuri non fuisse consummatum. Hæc tamen est origo schismatis Anglicani.

Cum affinitas dirimat Matrimonium jure ecclesiastico tantum, etiam probabilius in primo gradu lineæ rectæ, sequitur, copulam carnalem inter infideles non irritare Matrimonium ab uno cum alterius consanguineis in infidelitate contractum. Sed quæstio est,

An copula carnalis inter infideles habita, inducat impedimentum post Baptismum, et irritet Matrimonium tunc contrahendum?

R. 1°. Si de copula matrimoniali agatur, satis certa et communis est sententia affirmans. Ita Sanchez, Schmalzgrueber etc. Ratio est, quod tale commercium, non secus ac consanguinitas, inducit naturalem propinquitatem et vinculum perpetuum; quod cum naturale sit et perpetuum, subsistit etiam inter infideles et perseverat post Baptismum; adeoque tunc effectum impediendi et irritandi Matrimonium producit. Confirmatur ex cap. fin., *De divortiis*, lib. 4 Decretal., ubi Innocentius III declarat, conversos ad fidem non posse ducere viduas fratrum suorum. Quid facit copula habita inter infideles,

2°. Si agatur de copula extramatrimoniali, non ita convenit inter auctores. Sanchez cum aliis negat ex illa oriri affinitatem inter infideles, adeoque impedimentum post Baptismum; quia copula fornicaria non tam parit vinculum amicitiæ cum mutuis consanguineis, quam potius aversionem.

Carrière vero, n. 848, cum Schmalzgrueber, Kugler,

etc., sententiam affirmativam probabiliorem habet. Ratio est quod subsistat in eo casu præcipuum affinitatis fundamentum, quod nempe ii qui carnale commercium habent, fiant una caro.

aut inter fidelem et infidelem.

In casu autem commercii illiciti inter fidelem et infidelem, fidelis quidem contrahit affinitatem et impedimentum cum consanguineis infidelis, si sint fideles statim, si sint infideles quando baptizantur : ita ipse Sanchez, fundans se in consuetudine Ecclesiæ sic legem affinitatis interpretante. Infidelis autem, juxta Sanchez, neque impedimentum neque affinitatem contrahit cum consanguineis fidelis, quia tempore quo erat contrahenda, non subjacebat legibus Ecclesiæ; juxta Carrière vero, contrahit cum ipsis affinitatem, quæ post Baptisma dirimeret Matrimonium.

De affinitate quæ Matrimonio contracto supervenit, vide dicta N. 46. ← Gury 812; 6°; 7°; 8°.

Observandum pro impedimento affinitatis, quod vi Clementinæ unicæ, *De consanguinitate et affinitate,* scienter cum hoc impedimento contrahentes, ipso facto excommunicationem incurrebant, sed quæ post Const. Pii PP. IX, Apostolicæ Sedis, non amplius est latæ sententiæ.

N. 80. De impedimento publicæ honestatis.

Quid est impedimentum publicæ honestatis ?

Publica honestas ex duplici causa oritur;

R. Est impedimentum proveniens ex Sponsalibus, vel Matrimonio rato tantum, et dirimens Matrimonium unius cum consanguineis alterius.

Est juris ecclesiastici tantum, et introductum fuit propter propinquitatem, quam quis per Sponsalia aut Matrimonium ratum contrahit cum compartis consanguineis, ratione cujus honestas publica exigit, ut cum eisdem Matrimonium non contrahat.

dirimit Matrimonium cum alterius consanguineis,

Notandum 1°. quod hoc impedimentum non contrahitur cum alterius affinibus, aut cognatis spiritualibus vel legalibus, sed tantum cum consanguineis seu cognatis carnalibus, sive legitimis sive illegitimis; nam eo attingi

consanguineos etiam illegitimos, est certissimum, ait Sanchez.

Notandum 2°. quod semel contractum hoc impedimentum perpetuo manet, seu non cessat, cessante causa quæ illud produxit, solutis nempe Sponsalibus, aut Matrimonio. Ita, quoad Sponsalia mutuo consensu soluta, de quibus majus erat dubium, post maturam deliberationem definivit S. Congregatio Concilii, 6 Julii 1658, ejusque decisionem confirmavit Alexander VII, prout testatur Fagnanus, *Comment.* ad cap. *Ad audientiam, De Sponsalibus et Matrimoniis.* Ratio est, quod propinquitas propter quam inductum est impedimentum, de se sit perpetua, nec cesset cum Sponsalibus aut Matrimonio, adeoque postulet impedimentum perpetuum. et est impedimentum perpetuum.

Duplex hujus impedimenti fons est, ut ex dictis liquet, Sponsalia nimirum, et Matrimonium ratum. Cum autem oriri possit tam ex invalido quam ex valido Matrimonio, tres distinctæ quæstiones exurgunt.

Quæstio 1. *Ex quibus Sponsalibus oritur impedimentum publicæ honestatis, et ad quas personas se extendit?*

R. Oritur tantum ex Sponsalibus proprie dictis, absolutis simul et validis; et sese non extendit ultra primum gradum. Habetur 1°. ex Sponsalibus validis et absolutis in primo gradu tantum.

Ante Concilium Tridentinum oriebatur etiam ex Sponsalibus invalidis, ut constat ex cap. unico, *De Sponsalibus et Matrimoniis* in 6, et sese extendebat usque ad quartum gradum. A Tridentino autem ita restrictum fuit, Sess. XXIV, cap. III, *De reformatione Matrimonii: Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.*

Inde deducuntur sequentia :

1°. Cum intelligantur Sponsalia proprie dicta, non exurgit hoc impedimentum, si quis promittat Matrimonium mulieri non repromittenti, aut uni ex pluribus indeterminate, etiamsi illæ repromittant. Conclusiones.

2°. Cum Sponsalia debeant esse *absoluta*, ut patet ex cit. cap. unico, *De Sponsalibus et Matrimoniis* in 6, ubi Bonifacius VIII dicit impedimentum nasci *ex Sponsalibus*

puris et certis ; hinc Sponsalia sub conditione suspensiva non inducunt hoc impedimentum, nisi dum, purificata conditione, transeunt in absoluta. Unde, si ante purificationem conditionis quis a Sponsalibus resiliat, non contrahit impedimentum : similiter Matrimonium, quod quis ante conditionis suspensivæ adimpletionem cum sorore mulieris sibi desponsatæ contraheret, esset validum. Secus dicendum, si conditio apposita fuisset non suspensiva, sed resolutoria. Cfr. N. 6.

3°. Cum hoc impedimentum restrictum sit ad primum gradum, sequitur, sponsum illud contrahere tantum cum matre et filiabus sponsæ, quasi in linea recta ; et cum sororibus sponsæ, quasi in linea transversa : non autem cum avia, nepte, amita, etc. sponsæ. Eodem modo sponsa illud contrahit cum patre, filiis et fratribus sponsi ; non ultra.

4°. Tandem impedimentum hoc non oritur ex Sponsalibus quacumque ratione invalidis, sive ob defectum consensus, sive ob quodcumque impedimentum irritans Sponsalia. Nec requiritur, ut vult Sanchez, Sponsalia exterius esse invalida ; sed sufficit eadem interne tantum et coram Deo esse invalida ; quia Tridentinum, loc. cit., generaliter dicit : *Quacumque ratione valida non erunt.* Vide Collet, *Traité des dispenses.*

Ex Sponsalibus clandestinis, utpote validis, oritur impedimentum. Ita sæpe declaravit S. Congregatio Concilii, ut videre est apud Benedictum XIV, *Institutione* 46, n. 12.

Observavimus N. 22, quod parochus, et idem dic de confessario, desponsandum cum una, quæ habet sorores nubiles, merito interroget circa hoc impedimentum, utrum nempe cum alia ex sororibus aliquando locutus non fuerit de Matrimonio contrahendo, cum illa contrahere promiserit, etc.

Quæstio 2. *Inter quas personas oritur impedimentum publicæ honestatis ex Matrimonio rato non consummato ?*

Habetur 2°. ex Matrimonio rato non consummato,

R. Uterque sic Matrimonio junctorum contrahit hoc impedimentum dirimens cum consanguineis alterius usque ad quartum gradum. Ita enim declaravit anno 1568, S. Pius V, Constit. Ad romanum, infra citanda.

S. Thomas, Supplem. quæst. 55, art. 4, ad 2, vinculum

ex Matrimonio rato non consummato exurgens, *affinitatem* vocat; ita etiam vocari solet a Dataria Romana; sed improprie, cum proprie dicta affinitas oriatur tantum ex copula carnali. Unde præstat, juxta communiorem usum, vocare publicam honestatem, licet vinculum ex Matrimonio rato arctius sit, quam ex Sponsalibus.

Quæstio 3. *An et inter quos idem impedimentum habetur, si Matrimonium ratum sit invalidum?*

R. Affirmative, nisi Matrimonium invalidum sit ex defectu consensus; et extenditur etiam usque ad quartum gradum inclusive.

etiamsi Matrimonium sit invalidum, et usque ad quartum gradum,

Probari potest ex cap. unico, *De Sponsalibus et Matrimoniis* in 6, ubi sic loquitur Bonifacius VIII: *Ex Sponsalibus puris et certis, etiamsi consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, religionis, aut alia quavis ratione sint nulla, dummodo non sint nulla ex defectu consensus, oritur efficax ad impediendum et dirimendum sequentia Sponsalia vel Matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum, impedimentum justitiæ publicæ honestatis.*

Quamvis enim expresse ibi agatur de Sponsalibus, communiter tamen judicatum fuit, eadem et a fortiori quidem, Matrimonio rato applicanda esse. Ergo vi hujus capitis, ex Matrimonio, etiam invalido, modo invalidum non sit ob defectum consensus, oritur impedimentum.

Jam vero Concilium Tridentinum tollendo impedimentum, quod oriebatur ex Sponsalibus invalidis, nullam fecit mentionem illius, quod oritur ex Matrimonio invalido: ergo illud etiamnum perseverat, atque etiamnum dirimit usque ad quartum gradum inclusive, non secus ac ante Concilium.

Utrumque manifeste sequitur ex declaratione S. Pii V, in Constit. Ad romanum, ubi sic loquitur: *Motu proprio, auctoritate apostolica, tenore præsentium declaramus et definimus, decretum Concilii hujusmodi omnino intelligendum esse, et procedere in Sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in Matrimonio, sic ut præfertur contracto* (verbis de præsenti conceptis). *Sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus et gradibus, quibus de jure veteri ante prædictum decretum Concilii introductum erat.* Jure veteri autem dirimebat usque ad quartum gradum, ergo etiam nunc dirimit.

Confirmatur ex decisione S. Congregationis Concilii, 3 Decemb. 1667, relata apud Zamboni, verbo *Matrimonium*, § 14.

Dictum est, nisi Matrimonium invalidum sit ex defectu consensus : hinc quæritur,

Quandonam Matrimonium censeatur invalidum defectu consensus, ita ut non inducat hoc impedimentum?

nisi invalidum sit ex defectu consensus.

R. 1°. Quando alteruter contrahentium consensum naturalem de se sufficientem non præstat, veluti si ficte consentiat, etsi fictio sit mere interna; aut cum errore substantiali circa personam; aut sit amens, infans, ebrius, etc.

2°. Si quis ex metu gravi Matrimonium irritante contrahat; licet enim cum tali metu adesse possit verus consensus, juris tamen præsumptione tunc deesse censetur.

3°. Disputatur, si quis mala fide cum impedimento dirimente Matrimonium attentet, sciens illud esse nullum. Quæstio pendet ab eo, an cum hac mala fide consistat verus consensus de se sufficiens, de quo vide supra, N. 66.

Matrimonium ob clandestinitatem nullum, juxta Sanchez aliosque, non inducit impedimentum, quia deest consensus in forma ab Ecclesia requisita ; sed contraria sententia verior est, et in praxi omnino tenenda, cum clandestine contrahens non minus in Matrimonium consentire dicendus sit, quam ligatus v. g. voto solemni. Pro hac sententia profert S. Alphonsus de Ligorio, n. 1064, declarationem S. Congregationis Concilii. Hinc in praxi tenendum, impedimentum oriri ex matrimonio civiliter tantum contracto sine animo coram Ecclesia contrahendi, quod tunc vere est Matrimonium clandestinum.

An hoc impedimentum habetur respectu personæ quacum antea Sponsalia valide sunt contracta?

Non obtinet respectu prioris sponsæ.

Casus est : Joannes contraxit Sponsalia valida et absoluta cum Anna, postea attentat Matrimonium cum Catharina sorore Annæ, non tamen consummat; quæritur, an Joannes ex illo Matrimonio invalido contrahat impedimentum cum Anna ?

R. Cum Sanchez, Bosco, Collet, S. Alphonso de Ligorio, loc. cit., et communi sententia, negative.

Probatur ex cap. unico, *De Sponsalibus et Matrimoniis* in 6, supra citato, ubi hæc exceptio clare ponitur. Quamvis autem ibi expresse agatur de impedimento ex

Sponsalibus, communis doctorum interpretatio, ut jam animadvertimus, illud caput ad impedimentum ex Matrimonio rato etiam invalido extendit.

Cæterum, ut observat Sanchez, licet Joannes, in casu, valide possit Matrimonium cum Anna contrahere, hoc tamen non poterit cum ulla alia Catharinæ consanguinea intra quartum gradum; imo nec cum ipsa Anna, si Sponsalia cum ea dissoluta fuerint ante attentationem Matrimonii cum Catharina.

Nota. Sanchez, disp. 65, n. 5, censet, Matrimonium infidelium validum et non consummatum etiam parere naturale vinculum, inter unum et alterius consanguineos, quod post Baptisma produceret impedimentum publicæ honestatis cum eisdem. Negat vero idem dicendum esse de infidelium Sponsalibus, aut Matrimonio invalido ex quocumque defectu.

N. 81. De impedimento criminis.

S. Thom., Supplem. quæst. 60, art. 2.

Quid est impedimentum criminis?

R. Est impedimentum Matrimonium dirimens, quod provenit ex adulterio, vel homicidio, vel utroque simul, junctis certis circumstantiis. Impedimentum criminis

Igitur duo sunt crimina, adulterium et homicidium, ex quibus hoc impedimentum exurgere potest, et quidem triplici modo; scilicet:

1°. Ex solo adulterio, quando illi jungitur promissio Matrimonii acceptata, vel Matrimonii attentatio.

2°. Ex solo homicidio conjugis, causato ex machinatione alterius conjugis cum tertia persona,

3°. Ex adulterio, si subsequatur homicidium conjugis, procuratum ab alterutro adulterorum.

Singulos casus singillatim in sequentibus numeris expendemus.

Quo jure impedimentum criminis dirimit Matrimonium?

R. Jure ecclesiastico, ut constat ex tit. *De eo qui duxit in Matrimonium quam polluit adulterio*, lib. 4 Decretal.; dirimit solo jure

ecclesiastico, item ex tit. *De conversione infidelium*, lib. 3 Decretal.; tum etiam ex decreto Gratiani, causa 31, quæst. 1, can. 5.

Provide hoc impedimentum ab Ecclesia statutum fuit, ne scelesti, spe transeundi ad alias nuptias, aut alterius conjugi nubendi, ansam sumant adulterandi vel conjugem occidendi; partim etiam in pœnam istorum criminum.

Perinde est sive crimen a viro sive a muliere perpetretur, cum in citatis textibus uterque comprehendatur, et par sit ratio utriusque. Unde quod de viro dicetur in sequentibus, intelligi etiam debet de muliere, et vice versa.

Nota. Cum hoc impedimentum sit juris ecclesiastici tantum, patet illud non fuisse inter Davidem et Bethsabeam, licet ipse cum ea adulterium commiserit, ejusque virum Uriam curaverit interfici. Patet etiam nunc locum non habere inter infideles. Sed quæstio est :

An impedimentum contrahitur, dum crimen fuit commissum inter fidelem et infidelem ; item dum unum requisitum positum fuit quando ambo erant infideles, alterum vero post susceptum Baptisma ?

etiam si crimen commissum sit inter fidelem et infidelem,

R. ad 1. Affirmative, quia fidelis potest hoc impedimento ligari, et reddi ad contrahendum inhabilis : una autem parte inhabili, nequit existere Matrimonium. Ita colligitur ex cap. *Laudabilem, De conversione infidelium*, ubi Cœlestinus III dicit, mulieres christianas non posse nubere viris Saracenis, qui ad istarum mulierum sollicitationem, earumdem viros occiderant, et postea ad fidem conversi fuerant. Excipiunt quidam casum, quo homicidium commissum fuit ex solius infidelis machinatione.

non vero si unum requisitum ab utroque adhuc infideli sit positum.

R. ad 2. Per se videtur negandum cum Sanchez, eo quod neutrum requisitum seorsum ab Ecclesia hac pœna puniatur, sed tantum utrumque simul, seu ipsum complexum : adeoque saltem alterutra pars debet utrumque crimen commisisse post Baptismum, cum antea commissum puniri ab Ecclesia non possit.

Hinc non videtur subsistere impedimentum si adulterium sit commissum ante Baptismum utriusque, et data sit promissio Matrimonii, vel conjugicidium patratum, post Baptismum. Interim non expediret, ut parochus proprio judicio ad Matrimonium similium procederet.

Dictum est *per se*, quia si promissio Matrimonii, facta ante Baptismum, post illum ratificetur, vel ex circumstantiis significent delinquentes sese in ista promissione perseverare, et dein adulterentur, impedimentum subsistit, quia sic æquivalenter promissio post Baptismum facta est.

N. 82. Quando oriatur impedimentum ex adulterio sine homicidio.

Duo sunt casus in quibus ex adulterio sine homicidio impedimentum exurgit inter adulterantes : Duplex casus.

Primus est, dum inter adulterum et adulteram, ante vel post adulterium, sed durante Matrimonio, adeoque vivente alterutrius conjuge, promissio facta et acceptata est de contrahendo inter se Matrimonio ; ut si herus cum ancilla adulteretur, et promittat eam ducere v. g. post mortem uxoris suæ ægrotantis.

Secundus casus est, dum adulter et adultera, sive ante sive post adulterium, vivente alterutrius conjuge, attentant inter se Matrimonium. Hoc itaque impedimento ligatur qui, v. g. inito civili divortio, et relicta legitima uxore, quam in Domino duxerat, cum alia civile matrimonium init, eique maritaliter cohabitat.

Uterque casus habetur variis capitulis tit. *De eo qui duxit in Matrimonium quam polluit adulterio*, signanter cap. *Ex litterarum* et cap. *Si quis*, lib. 4 Decretal.

Quale in his casibus debet esse adulterium, ut impedimentum subsistat ?

R. Debet esse adulterium *verum, formale* et *perfectum*. Requiritur adulterium verum,

1°. *Verum*, id est, non mere putativum, sed a parte rei vere subsistens : unde non inducitur impedimentum, si Matrimonium non vere subsistat : sufficit autem Matrimonium ratum, licet non consummatum.

2°. *Formale* ex parte utriusque, ita ut uterque sciverit alterutrum esse Matrimonio junctum. Unde si conjugatus sub promissione Matrimonii cognoscat puellam Matrimonii existentis ignaram, impedimentum inter ipsos non subsistit, quia non est adulterium formale ex parte puellæ. Ita colligitur ex cap. *Propositum* et cap. *Veniens*, tit. cit. formale,

Imo ex communi interpretatione doctorum contra paucos, requiritur, ut adulterium sit formaliter injuriosum ex parte utriusque erga eumdem conjugem : unde si uterque esset Matrimonio junctus sed ambo ignorarent complicis Matrimonium, dum committitur adulterium, non subsisteret impedimentum. Cfr. Carrière, n. 712.

perfectum,

3°. *Perfectum*, seu in sua specie consummatum, quia cum sit materia pœnalis, est strictæ interpretationis.

Hinc dicit S. Alphonsus de Ligorio, n. 1036, cum communi contra Reiffenstuel, Collet etc., quod si vir non seminet in vase muliebri, non incurritur impedimentum.

Qualis debet esse promissio, in primo impedimenti casu requisita ?

cum promissione acceptata,

R. 1°. Debet esse promissio externa unius *acceptata* ab altera parte; alias enim non esset vera et perfecta promissio. Unde non exurgit impedimentum, si altera pars mere negative se teneat, ut dicit S. Alphonsus de Ligorio, n. 1057; a fortiori si rejiciat. Si taceat, res dubia est: alii enim dicunt materiam esse favorabilem, adeoque silentium pro consensu habendum; alii e contra dicunt rem odiosam potius esse, cum consentiens incurrat pœnam ecclesiasticam, adeoque silentium habendum esse pro dissensu. In foro conscientiæ attendendum esset ad circumstantias et internam hominis dispositionem atque intentionem.

Probabilius autem et communius non requirunt, ut promissio sit mutua, sicut in Sponsalibus : nulla enim fit mentio in jure de repromissione, sed tantum de fide data.

seria,

2°. Debet esse *seria*, non tantum externe sed etiam interne : unde promissio ficta probabilius non sufficit ; quia cum materia sit odiosa, stricta facienda est interpretatio. Ita S. Alphonsus de Ligorio, n. 1039, contra Sanchez et alios, qui putant sufficere fictam promissionem, modo fictio exterius non appareat. Certe non sufficiunt verba quæ non promissionem, sed desiderium aut propositum tantum continent, ut hæc : *Ducerem te si non essem junctus.*

absoluta,

3°. Similiter, secundum S. Alphonsum de Ligorio, n. 1040, probabilius debet esse promissio *absoluta* ; iterum quia cum simus in odiosis, lex stricte interpretanda est.

Unde non sufficit promissio conditionata, nisi forte, conditione purificata ante mortem conjugis, transeat in absolutam.

Conditio vero, *si conjux moriatur*, non eximit a pœna; cum regulariter adsit aut subintelligatur in casu.

4°. Requiritur, ut tum promissio tum adulterium contingant, stante sive durante eodem conjugio, seu ut simul violent fidem eidem conjugi debitam; perinde vero est sive promissio præcedat adulterium, sive subsequatur. stante conjugio facta,

Unde sequitur 1°. non oriri impedimentum, si promissio adulterio tantum accedat post mortem conjugis; neque, si prius facta, fuerit ante adulterium retractata. Si autem retractata tantum fuerit post adulterium, remanet impedimentum, cum tunc jam ante retractationem fuerit contractum.

Sequitur 2°. non oriri impedimentum, si promissio facta fuerit vivente primo conjuge, et adulterium, vivente secundo; vel vice versa: ratio, quia utraque injuria tunc non est illata eidem conjugi. Contrarium tamen sentire videtur Carrière, *Compendii* n. 184, citans Compans, pro casu quo præcessit adulterium.

Qualis requiritur Matrimonii attentatio, ut in secundo casu oriatur impedimentum?

R. Requiritur 1°. ut adulteri vere et serio dent mutuo consensum conjugalem per verba de præsenti, sive publice, sive clandestine. Si quidem promissio Matrimonii de futuro sufficit ad inducendum impedimentum, non mirum si consensus de præsenti idem operetur. Perinde vero est sive Matrimonii attentatio præcedat adulterium, sive sequatur; modo utrumque fiat, vivente eodem alterutrius legitimo conjuge. aut cum attentatione Matrimonii,

Requiritur 2°. ut, quando Matrimonium attentatur, sicuti dum adulterium patratur, uterque conscius sit alterutrum esse Matrimonio junctum. Unde si v. g. puella cum alterius marito adulteretur, et postea cum eodem contrahat, quia bona fide credit, ipsius uxorem modo defunctam esse, non habetur impedimentum. utrimque formaliter injuriosa conjugi.

N. 83. Quandonam oriatur impedimentum ex homicidio sine adulterio.

Quænam requiruntur, ut homicidium sine adulterio inducat impedimentum dirimens inter virum et mulierem ?

Requiritur mors

R. Requiritur 1°. ut mors conjugi alterutrius reipsa fuerit illata.

ex machinatione utriusque,

Requiritur 2°. ut mors secuta sit ex machinatione utriusque ; ita ut uterque in illam vere influxerit, vel per se vel per alium, physice aut moraliter, mandato, consilio, consensu etc. Ita ex cap. *Laudabilem, De conversione infidelium,* lib. 3 Decretal.

3°. Disputatur, an requiratur saltem in alterutro intentio contrahendi Matrimonium cum complice.

Hinc sequitur :

1°. Non esse impedimentum, si mors quidem attentata fuerit, v. g. per inflictionem vulneris lethalis, aut porrectionem veneni, sed reipsa secuta non fuerit.

2°. Non esse impedimentum, si mors non sequatur ex machinatione, v. g. ex vulnere inflicto, sed ex imperitia medici, aut chirurgi etc.

3°. Non esse impedimentum si unus, absque alterius consensu, aut quavis cooperatione, conjugem occidat, etiamsi alter postea crimen ratificet : sola enim ratihabitio non est machinatio proprie dicta, nec influere potest in mortem.

An requiritur, ut machinantes mortem conjugis procurent ex intentione vel spe inter se ineundi Matrimonium ?

et probabilius cum intentione Matrimonium ineundi.

R. Negant Cajetanus, Sylvius, Pauwels aliique, eo quod nec cap. *Laudabilem,* nec alii textus juris illam intentionem requirant.

Sanchez vero, Bonacina, Neesen, Collet et alii communissime, ut dicit S. Alphonsus de Ligorio, n. 1033, affirmant ; quia lex lata est, ne quis spe Matrimonii propriam vel alienam compartem occidat ; adeoque illam intentionem supponit, licet eam non exprimat.

Inter patronos hujus sententiæ aliqui requirunt, ut illa intentio habeatur ex parte utriusque machinantis ;

communius vero et probabilius cum Sanchez dicunt cæteri, sufficere ut adsit ex parte unius ; addunt tamen non pauci, requiri ut hæc intentio alteri manifestetur.

De hac manifestatione ait S. Alphonsus de Ligorio, n. 1034 : « Mihi probabilius dicendum videtur : Si occi» sionem præcesserint sufficientia indicia intentionis, puta » munera, familiaritates, epistolæ amatoriæ, et similia in» ter eos qui contrahere volunt, tunc incurritur impedi» mentum : secus si intentio remanserit omnino interna ; » tunc enim Ecclesia nequit punire homicidium ex tali » intentione factum, si nullum de ea indicium præcesse» rit. »

Alii e contra, ut Reiffenstuel, istam rationem non probant, et ideo præfatam manifestationem non putant necessariam. In foro autem externo passim intentio contrahendi præsumitur, quando duo ex communi machinatione conjugem occidunt, et postea Matrimonium inter se contrahere volunt. Cfr. Sanchez, disp. 78, n. 19.

N. 84. Quandonam impedimentum oriatur ex adulterio et homicidio simul.

Quænam requiruntur, ut impedimentum criminis oriatur inter virum et mulierem ex adulterio et homicidio simul?

R. Requiritur 1°. ut simul commiserint adulterium verum, formale et perfectum, prout supra N. 82 explicatum fuit ; et quidem vivente eodem conjuge qui postea occisus fuit. Requiritur adulterium

Requiritur 2°. ut mors conjugis ex unius aut alterius machinatione seu facto, mandato, consilio, reipsa secuta fuerit. et homicidium

Verosimiliter requiritur 3°. ut occidens intentionem habuerit ineundi Matrimonium cum complice adulterii. Non autem requiritur in hoc casu promissio Matrimonii, nec machinatio utriusque. et verosimiliter intentio contrahendi.

De hoc impedimento vide cap. *Super hoc* et cap. *Significasti, De eo qui duxit,* lib. 4 Decretal.

Ex dictis sequitur : impedimentum non oriri, si puella adulterando ignoraverit, virum esse Matrimonio junctum;

neque si vir, vivente prima conjuge adulteratus, secundam, quam priore defuncta duxit, occidat, ut cum adultera Matrimonium ineat ; neque probabilius si vir mortem uxori inferat ex ira, absque intentione ineundi Matrimonium cum muliere ista quacum antea adulterium commisit.

Cum adulterium committi debeat, vivente conjuge qui occiditur, debet necessario præire homicidio; fieri tamen potest, ut præcedat machinatio homicidii : ita si herus intendens contrahere cum ancilla, uxori suæ venenum propinet, et, ea adhuc vivente, adulteretur cum ancilla, cum hac contrahitur impedimentum, si uxor ex dato veneno moriatur.

Possunt plura simul adesse impedimenta ex crimine.

Nota, quod plura impedimenta hic simul consistere possint, quæ omnia forent exprimenda, ubi esset petenda dispensatio. Ita si duo conjugati, data sibi Matrimonii fide, adulterentur, erit duplex adulterium, inducens duplex impedimentum : si insuper unus occidat conjugem, erit novum impedimentum ; quod si ex utriusque machinatione hoc factum sit, adhuc aliud accedit impedimentum : unde omnes istæ circumstantiæ essent distincte exprimendæ.

Adverte etiam pro praxi, personas quasdam circa impedimentum criminis speciatim interrogandas esse ; ut si herus cum famula, aut hera cum famulo, brevi post mortem conjugis, jungi cupiant. Prudenter nempe petendum est, qua de causa tam cito post mortem conjugis velint conjungi ; an sat mature et sat diu deliberaverint ; an de eo jam cogitaverint aut locuti fuerint ante illius mortem ; an fides data, familiaritas habita etc. Sic aliquando etiam interrogandi sunt de machinatione in mortem conjugis. Ut facilius veritatem aperiant, simul damnabilis status in quo versarentur, si cum impedimento contraherent, ipsis manifestandus est, et spes insinuanda de dispensatione, facile et secrete, absque ullo famæ periculo, obtinenda.

Opportunam interrogandi occasionem quandoque præbent rumores de impedimento in parochia sparsi; tunc enim directe peti potest, an revera subsit, ut quidam suspicantur.

N. 85. De impedimento raptus.

Quid est raptus, prout est impedimentum dirimens Matrimonii, et quo jure fuit introductum?

R. ad 1. Est violenta abductio aut detentio mulieris sub potestate alterius, causa Matrimonium cum ea ineundi. Raptus mulieris causa Matrimonii

Dicitur *abductio* vel *detentio:* communiter quidem dicunt auctores requiri abductionem de loco in locum, sed perinde videtur, sive mulier de loco in locum violenter abducatur, sive in loco violenter detineatur sub potestate viri, v. g. in aliena domo ad quam forte accessit. Ita Billuart, *De temperantia,* diss. 6, art. 4, et Carrière, n. 906. Alii tamen impedimentum raptus in casu violentæ detentionis non admittunt, nisi quando mulier per dolum fuerit vocata ad locum detentionis. Vide cl. Feije, n. 111.

Additur *violenta,* nempe quæ fit per vim physicam, vel per vim moralem, puta per minas, metum gravem etc. Oportet autem, ut violentia inferatur ipsi mulieri; unde vis illata parentibus aut tutoribus non sufficit. Neque exurgit impedimentum, si mulier blanditiis, importunis precibus, aut falsis promissionibus allecta, sponte sequatur.

Perinde est, sive raptor per se sive per alium violenter mulierem abducat, aut detineat; ita si famulus rapiat puellam domino suo ex hujus mandato, dominus contrahit impedimentum, non famulus.

Perinde quoque est, sive rapta sit virgo, vidua, corrupta, infamis, meretrix etc.

Dubitatur autem an súbsistat impedimentum, si vir in mulierem jus habeat ex antecedentibus Sponsalibus: alii affirmant cum Sanchez, quia injustitia infertur mulieri, dum sic ad Matrimonium cogitur; alii negant, inter quos Kugler et Card. Soglia, citans S. Thomam; quia licet sponsus peccet, propter jus tamen quod habet in sponsam, excusatur a crimine raptus, nisi mulier justam haberet causam rescindendi Sponsalia.

R. ad 2. Hoc impedimentum introductum, vel ut Tournelio videtur, renovatum est a Concilio Tridentino, Sess. XXIV, cap. VI, *De reformatione Matrimonii,* his illud dirimit vi legis Tridentinæ

verbis: *Decernit sancta Synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quod si rapta a raptore sit separata, et in loco tuto et libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat.* Idipsum exprimitur hoc versiculo :

Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.

Ita vero statutum fuit, ut plenæ libertati Matrimonii consulatur, et obvietur gravibus malis, quæ ex Matrimoniis coactis nata sunt sequi.

Notandum tamen, hoc impedimentum non esse confundendum cum impedimento vis, si quidem inter raptam et raptorem subsistere Matrimonium nequeat, etsi mulier sponte et libere consentiat, quamdiu ipsa non fuit constituta in loco tuto et libero.

An raptus viri sub hoc impedimento comprehenditur ?

probabilius non raptus viri,

R. Raptum viri comprehendi volunt Boeckhn, Continuator Tournely, Steyaert in supplem., Carrière etc.

Probabilior autem et communior est sententia negativa; quia Tridentinum personam raptam constanter vocat *mulierem, uxorem;* et dicit eam debere *dotari*, quod viro non convenit. Jam vero lex ultra casus expressos, seu terminis legis comprehensos, extendi non debet, præsertim ad extraordinarios, qualis est raptus viri.

Neque in viris militat eadem ratio ac in fœminis, quarum, utpote infirmiorum, libertati consultum specialiter voluit Tridentinum.

An raptus mulieris, non Matrimonii ineundi, sed explendæ libidinis causa patratus, est impedimentum Matrimonii ?

nec raptus mulieris ex sola causa libidinis.

R. Bonacina et Collet affirmant ; sed rectius negant Sanchez, Neesen, Billuart etc., eo quod ratio legis fuerit consulere libertati Matrimonii, cui non repugnat raptus solius libidinis explendæ causa. Pro hac sententia Pyrrhus Corradus, *Praxis dispens. Apost.*, lib. 7, cap. 6, n. 48, aliique adferunt declarationem S. Congregationis Concilii anni 1586. Si tamen rapta causa libidinis, detineatur causa Matrimonii, orietur impedimentum; quia ista detentio violenta æquivalet abductioni.

An raptus seductionis etiam dirimit Matrimonium ?

Raptus seductionis seu subornationis est, quando persona aliqua blanditiis, lenociniis, aut

quocumque alio motivo seducta, invitis illis a quibus pendet, volens sequitur, ut ad locum destinatum ducta.

R. Juxta plerosque hic raptus non inducit impedimentum; quia Concilium Tridentinum per hoc impedimentum præcipue consulere voluit libertati Matrimonii, et hæc non læditur nisi violentia inferatur ipsi personæ raptæ, adeoque non per seductionem, etiam si seducta sit minorennis. Pyrrhus Corradus vero, Collet, aliique contrarium tenent.

Nota tandem, Concilium Tridentinum, ut a crimine raptus efficacius deterreret, præter impedimentum de quo supra, graves pœnas contra raptores constituisse, his verbis: *Raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati; ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces: et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant: teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.* Pœnæ contra raptores.

Excommunicatio illa est latæ sententiæ, sed non reservata. Cfr. Constit. Pii PP. IX Apostolicæ Sedis supra citatam, in qua excommunicationes latæ sententiæ a Concilio Tridentino pronuntiatæ, sive reservatæ sive non, omnes una excepta confirmantur.

Pœnæ præfatæ cadunt super omnes, sive viros, sive mulieres, ad raptum Matrimonii causa patratum concurrentes. Raptus autem in ipsa abductione consummatur: unde pœnas incurrunt, licet rapta nondum sit ad locum destinatum perducta.

N. 86. De impedimento clandestinitatis: ubi et quosnam obliget.

Cum circa impedimentum clandestinitatis multæ difficultates suscitatæ, multa dubia exorta fuerint, ut dilucide omnia proponi et solvi possint, sex distinctis numeris de eo agemus. Postquam nimirum hoc numero per varias quæstiones inquisiverimus, quale sit hoc impedimentum, ubi et quosnam obliget, in sequenti numero specialiter examinabimus an obliget etiam hæreticos; postea dicemus de proprio parocho coram quo contrahendum est

dein numero subsequenti de habitatione parochiali, ratione cujus aliquis parochum proprium habere dicitur; tum definiemus qualis esse debeat præsentia parochi et testium, ad valorem Matrimonii requisita ; ac tandem determinabimus, quando valeant Matrimonia clandestina.

Quæstio 1. *Quid est impedimentum clandestinitatis?*

Impedimentum clandestinitatis

R. Est impedimentum irritans Matrimonia clandestina, id est, sine præsentia parochi et duorum saltem testium contracta: in forma Tridentinor.

Notandum, quod Matrimonium non semper eodem sensu *clandestinum* dictum fuerit. Secundum etymologiam enim est illud quod clanculo contrahitur, ita ut legitime probari nequaquam possit. Dicitur etiam aliquando illud clandestinum, cui deest una ex solemnitatibus ad publicitatem requisitis, quales sunt proclamationes antenuptiales, etc. Hic autem stricte sumitur pro illo solo, cui deest præsentia parochi et duorum saltem testium : unde clandestinum esset Matrimonium, etiamsi post proclamationes et in facie totius populi, sed non coram parocho contraheretur.

Quæstio 2. *Quo jure Matrimonia clandestina sunt irrita?*

introductum a Concilio Tridentino.

R. Solo jure ecclesiastico, introducto per Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, cap. I, *De reformatione Matrimonii*, ubi sic statuit : *Qui aliter, quam præsente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentabunt; eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, et annullat. Insuper parochum, vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero, et testes, qui sine parocho, vel sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, necnon ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit.... Ne vero hæc tam salubria præcepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus præcipit, ut, cum primum potuerint, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum diœcesum parochialibus ecclesiis, idque in primo anno quam sæpissime fiat, deinde vero quoties expedire viderint. Decernit insuper, ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis, in eadem parochia factæ, numerandos.*

Certum est, clandestina Matrimonia jure naturæ irrita non esse, cum ex natura contractus matrimonialis ad valorem ejus sufficiat consensus mutuus et liber : unde Concilium Tridentinum in initio citati capitis declarat : *Clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit ;* illudque negantes anathemate damnat.

Imo jure naturæ non sunt per se prohibita ; sed semper fuerunt prohibita jure ecclesiastico : *Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit,* dicit idem Concilium.

An vero unquam ante Tridentinum Ecclesia illa irritaverit, in ipso Concilio fuit disputatum, ut videre licet in *Historia Concilii Tridentini* conscripta a Pallavicino ; immediate ante Concilium certe non habebantur ut irrita.

Ratio cur Ecclesia illa irritaverit, ab ipso Concilio declaratur, nimirum quod, cum prohibitiones Ecclesiæ, propter hominum inobedientiam, jam non prodessent, voluit lege irritante impedire gravia peccata, quæ ex eisdem clandestinis conjugiis ortum habent ; *præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum, priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt.*

Aliud motivum indicat Benedictus XIV, in Brevi Paucis abhinc, quod sæpe Matrimonio conjuncti ad sacros Ordines pergerent, cui malo mederi nequibant judices, ex defectu probationum.

Nota. Summus Pontifex Pius IX damnavit propositionem : *Tridentina forma sub infirmitatis pœna non obligat ubi lex civilis aliam formam præstituat, et velit hac nova forma interveniente Matrimonium valere.* Syllabi 8 Decemb. 1864 prop. LXXI. Hæc perversa Nuytzii doctrina cohæret cum ejusdem auctoris damnatis principiis de potestate inducendi et abolendi impedimenta Matrimonii dirimentia, quam potestatem Ecclesiæ denegans, imperantibus civilibus tribuit. Recole dicta supra numeris 59 et 60.

Quæstio 3. *Ubinam et quos obligat lex irritans Matrimonia clandestina ?*

R. ad 1. Obligat in omnibus parochiis, in quibus publicata fuit tanquam lex Concilii Tridentini : non obligat in parochiis in quibus sic publicata non fuit,

Obligat lex Tridentina in parochiis ubi

est publicata,

Præsumitur autem publicata ubicumque usu recepta est; ita declaravit S. Congregatio Concilii, 26 Septemb 1602 : *Publicationem præsumi, ubi id decretum fuerit aliquo tempore in parochia tanquam decretum Concilii observatum.* Idem Pius VI Episcopo Lucionensi declarari jussit, 28 Maii 1795.

Dictum est, oportere ut tanquam lex Concilii Tridentini fuerit publicata aut aliquo tempore observata; quia si tantum proclamata aut observata fuit tanquam lex alterius auctoritatis, v. g. Synodi diœcesanæ, aut provincialis, impedimentum non subsistit, ut patet ex iis quæ habet Benedictus XIV, *De Synodo,* lib. 12, cap. 5, n. 7 et seq.

Quod requiratur promulgatio in singulis parochiis, patet ex verbis Concilii supra relatis, ita ut non sufficiat promulgatio facta in Synodo provinciali aut diœcesana. Confirmatur ex sententia S. Congregationis Concilii, apud Fagnanum et Card. Petra.

Lex autem Tridentina promulgata et observata jam diu fuit in parochiis Italiæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Galliæ, Belgii et Hollandiæ, Hiberniæ nunc totius, etsi in aliquibus diœcesibus tantum ab anno 1828; item in variis partibus Germaniæ, signanter in Provinciis Rhenanis, in Bavaria, Austria, Bohemia, Hungaria, etc. Item in Polonia et in partibus catholicis Helvetiæ, atque in ea parte Hanovriæ quæ diœcesim Osnabrugensem efformat. Item in illis partibus Americæ, sive meridionalis sive septentrionalis, quæ olim ditioni Galliæ, Hispaniæ aut Lusitaniæ subjectæ fuerunt; uti in Republica Mexicana et Chiliensi, in Brasilia, in Luisiana etc., sed tantum in parochiis, non autem in missionibus. Cfr. Ill. Kenrick, *Theologia moralis, De Matrimonio,* n. 184.

E contra non fuit promulgata in Anglia, Scotia, Suecia, Norwegia, Dania, Russia, in multis partibus Germaniæ, signanter Pomerania, Saxonia etc., tum in plerisque statibus Americæ septentrionalis etc.

parochianos illarum,

R. ad 2. Obligat 1°. omnes parochianos locorum, in quibus lex Tridentina promulgata, usuque recepta est, eosque inhabiles reddit ad clandestine contrahendum, sive ibidem, sive in aliis locis, etiam ubi Tridentinum non est promulgatum, si in istis domicilium aut quasi-domicilium non acquisiverint; et eatenus lex est personalis, seu ut alii dicunt, parochialis.

Obligat 2°. omnes peregrinos in iisdem locis degentes; eatenus lex localis est, respiciens solemnitatem contractus. Regula autem juris est, quod contractus regantur legibus locorum in quibus ineuntur : *Locus regit actum.* et peregrinos ibi contrahentes.

Circa 1 notandum, quod Sanchez, Pontius aliique, quos citat Benedictus XIV, *Epist. ad Episc. Goanum*, 19 Martii 1758, olim senserunt, legem esse mere localem, adeoque ea neminem ligari, actu versantem in loco ubi Tridentinum decretum non fuit promulgatum, sive quis casu sive in fraudem legis in eo loco consistat. Contrariæ sententiæ rejiciuntur.

Verum in casu fraudis contraria sententia omnino est tenenda, quam in præfata epistola docet laudatus Pontifex, et confirmat Brevi Urbani VIII ad Archiepiscopum Coloniensem, in quo hic Pontifex solemniter approbat sequentes responsiones S. Congregationis Concilii ad illius Archiepiscopi quæstiones : *Quæritur humiliter a sacra Congregatione, an incolæ tam masculi quam fœminæ loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto Matrimonii est promulgatum et acceptatum, transeuntes per locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium valide possint in isto loco Matrimonium sine parocho et testibus contrahere.*

Secundo : Quid si eo prædicti incolæ, tam masculi quam fœminæ, solo animo sine parocho et testibus contrahendi, se transferant, habitationem non mutantes.

Tertio : Quid, si iidem incolæ, tam masculi quam fœminæ, eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque parocho et testibus contrahant.

Hoc autem S. Congregatio dedit responsum, die 5 Septemb. 1626 : *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ad primum et secundum respondit, non esse legitimum Matrimonium inter sic se transferentes et transeuntes cum fraude.*

Ad tertium respondit, nisi domicilium vere transferatur, Matrimonium non esse validum. Vel, ut citatur in Brevi Urbani VIII et apud Benedictum XIV, *Institutione* 33, n. 9 : *Si domicilium vere transferatur, Matrimonium esse validum.* Hoc decretum et Breve confirmatorium Urbani VIII, iterum Apostolicæ auctoritatis robore confirmavit Benedictus XIV in citata epistola.

Cum autem in præfato decreto supponatur fraus intercedere, quidam adhuc putant valere Matrimonium, si

quis, non intentione Matrimonium contrahendi, sed alia de causa, v. g. negotiationis, in loco exempto consistat.

Sed videtur dicendum, etiam tunc Matrimonium invalidum esse, quia ille equidem contrahit in fraudem saltem materialem proprii parochi, coram quo vi legis tenetur contrahere. Præterea si solus locus eum eximeret a lege, sicut eximit domicilium in loco, tunc etiamsi eo transiret sola intentione contrahendi Matrimonium clandestine, dicendum foret, non fraudem sed locum ipsi patrocinari, adeoque etiam hanc intentionem non obstare valori, uti non obstat, quando quis domicilium ea intentione mutat : porro hoc consequens falsum est, ut vidimus ; ergo et antecedens.

Circa 2 contradicit Carrière , putans legem Tridentini assimilandam non esse legi locali, sed obligare ad instar statuti personalis tantum ; unde putat probabilius incolas Angliæ v. g. vel alterius loci ubi publicatum non est Tridentinum, transeuntes per Belgium, valide contrahere clandestine, quamdiu domicilium aut quasi-domicilium hic non acquisiverunt. Verumtamen, propter rationem supra adductam, contrarium dicendum videtur cum sententia communi, pro qua adfert Pignatelli decisionem S. Congregationis Concilii, 4 Febr. 1580.

Quæstio 4. *Quinam ratione domicilii sunt exempti a lege Tridentini, ita ut valide contrahant clandestine ?*

Eximi quis potest a lege ratione domicilii aut quasi-domicilii.

R. Illi qui domicilium suum habent in locis ubi lex non est promulgata, sive contrahant ibidem sive in aliis locis similiter exemptis a lege.

Item exempti sunt qui quasi-domicilium in loco exempto acquisierunt et ibidem contrahunt, etsi domicilium retineant in loco ubi lex Tridentini viget.

Exemptio illa obtinet, etiam si quis domicilium mutet sola intentione Matrimonium contrahendi. Nec obstat quod fraus nemini debeat patrocinari, quia, ut ait Sylvius, fraus illi non patrocinatur, sed domicilium ratione cujus fit incola et parochianus loci, ubi lex Tridentini non obligat.

Constat ex supra memorata responsione S. Congregationis Concilii ad tertium quæsitum, quam responsionem Urbanus VIII in Brevi ad Archiepiscopum Coloniensem , et Benedictus XIV in Brevi ad Episcopum Goanum confirmaverunt. Quamvis autem in citata responsione agatur

de eo qui domicilium transfert, idem cum Sylvio docet in memorata epistola Benedictus XIV de eo, qui quasi-domicilium acquisiverit.

Quid vero requiratur, ut quis in loco domicilium aut quasi-domicilium censeatur habere, exponitur N. 89.

Quæstio 5. *Quid si una pars ratione domicilii vel aliter est exempta a lege Tridentini, altera vero non ?*

Sufficit ad valorem, quod una pars sit exempta.

R. Quando una pars Tridentini decreto eximitur, communicat suam exemptionem alteri, ita ut simul valide contrahant clandestine.

Ita docet Benedictus XIV, *De Synodo,* lib. 6, cap. 6, n. 12, « Cum conjugum alter...exemptus sit a Tridentinæ » Synodi lege, exemptio qua ipse fruitur, alteri parti com- » municata remanet, propter individuitatem contractus, » vi cujus, exemptio quæ uni ex partibus competit, ad » alteram, secundum etiam civiles leges, extenditur, ei- » demque communicatur. » Atque ita respondisse S. Congregationem, testatur Pignatelli, *Consultationes canonicæ,* tom. 5, consult. 79.

Hinc incola Mechliniensis valide contrahit clandestine in Anglia cum incola illius regionis, cum hic ratione domicilii sui ibi a lege Tridentini sit exemptus.

Eidem principio innixus Benedictus XIV, in declaratione super Matrimoniis Hollandiæ mox afferenda, decernit, Matrimonium sine parochi præsentia ibidem initum inter partem hæreticam illius regionis et partem catholicam esse validum.

Eamdem Benedicti XIV doctrinam citat et sequitur Clemens XIII, in litteris 15 Maii 1767 ad Archiepiscopum Mechliniensem, quas refert Moser, *De impedimentis Matrimonii ;* itemque Pius VII in rescripto 27 Junii 1805 ad imperatorem Napoleonem, relato apud Artaud in historia illius Pontificis.

Præterea cum pars exempta a lege communicet alteri suam exemptionem, et ex dictis quæst. præc. exemptus in uno loco valide contrahat clandestine in alio loco similiter exempto, sequitur, quod Hollanda hæretica valide contrahat in Anglia cum viro catholico lege Tridentini obstricto, sine ullo domicilio vel quasi-domicilio in Anglia acquisito : et ita ad postulatum Officialis Mechliniensi respondit Congregatio S. Officii, 8 Febr. 1860.

N. 87. An hæretici degentes in locis, ubi publicata est lex Tridentina, ea obligentur.

Antequam solutio hujus quæstionis detur, varia magni momenti sunt prænotanda.

Circa hæreticos Hollandiæ variæ olim sententiæ et praxes:

I. Hæc quæstio imprimis acriter agitata fuit, respectu ad Fœderatum Belgium seu Hollandiam.

Historia hujus controversiæ usque ad Benedicti XIV declarationem, in duas epochas partienda est.

Usque ad annum 1671, constans erat omnium ferme missionariorum sententia et praxis, nulla esse clandestina Matrimonia, seu hæreticorum seu mixta, in Fœderato Belgio inita, paucis tantum contrarium sentientibus. Ratio, quia ab una parte constabat, Tridentini decretum ibidem publicatum fuisse, saltem post invasionem hæreticorum, et probabilius etiam ante, ut videri potest apud Moser, cap. 16, § 10 ; et ab alia parte S. Congregatio Concilii, 26 Septemb. 1602, declaravit : *Hæreticos, ubi decretum cap. I Sess. XXIV de reform. Matrim. est publicatum, teneri talem formam servare, et propterea ipsorum etiam Matrimonia, absque forma Concilii, quamvis coram ministro hæretico vel magistratu loci contracta, nulla atque irrita esse.* Ita refertur apud Zamboni, v. *Matrimonium*, § 17, n. 2. Omnia responsa deinceps data similiter diserte nullitatem pronuntiant.

Postea vero invalescere cœpit contraria sententia et praxis, auctore præsertim Joanne Neercassel, Episcopo Castoriensi, et in Fœderatis Belgii Provinciis Vicario Apostolico. Hic anno 1671 rationes, cur Matrimonia hæreticorum et mixta in dictis provinciis valida habebat, S. Officio exposuit. Cum vero ei responsum esset, non convenire, ut quæstio a S. Officio definiretur, sed ipse Vicarius Apostolicus statueret, quod animarum sibi creditarum saluti crederet maxime expedire ; idem consuluit S. Pœnitentiariam, quæ respondit, se existimare, quod Matrimonia illa in Fœderato Belgio inita coram magistratu vel ministro Calvinista deberent haberi valida.

Ex eo tempore nullum amplius videtur rescriptum alicujus Congregationis Romanæ emanasse , quo diserte

asseratur nullitas dictorum Matrimoniorum. Fertur tamen in quadam responsione 23 Aug. 1681, sacram Congregationem Concilii mentem suam ita declarasse : *Quod si respondendum esset ad dubium, dicendum esset Matrimonia non valere.*

Ita res dubia hæsit usque ad annum 1737, quo petiit Episcopus Yprensis, ut decisio generalis de valore aut nullitate dictorum Matrimoniorum daretur.

Quid deinceps factum fuerit ad veritatem investigandam, narrat Benedictus XIV, *De Synodo,* lib. 6, cap. 6. « Cumque, » ait ibidem, n. 5, « sub Clemente XII, decessore nostro, materia minime proponi atque examinari » potuisset, nosque interea temporis, nullis meritis nostris » ad summum Pontificatum evecti essemus (1740), lectis » per nos examinatisque omnibus, quæ super hac re » in præcedenti Pontificatu collecta et conscripta fuerant, » opportunum factu existimavimus, Congregationem Con- » cilii coram nobis habere, ut Cardinalium ejusdem Con- » gregationis sententias viva voce prolatas exciperemus, » id quod die 13 Maii anni 1741 præstitum est.»

Dein 4 Novembris ejusdem anni approbatum fuit ab eodem Pontifice decretum a S. Congregatione conditum, quo : declarat Benedictus XIV, ibi valere Matrimonia hæreticorum,

1°. *declaravit, statuitque Matrimonia in dictis Fœderatis Belgii Provinciis inter hæreticos usque modo contracta, quæque inposterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino præscripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum, pro validis habenda esse.*

2°. *Quod spectat ad ea conjugia, quæ pariter in iisdem Fœderatis Belgii Provinciis, absque forma a Tridentino statuta, contrahuntur a catholicis cum hæreticis... Si forte aliquod hujus generis Matrimonium, Tridentini forma non servata, ibidem contractum jam sit, aut inposterum (quod Deus avertat) contrahi contingat, declarat Sanctitas sua, Matrimonium hujusmodi, alio non concurrente canonico impedimento, validum habendum esse, et neutrum ex conjugibus, donec alter eorum supervixerit, ullatenus posse, sub obtentu dictæ formæ non servatæ, novum Matrimonium inire...* et mixta sine forma Tridentini ;

3°. *Ad hæc declarat Sanctitas sua, ut quidquid hactenus sancitum dictumque est de Matrimoniis, sive ab hæreticis inter se, sive inter catholicos et hæreticos, initis in locis* item inter legionares arcium dictarum di barriera.

Fœderatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis, sancitum dictumque intelligatur etiam de similibus Matrimoniis, extra fines dominii eorumdem Fœderatorum Ordinum contractis ab iis qui addicti sunt legionibus, seu militaribus copiis, quæ ab iisdem Fœderatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas muniendasque arces conterminas, vulgo dictas di barriera ; *ita quidem ut Matrimonia ibi, præter Tridentini formam sive inter hæreticos utrimque, sive inter catholicos et hæreticos inita, valorem suum obtineant, dummodo uterque conjux ad easdem copias sive legiones pertineat; et hanc declarationem vult Sanctitas sua complecti etiam civitatem Mosæ-Trajectensis, a Republica Fœderatorum Ordinum, quamvis non jure dominii, sed tantum oppignorationis, ut aiunt, nomine possessam.*

Nihil definit quoad alios, aut contrahentes alibi.

4°. *Tandem circa conjugia, quæ contrahuntur, vel in regionibus Principum catholicorum, ab iis qui in Provinciis Fœderatis domicilium habent, vel in Fœderatis Provinciis, ab habentibus domicilium in regionibus catholicorum Principum, nihil Sanctitas sua de novo decernendum aut declarandum esse duxit, volens, ut de iis, juxta canonica juris communis principia, probatasque in similibus casibus alias editas a sacra Congregatione Concilii resolutiones, ubi disputatio contingat, decidatur; et ita declaravit, statuitque, ac ab omnibus inposterum servari præcepit.*

Hæc aut similis declaratio postea a Pontificibus fuit extensa ad alias regiones.

Prænotandum II. Deinceps a variis Pontificibus declaratio Benedicti XIV extensa fuit ad alias regiones, aut similis declaratio data fuit pro validitate saltem in futurum Matrimoniorum, tum inter duas partes hæreticas, tum inter partem hæreticam et catholicam, ibidem initorum. Harum concessionum legitur enumeratio in editione Buscoducensi *Institutionum juris eccles.* Card. Soglia, quam paucis mutatis tradimus, scilicet :

1°. Clemens XIII, die 29 Novemb. 1764, declarationem extendit ad regionem Quebecensem et Canadiensem; die 21 Febr. 1765, ad Wratislaviam; die 12 Septemb. ejusdem anni, ad Malabariam ; die 17 Maii 1767, ad Bombaicum.

2°. Clemens XIV, 5 Maii 1773, ad Culmiam.

3°. Pius VI, 2 Martii 1782, ad eam Poloniæ partem quæ Moscorum subest imperatori ; 3 Martii 1785, ad mixta Matrimonia quæ in Hibernia contrahuntur; 19 Junii 1793, ad ducatum Cliviensem.

4°. Pius VII, 25 Aprilis 1817, ad Silesiam Borussiæ.

5°. Leo XII, ad Status confœderatos Americæ Septentrionalis, et speciatim die 9 Septemb. 1824, ad diœcesim Neo-Aurelianensem, quatenus opus esset, seu ad Superiorem et Inferiorem Luisianam ac Floridas, cæterasque partes olim Gallorum vel Hispanorum ditioni subjectas; 3 Martii 1825, ad Septentrionales Americæ insulas Angliæ, Bataviæ, Daniæque guberniis obnoxias. Item 20 Aprilis 1826, ad totam civitatem Mosæ-Trajectensem ; 3 Septemb. 1828, ad provincias Italo-Græcas, ad Albaniam, Bulgariam, et ad Bohemiam, dummodo non agatur de Matrimonio inter duos catholicos.

6°. Pius VIII, Brevi 25 Martii 1830, voluit Matrimonia mixta clandestine contrahenda a die citata fore valida in provincia ecclesiastica Rheni Superioris et in Westphalia.

7°. Gregorius XVI, 6 Septemb. 1832, memoratam Benedicti declarationem extendit ad plures Americæ partes ditioni Angliæ subjectas, præcipueque ad Novam Scotiam, quatenus opus esset, et ad excludendam omnem dubitationem, eadem ratione, qua factum fuerat pro diœcesi Quebecensi et Canadiensi; 30 April. 1841, ad regnum Hungariæ et Magnum Transylvaniæ Ducatum. Denique 28 Febr. 1844, *ad cautelam* extensa fuit ad suburbium S. Petri prope Mosæ-Trajectum.

Loca, in quibus vel non viget lex Tridentina, vel ad quæ extensa fuit declaratio Benedicti XIV, accurate indicantur apud cl. Feije, op. cit., n. 219-226.

Eadem quæstio est de Matrimoniis mixtis et hæreticorum an valeant.

Prænotandum III. Quandoquidem una pars a Tridentini decreto exempta, ut supra vidimus, communicat suam exemptionem alteri, adeoque si alicubi eximitur pars hæretica, valide contrahit clandestine etiam cum parte catholica, alias non exempta, sequitur unam eamdemque esse quæstionem de Matrimoniis mixtis et de Matrimoniis hæreticorum inter se.

His prænotatis, quæritur :

An Matrimonium hæreticorum, aut mixta, absque forma Tridentini inita, in regionibus ad quas applicata non fuit a Summis Pontificibus declaratio Benedicti XIV aut similis decisio, valida sunt necne ?

An valida sint

R. Tres præcipuæ desuper sunt sententiæ :

Prima sententia. Quidam generaliter affirmant esse

Matrimonia hæreticorum aut mixta, absque forma Tridentini inita in locis, ad quæ extensa non est declaratio Benedicti XIV, controvertitur: 1ª sententia affirmat;

valida : sive quia hæc lex Tridentina a Protestantibus non fuit acceptata et in usum deducta, ut nonnulli aiunt ; sive quia non potest dici publicata in eorum parochiis, licet ibidem apud catholicos publicata fuerit, cum ipsi stricte dici non possint de illa parochia catholica ; sive tandem quia hæc videtur fuisse mens Concilii Tridentini, cum Concilium idcirco legem hanc in singulis parochiis voluerit publicari, ut ita valida essent hæreticorum Matrimonia, inter quos prævidebat, legem publicandam non fore : ita enim testatur Card. Palavicinus in *Historia Concilii Tridentini*.

Hæc autem sententia communiter rejicitur, quia contraria est praxi et doctrinæ Ecclesiæ Romanæ, quæ frequenter nulla declaravit propter clandestinitatem, Matrimonia hæreticorum, aut mixta, absque præsentia parochi inita, in variis locis ubi Concilium Tridentinum est publicatum. Ita Pius VIII nulla declaravit Matrimonia mixta clandestine inita in provincia Coloniensi, ante declarationem pro eorum valore in futurum, quam ipse edidit. Ita quoque Gregorius XVI, in Congregatione generali S. R. et Universalis Inquisitionis 16 Febr. 1832, decrevit, *constare de nullitate Matrimoniorum mixtorum, in Belgio* (catholico scilicet) *non servata forma Concilii Tridentini celebratorum de quibus in precibus*. Unde dici non potest, Concilium Tridentinum generatim voluisse eximere a lege omnes hæreticos, sed tantum illos, respectu quorum lex non foret publicata.

Quoad defectum acceptationis ex parte hæreticorum, dicendum est, hanc acceptationem ex parte subditorum, præsertim rebellium, non requiri, ut lex obligandi vim habeat.

Quod autem dicitur, Protestantes non pertinere ad parochias catholicas, in quibus solis publicatum est decretum Tridentini, hoc saltem pro iis locis non valet, ubi Protestantes non habent distinctas parochias et proprios pastores : unde non universaliter probat, omnes ubique Protestantes ab hac lege exemptos esse. De locis ubi habent distinctas parochias, dicemus statim.

2ª sententia negat;

Secunda sententia universaliter negat, valere præfata Matrimonia in ullis locis, ubi publicatum est decretum Tridentinum, nisi ad illa loca a summis Pontificibus extensa fuerit declaratio Benedicti XIV, aut similis decisio hæreticos ibidem exemerit.

Contra hanc sententiam objicitur, quod declaratio Benedicti XIV non est proprie exemptio seu derogatio a lege, sed, ut fert titulus, *declaratio* legis secundum mentem legislatoris, nec tantum respicit futurum, sed etiam præteritum tempus ; adeoque supponit, ante declarationem, et independenter ab ea, ibidem Matrimonia præfata fuisse valida, idque ex mente Patrum Tridentinorum, uti ipse Benedictus XIV docet in Const. SINGULARI NOBIS.

3ª sententia, quæ est cl. Carrière, distinguit.

Tertia sententia distinguit: « 1°. Vel agitur de regionibus » ubi tempore promulgationis Concilii, jam hæretici societatem quamdam efformabant cum suis parochiis distinctis ; 2°. vel de iis in quibus nunquam efformaverunt ; » 3°. vel de iis in quibus non nisi postea. » Ita Carrière, *De Matrimonio*, n. 1216, et *Compendii* n. 193. In primo casu putat laudatus auctor, ibidem hæreticos exemptos esse ex mente Patrum Tridentinorum. Dein, post adductas reliquas primæ sententiæ rationes, dicit, illud sequi ex declaratione Benedicti XIV, idemque confirmat ex iis quæ scripsit Pius VII ad imperatorem Napoleonem contendentem fratris sui Hieronymi Matrimonium, Baltimoræ contractum cum acatholica, nullum fuisse propter clandestinitatem : *Etsi,* ait Pontifex, *publicatio Concilii Tridentini ibi obtinuisset, facta non fuisset nisi in parochiis catholicis, siquidem agitur de regione originarie acatholica : adeoque non posset inde argui contra valorem Matrimonii mixti, seu catholici cum acatholica, respectu cujus promulgatio non censetur facta. Principium hoc fuit statutum per decretum Decessoris nostri Benedicti XIV quoad Matrimonia mixta contracta in Hollandia et Fœderato Belgio. Cumque decretum illud non condat jus novum, sed mera sit* Declaratio *prout inscribitur, id est explicatio veræ conditionis istorum Matrimoniorum, sponte intelligitur, idem principium applicandum esse Matrimoniis contractis inter catholicum et acatholicam in regione hæreticis subjecta, etiamsi decretum Tridentinum fuisset publicatum inter catholicos ibidem existentes.*

In secundo casu, si nimirum in illis regionibus hæretici nunquam efformarunt religiosam societatem distinctam, cum propriis pastoribus et parochiis, satis inclinaremus pro invaliditate, inquit Carrière. Hoc videtur omnino tenendum ; si enim lege Tridentina obligentur alicubi hæretici, quod supra probatum fuit, præsertim hoc obtinet

in illis locis, pro quibus nulla exemptionis ratio specialis militat.

In tertio casu quando non nisi post promulgatum Tridentinum Protestantes alicubi distinctam societatem efformaverunt, major est difficultas. Carrière ita resolvit : « Cum jam ligati fuissent tempore promulgationis, » videre posset æquum non esse , ut per suam rebel- » lionem se subtrahere potuerint : ac proinde quoad illos, » primis saltem temporibus, ea supponi potest esse Eccle- » siæ intentio, ut eorum Matrimonia sint invalida; quamdiu » amissa non est omnino spes eos ad Ecclesiam reducen- » di, jam prodesse illis poterit legis illius obligatio, nec » dici potest certo et unice noxia futura. Sed postea in » decursu temporis, non auderemus illud affirmare, et » eodem modo ratiocinaremur ac in prima hypothesi. Cæ- » terum, cum solutio quæstionis multum pendeat a cir- » cumstantiis peculiaribus, pluris interest eam expendere » quoad varias regiones, quam modo generali. » Apud eumdem auctorem, n. 1233, et *Compendii* n. 195, videri possunt rationes, ob quas aliqui theologi Matrimonia hæreticorum nostra ætate clandestine in Gallia contracta valida esse affirmant, negantibus aliis pluribus.

Nobis videtur in hoc tertio casu standum pro invaliditate istorum Matrimoniorum, saltem in regionibus ubi catholici dominantur, et hoc certum est pro nostro Belgio catholico, nam ex decreto Gregorii XVI supra citato constat de nullitate Matrimoniorum mixtorum, quæ hic contrahuntur, non servata forma Concilii Tridentini. Imo Pius VIII, ut vidimus, nulla declaravit Matrimonia mixta ante suum decretum anni 1830 clandestine contracta in Provincia Coloniensi, licet hæc esset principibus acatholicis subjecta.

Observandum pro praxi.

Ad conclusionem totius controversiæ , sequentia subjungenda ducimus. Etsi forsan aliqua ex allatis sententiis, quæ in certis casibus valida hujusmodi Matrimonia sive hæreticorum sive mixta habent, possit, si in se et theoretice spectetur , videri rationabilis, pro praxi tamen sedulo observandum est : declarationem Benedicti XIV non posse privata auctoritate applicari in regionibus ad quas extensa non fuit a Romanis Pontificibus, prout sæpius declaravit Sancta Sedes. Ita rescriptum fuit a

S. Congregatione Concilii 20 Aug. 1780 ad Episcopum Rosnaviensem in Hungaria, et 22 April. 1795 a speciali Congregatione pro negotiis ecclesiæ Gallicanæ : idem constat ex Brevi Pii VII 23 April. 1817 ad Vicarium Trevirensem, ex rescripto ejusdem Pontificis 29 Aug. 1818 ad Vicarios generales diœcesis Pictaviensis, et ex decreto Pii VIII anni 1830 supra citato. Unde casu difficili occurrente, nihil propria auctoritate resolvendum, sed consulenda est Sedes Apostolica. Vide Feije, *De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus,* n. 207-209; et op. *Dissertatio de Matrimoniis mixtis,* part. 2, cap. 1, § 4 ; ac cl. Perrone, *De Matrimonio Christiano,* lib. 2, sect. 1, cap. 6, art. 2, § 3.

Insuper notandum, quod contingere posset in regione aliqua, acatholica præsertim, ut decretum Concilii, ibidem olim publicatum, in desuetudinem abierit, de quo in instructione S. Congregationis Inquisitionis 3 Martii 1823 ad Episcopum Quebecensem dicitur : *Si publicata non est laudata lex, si publicata in desuetudinem abiit, Matrimonia sine parocho et testibus valida sunt.*

N. 88. De parocho coram quo Matrimonium est contrahendum.

Cum lex Tridentina jubeat, ut Matrimonium contrahatur *præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia,* de eo specialim hic inquiritur, sequentibus quæstionibus.

Quæstio 1. *Quis intelligitur nomine parochi, coram quo, juxta decretum Concilii Tridentini, Matrimonium contrahi debet ?*

Parochus dicitur, qui habet jurisdictionem ordinariam

R. Intelligitur ille, qui habet potestatem seu jurisdictionem ordinariam in contrahentes, eaque ratione vocatur eorum parochus *proprius :* qualis est Summus Pontifex respectu omnium fidelium, Episcopus vel Vicarius generalis, seu Ordinarius respectu diœcesanorum, parochus respectu parochianorum ; item deservitor parochiæ, qui v. g. parochia vacante, delegatur ad universalitatem causarum.

Cum autem Episcopi et parochi habeant ordinariam ratione

domicilii

jurisdictionem in aliquem ratione domicilii seu habitationis ejus intra limites diœcesis aut parochiæ, non ratione originis aut nativitatis, sequitur, proprium parochum in ordine ad Matrimonium esse parochum et Episcopum domicilii, non vero Episcopum originis. Ita fert unanimis scriptorum sententia, et ita declarasse S. Congregationem Concilii anno 1702, refert Benedictus XIV, *Institutione* 33, n. 6.

in alterutrum contrahentium.

Si contrahentes sint ex diversis parochiis, sufficit præsentia parochi proprii alterutrius, sive viri sive mulieris, aut delegati ab illo sacerdotis. Ita patet ex tenore decreti, et declaravit eadem S. Congregatio anno 1573, ut refert Benedictus XIV, loc. cit., n. 5.

Usus vero passim obtinet, ut Matrimonium celebretur coram parocho sponsæ, quia decet, juxta S. Ambrosium, ut quæ nubit, *expetita magis videatur a viro, quam ipsa virum expetiisse*. In nostra Diœcesi ita servari mandatur decreto Cardinalis Sterckx, publicato in Congregatione Archipresbyterorum anni 1851.

Attamen si adsit justa ratio, parochus sponsæ facile consentire debet, ut alter assistat. Neuter porro licite assistit, nisi ex testimonio alterius constet, nihil obstare, quominus ad Matrimonii celebrationem procedatur, ut statuitur in decreto mox citato. Cfr. N. 22.

Valide assisteret excommunicatus,

Nota 1°. validum esse Matrimonium, etsi parochus assistens foret excommunicatus, suspensus, irregularis. Id apud omnes certum est, si non sit vitandus; et probabilius, contra paucos, sustinetur, etiamsi sit vitandus, modo non sit legitime depositus. Ratio est, quod excommunicatio ipsum non privat titulo et possessione suæ parochiæ; aliunde vero assistentia parochi non est actus jurisdictionis, assistit tantum ut testis qualificatus, adeoque non obest, quod talis jurisdictionis usum amiserit. Hæc sententia confirmata fuit decisione S. Congregationis Concilii, teste Fagnano, in cap. *Litteræ, De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ*, n. 25, aliisque in locis.

Interdictus ab Episcopo etiam valide assisteret, quia equidem Matrimonium coram proprio parocho contractum esset, adeoque in forma Tridentini.

Illicite certe præfati assisterent Matrimoniis; licite tamen et valide committere possent alium sacerdotem.

Observa tamen quod invalide assisteret parochus, si

interdictus esset a Summo Pontifice cum decreto irritante. Ita docet Benedictus XIV, *De Synodo*, lib. 12, cap. 5, n. 3.

Nota 2°. quod validum etiam esset Matrimonium contractum coram illo, qui non haberet nisi titulum parochi coloratum, sed cum communi errore populi; quia in hoc casu defectum supplet Ecclesia, ut in simili casu dictum est tract. *De Sacramento Pœnitentiæ*, N. 71. Idem resolve de parocho intruso, si intrusus sit a legitimo superiore; non vero de alias intruso, quia hic nequidem haberet titulum coloratum, adeoque invalide assisteret, nisi cum quibusdam dicatur sufficere solum errorem communem ad supplendum defectum. Cfr. Sanchez, lib. 3, disp. 22.

aut habens titulum coloratum.

Quæstio 2. *An parochus assistens Matrimonio debet esse sacerdos?*

R. Controvertitur. Partem affirmativam tuentur Sylvius, Steyaert, Daelman etc., quia Tridentinum dicens: *Præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia*, adhibendo particulam *alio*, videtur indicare, sacerdotium etiam in parocho requiri, sicut in delegato. Præterea Concilium, in eodem capite, parochi benedictionem vocat *sacerdotalem*.

Probabilius parochus non debet esse sacerdos,

Plures vero theologi, notanter Sanchez, Pontius, Salmanticenses, Billuart etc., negant, eo quod particula *alio* non semper importet eamdem qualitatem, præcipue quando aliunde plures habentur conjecturæ pro opposito, quales hic sunt. Nam Tridentinum, cum quater mentionem parochi faciat, nullibi tamen qualitatem sacerdotii in illo exprimit, quod sane non omisisset, si illam ad valorem Matrimonii requisivisset. Deinde decretum hoc est correctorium juris antiqui, adeoque verba sunt stricte interpretanda.

Nec refert, quod benedictionem conjugibus impertiendam vocat *sacerdotalem*, quia ibi agitur de benedictione quæ post contractum Matrimonium datur, non de illa quæ in ipso contractu adhibenda est his verbis: *Ego vos conjungo* etc.

Pro hac sententia profertur declaratio S. Congregationis Concilii, quæ citatur apud Zamboni, verbo *Matrimonium*, § 17, n. 15, his verbis: *Matrimonium contractum coram parocho non sacerdote valere.* Abulen. 1 Decemb. 1593, dub. 3. Vide quoque Fagnanum, in cap. *Quoniam, De constitutionibus*, lib. 1. Decretal.

sed delegatus debet esse sacerdos.

Ex textu autem Tridentini patet, quod delegatus a parocho ad assistendum Matrimonio debeat necessario esse sacerdos : secus foret irritum. Non vero requiritur, ut jurisdictione polleat; imo valeret Matrimonium, etsi legitime delegatus esset excommunicatus, suspensus, aut irregularis.

Quæstio 3. *Quinam licentiam Matrimonio assistendi alii sacerdoti dare possunt?*

Delegare possunt qui veniunt nomine parochi;

R. Omnes illi qui sub nomine parochi comprehenduntur. Episcopus id potest, etiam invito parocho, cum sit major in potestate : id tamen non expediret, nisi ex gravi causa. Parochus autem illicite quidem aliquem delegaret, invito Episcopo, valide tamen, quia habet hanc potestatem a Concilio Tridentino, quam ei auferre non potest Episcopus.

Delegati vero a proprio parocho, subdelegare alterum non possunt, nisi sint delegati ad universalitatem causarum, aut potestatem subdelegandi acceperint.

vicarii parochorum non sunt universaliter delegati.

Notandum 1°. quod in nostra Diœcesi vicarii parochorum, licet ab Episcopo jurisdictionem accipiant et universalem licentiam pro aliis Sacramentis administrandis in parochia, delegati tamen non sint ad matrimonialia. Aliter contingere in quibusdam diœcesibus Galliæ, testatur Carrière, n. 1544.

A parochis autem licentia assistendi Matrimoniis dari non solet nisi ad singulos actus. Si tamen parochus, in absentia sua v. g. ad longum tempus, vicario aut alii sacerdoti universam curam parochiæ committat, censetur comprehendi facultas assistendi Matrimoniis; tuncque subdelegare hic potest ad casus particulares.

Notandum 2°. perinde esse sive licentia scripto, verbo, aut alio signo detur, modo data sit pro tempore quo Matrimonium contrahitur. Non autem sufficit ratihabitio post contractum Matrimonium, nec licentia præsumpta, sed ea debet esse significata ex parte delegantis, et acceptata a delegato antequam contrahatur Matrimonium, alias hic non ageret vi delegationis. Acceptationem delegati non requiri ad valorem testant plures, si delegatus sit subditus delegantis, secus si non sit subditus.

Notandum 3°. Quando licentia assistendi Matrimonio fuit alteri data, parochus equidem in registro parochiali

describere debet actum, qui contineat conjugum et testium nomina, diem et locum contracti Matrimonii, ut vult Tridentinum ; simulque annotare debet, ut monent Rituale Romanum et Pastorale Mechliniense, Matrimonium illud coram tali sacerdote, ex licentia a seipso facta, fuisse contractum.

Quæstio 4. *An parochus Matrimonio sui parochiani valide assistit extra limites suæ parochiæ ?*

Parochus valide assistit ubique.

R. Affirmative; quia Concilium Tridentinum non restrinxit facultatem illam ad ullum locum, sed simpliciter requisivit præsentiam parochi. Deinde assistere Matrimonio non est actus jurisdictionis, sed assistit parochus tanquam testis qualificatus a Concilio Tridentino requisitus. Unde parochus non tantum extra parochiam, sed etiam extra diœcesim, et ubique terrarum, invito etiam parocho loci, valide assistit Matrimonio sui parochiani. Ita communiter doctores.

Pontius quidem acriter hanc sententiam impugnat, citatque pro se tres declarationes Cardinalium; at Fagnanus in cap. *Quod nobis, De clandestina desponsatione,* lib. 4 Decretal., dicit, Summum Pontificem prædictam communem sententiam approbasse, et declarasse ita in futurum respondendum esse, nulla habita ratione alterius cujuscumque declarationis Cardinalium in oppositum.

Ob easdem rationes etiam dicendum est, quod sacerdos deputatus a parocho possit valide assistere Matrimonio extra parochiam deputantis. Cfr. Fagnanum, loc. cit., n. 34 et seq.

Idem Fagnanus, ibid., n. 32, hæc habet : « An licen-
» tia contrahentibus nominatim designatis a parocho con-
» cessa in scriptis, ut Matrimonio inter se celebrando
» quemvis sacerdotem eorum arbitrio adhibere possint,
» censeatur sufficiens ad validitatem Matrimonii, cui alius
» sacerdos vigore ejusdem licentiæ interfuit? Die 15 Junii
» 1586 S. Congregatio censuit sufficere. »

Ordo tamen postulat ut Matrimonio sui parochiani parochus ejusve delegatus non assistat in aliena parochia sine licentia parochi loci illius.

Notandum id quod statuit Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, cap. I, *de reformatione Matrimonii : Si quis parochus, vel alius sacerdos, sive regularis sive sæcularis*

Pœna statuta in illum qui conjungit

alterius parochianos.

sit, etiam si id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit ; ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Hæc pœna etiam post sæpius citatam Const. Apostolicæ Sedis Pii PP. IX viget, ut patet ex his Pontificis verbis : *Quoscumque alios sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.*

Si sponsus et sponsa ex diversa diœcesi fuerint, videtur quod ab hac censura absolvere possit, tam Episcopus unius quam alterius, quandoquidem de jure communi, tam coram parocho sponsi quam sponsæ, contrahi poterat. Putat vero Daelman, *De censuris,* observ. 5, illam reservari Ordinario parochi sponsæ, quia ex consuetudine coram parocho sponsæ contrahendum est.

N. 89. De habitatione parochiali.

Quandoquidem aliquis ratione habitationis in aliquo loco subditus fieri, et proprium parochum ibi habere dicatur, ut præc. N. animadvertimus, hic ulterius determinandum est, qualis habitatio ad hoc sufficiat, cum non omnis habitatio temporalis seu commoratio in loco sufficere videatur. Unde proponitur,

Quæstio 1. *Qualis habitatio in loco sufficit, ut aliquis ibi proprium parochum in ordine ad Matrimonium habere dicatur?*

Proprium parochum quis habet ratione domicilii

R. Requiritur et sufficit talis habitatio, qua ibidem domicilium aut quasi-domicilium acquisivisse censeatur.

Porro domicilium dicitur quis habere in loco, dum ibi habitat cum intentione perpetuo manendi. Unde duo requiruntur ad domicilium : actualis habitatio in loco, et animus ibi perpetuo manendi : dum autem ille animus adest, acquiritur domicilium a primo momento habitationis. Animum perpetuo manendi habere dicitur, qui habitat in

loco absque animo ad pristinum domicilium redeundi, aut alio commigrandi, post certum tempus, aut post negotia peracta, seu munus impletum etc.

aut quasi-domicilii:

Quid vero requiratur ad quasi-domicilium, seu domicilium temporale acquirendum in aliquo loco, non ita convenit inter auctores.

quid ad hoc requiratur.

Quidquid interim sit de quasi-domicilio in ordine ad alias causas, ubi agitur de quasi-domicilio in ordine ad Matrimonium legitime contrahendum, videtur dicendum, sufficere animum ibi manendi, non perpetuo, sed per notabile tempus, una cum habitatione jam continuata per integrum mensem. Ita ut post mensem habitationis aliquis valide contraheret coram parocho illius loci; et probabilius quidem, licet diutius postea non maneat.

Dicta colliguntur ex iis, quæ habet Benedictus XIV, in Brevi suo Paucis abhinc ad Episcopum Goanum, 19 Martii 1758, ubi hæc scribit: *Necessarium fore censemus nonnihil adjungere, ut in propatulo sit, quidnam requiratur ad quasi-domicilium adipiscendum. Verum hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod, antequam Matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis ille, qui contrahit, habitaverit in loco, ubi Matrimonium celebratur. Definitiones Congregationis Concilii hac de re observari poterunt apud Fagnanum, in cap. Significat, De parochiis.* Dein ex Fagnano refert hanc decisionem S. Congregationis: *Vir et mulier Trajectenses, timentes impedimentum a parentibus, cum ad vicinam urbem Aquisgranam se contulissent, et ibi aliquamdiu morati Matrimonium contraxissent, sacra Congregatio, consulta super validitate, censuit exprimendum tempus quo contrahentes Aquisgranæ manserunt; quod si fuerit saltem unius mensis, dandum esse decisionem pro validitate; alias,* ut subdit Fagnanus, *de novo referendum in Congregatione.*

Postea subjungit Pontifex: *Dubitari autem posset, num ad quasi-domicilium acquirendum Matrimonii causa, uti diximus, non solum requiratur præcedens habitatio, verum etiam subsequens ad aliquod temporis spatium: verum cum observaverimus, subsequentem habitationem ab iis auctoribus, qui hanc tractarunt materiam, tanquam magni momenti adminiculum reputari, ut novum domicilium quæsitum dicatur, nihil vero de illa præscriptum fuisse a Concilii*

Congregatione in adducta paulo ante definitione penes Fagnanum, nolumus huc de re quidquam novi decernere. Cum itaque sacra Congregatio de hac conditione non duxerit inquirendum, sed validitatem pronuntiandam statuerit, modo de eo solo constaret, quod per integrum mensem habitaverint, probabilius censemus, non requiri ulteriorem habitationem, neque animum habitandi per majorem anni partem, ut multi exigunt.

Attamen, quamvis hæc duo per se non requirantur ad quasi-domicilium adipiscendum, nihilominus animadvertendum est, juxta sententiam plurium doctorum dari posse casus, in quibus habitatio per unum mensem non sufficit ut quis dicatur fieri parochianus, nimirum quando tales adsunt circumstantiæ, quæ demonstrent ipsum, etiam post habitationem unius alteriusve mensis in aliquo loco, ibi nullatenus acquisivisse quasi-domicilium. Ita acquisitioni quasi-domicilii nocere arbitratur cl. Feije, si quis tenderet ad aliquem locum eo unico fine Matrimonium post unum alterumve mensem contrahendi, eoque contracto statim recedendi, vel si sola rusticationis recreationisve causa, absque alterius cujusvis circumstantiæ adminiculo, commoratio illa locum habuerit. Vide ejusdem auctoris supra citatum opus *De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus*, n. 149-159, ubi probat hanc esse doctrinam Fagnani, Clericati et Benedicti XIV, in *Institutione* 33, cui minime contradicit ejusdem Pontificis Breve Pauc s abhinc ad Episcopum Goanum, neque ulla declaratio S. Congregationis Concilii.

Notandum etiam, quamvis multi doctores sustineant, sufficere ad acquirendum quasi-domicilium, brevissimam habitationem cum animo habitandi per majorem anni partem, id non satis tutum videtur, quandoquidem Benedictus XIV, in cit. Brevi, requirat habitationem integri mensis ; unde dubium saltem esset Matrimonium ante mensem contractum.

Observandum quoque, quod auctores qui dicunt, non solum domicilium et quasi-domicilium , sed simplicem habitationem sufficere ad valide contrahendum coram parocho loci , talem plerumque intelligant habitationem , quam supra ex Benedicto XIV diximus sufficere ad quasi-domicilium acquirendum.

Quæstio 2. *Quid censendum de eo, qui e loco domicilii discedit, retento habitaculo, cum animo illuc revertendi ?*

Discedens animo revertendi domicilium conservat.

R. Ille ibidem retinet domicilium, etiamsi diu absit, imo etiamsi alibi aliud domicilium aut quasi-domicilium acquirat.

Potest enim aliquis duo habere domicilia, unum v. g. æstivum, alterum hibernum. Tunc autem solum duobus domiciliis instructus aliquis jure appellatur, ut dicit Benedictus XIV, *Institutione* 33, n. 6, cum in utroque æqualiter collocatus prudentum virorum judicio existimatur, seu uti definitur in jure Romano : *Si utrobique ita se instruxit, ut non ideo minus apud alteros se locasse videatur ;* quod equidem non mathematice, sed moraliter est expendendum.

Similiter *novum non est neque inusitatum*, ut dicit laudatus Pontifex, in cit. Brevi ad Episcopum Goanum, *quod quis domicilium habeat aliquo in loco, et quasi-domicilium adipiscatur in alio.* Ita ut tunc simul domicilium habeat et quasi-domicilium : ut si e loco domicilii profectus, cum intentione eo redeundi, maneat in alio loco tempore sufficienti ad acquirendum ibidem quasi-domicilium.

Hinc varii occurrere possunt casus, nimirum : 1°. ut quis unum tantum habeat domicilium, aut non habeat nisi quasi-domicilium, et in his casibus proprius parochus est parochus loci illius domicilii vel quasi-domicilii.

2°. Vel habere potest duo aut plura domicilia, vel unum domicilium et alterum quasi-domicilium, et tunc proprius est parochus tam unius, quam alterius domicilii, aut quasi-domicilii.

3°. Vel tandem contingere potest, ut quis nullum domicilium aut quasi-domicilium habeat, et tunc vagus dicitur, eoque casu illius proprius parochus stricte nullus est ; ejus vero loco is habetur in cujus parochia actu homo degit.

Qui non habet nisi unum domicilium, a prima die habitationis valide contrahit coram parocho loci. Similiter ille qui non habet alibi domicilium, a prima die qua versatur in parochia cum intentione quasi-domicilium acquirendi, ibidem valide contrahit coram parocho loci. Etsi enim requiratur habitatio unius mensis, ut quasi-domicilium acquisitum dicatur, juxta supra notata ex Benedicto XIV, cum tamen iste supponatur alibi non habere domicilium, in parochia in qua nunc degit valide contrahet,

sin minus ut parochianus et ratione domicilii, ast certe ut vagus actu carens domicilio, ut patebit ex dicendis infra.

Quæstio 3. *Ad quem parochum pertinet assistere Matrimonio illius qui duo domicilia, aut domicilium et quasi-domicilium habet ?*

Quid si quis duo habeat domicilia,

R. ad 1. Qui habet duo domicilia, juxta communem sententiam, valide Matrimonium contrahere posset coram parocho alterutrius loci : uterque enim gaudet ordinaria jurisdictione in ipsum. Attamen conveniens est, ut contrahat coram parocho loci, in quo degit tempore celebrationis Matrimonii. Ita Maschat, *Institutiones canonicæ*, lib. 4, tit. 3, *De clandestina desponsatione*, n. 19; et ex eo Giraldi, *Expositio juris Pontificii*, part. 2, sect. 115, n. 5.

aut domicilium et quasi-domicilium.

R. ad 2. Propter eamdem rationem, qui alicubi habens domicilium alibi acquisivit quasi-domicilium, valide semper contraheret coram parocho domicilii ; coram parocho vero quasi-domicilii saltem post mensem habitationis, quæ requiritur ut quasi-domicilium acquisitum dicatur. Unde Benedictus XIV, in Brevi sæpius memorato Paucis abhinc ad Episcopum Goanum, ita loquitur : *Siquidem novum non est neque inusitatum, quod quis domicilium habeat aliquo in loco, et quasi-domicilium adipiscatur in alio : in quo rerum statu si versetur, tunc eidem liberum erit, Matrimonium contrahere coram illo parocho, intra cujus paræciæ fines tunc inhabitat, cum Matrimonio jungitur, juxta communem sententiam a Nobis relatam sancitamque in superius memorata Institutione nostra ecclesiastica, 33 latinæ editionis.*

Ex dictis sequentia deducuntur :

Conclusiones : 1° de eo qui extra locum domicilii contrahit, non comparato alio domicilio vel quasi-domicilio ;

1°. « Si quis domicilium suum minime relinquens, ex » civitate vel oppido, in quo degit, in alium locum profi- » ciscatur, ibique Matrimonium ineat, quin antea do- » micilium sibi vel quasi-domicilium comparaverit, illud » omnino irritum habetur, quia cum fraude in proprium » parochum conjungitur. Scriptores unanimes in hac re » consentiunt, quos Clericatus recenset. Idem statuit sa- » cra Concilii Congregatio, die 22 Februarii anno 1631 : » *Sacra* etc. *censuit dandam esse declarationem in abstracto* » *in forma sequenti : vir et mulier a loco suæ habitationis* » *absque animo illam relinquendi discedentes, et ad locum* » *alterius parochiæ solo animo illic Matrimonium celebrandi,* » *non autem domicilium contrahendi, se transferentes, ibi*

» *coram parocho illius loci Matrimonium inter se contraxe-*
» *runt. Supplicatur per sacram Congregationem declarari,*
» *an hujusmodi Matrimonium sit nullum, vel validum.*
» *Die* 22 *Februarii* 1631, *sacra* etc. *secundum ea quæ pro-*
» *ponuntur, censuit esse nullum.* » Ita Benedictus XIV, *Institutione* 33, n. 8.

2°. Si quis rus tendat, non animo ibi domicilium figendi, sed curandæ sanitatis, vel recreationis causa, vel pro rusticanis negotiis, valide contrahere non potest coram parocho illius loci. Id sæpius declaravit S. Congregatio Concilii, ut videri potest apud Benedictum XIV, loc. cit., n. 7. Aliud foret, si quis v. g. causa recuperandæ sanitatis ruri domicilium figat, aut idcirco notabili tempore ibi habitare intendat, et jam habitaverit tempore sufficienti ad acquirendum quasi-domicilium. 2°. de eo qui rusticatur;

3°. « Ex unanimi scriptorum sententia, » ait Benedictus XIV, loc. cit., n. 11, « prætores, judices, medici, fa-
» cultatis alicujus professores, discipuli, famulique, licet
» exteri, rite Matrimonium contrahunt, si parochus ad-
» sit ejus loci ubi degunt; quippe, si per aliquod tem-
» poris spatium in eodem loco versentur, domicilium vel
» quasi-domicilium, quod satis est ad Matrimonium per-
» ficiendum, sibi conciliant. » Et citat declarationem S. Congregationis Concilii, decernentem, validum esse Matrimonium contractum coram parocho loci, ubi quis moratur tamquam prætor, judex, seu medicus temporalis. In *Institutione* 88, n. 10, etiam approbat sententiam Monacelli aliorumque, qui Matrimonium contractum a puella quæ existit in monasterio, ad crates monasterii, coram testibus et parocho ecclesiæ parochialis, intra cujus limites situm est monasterium, validum reputant. 3°. de studiosis, famulis etc.;

Quicumque enim sic commorantur in loco propter educationem, aut temporale officium, etsi animum habeant postea alio divertendi, vel ad parentum v. g. domicilium revertendi, saltem postquam per mensem integrum habitaverint, quasi-domicilium ibidem acquisierunt. Si perpetuo in eodem loco habitare intendant, verum domicilium habent.

Hinc conclude, studiosos in Universitatibus et collegiis, famulantes in alienis parochiis etc., plerumque ibi habere quasi-domicilium tantum, verum autem domicilium alibi*; adeoque videtur dicendum, quod illi valide

contraherent tam ibidem, quam in locis ubi paternum, maternum, seu fraternum etc. domicilium habent.

Attamen notandum id, quod statutum fuit ab eodem Benedicto XIV pro civitate Bononiensi, ad normam statuti Cleri Romani a Clemente XI approbati, quoad Matrimonia juvenum, qui in collegiis, aut puellarum, quæ in monasteriis seu conservatoriis degunt, famulantiumque apud dominos commorantium ; nimirum, quod si in alia parochia ejusdem civitatis domicilium proprium, aut paternum, maternum seu fraternum habeant, necessario contrahant coram parocho hujus domicilii, non coram parocho quasi-domicilii; si vero in alio oppido situm sit illud domicilium, tunc contrahant coram parocho quasi-domicilii, id est, loci in quo collegium seu monasterium situm est, aut ubi apud herum degunt. Ita liquet ex cit. *Institutione* 33, tum ex 88, ubi prior exponitur. Recte censet Carrière, n. 1283, cum Alasia. ita agendum esse ut licite quis procedat in loco ubi hujusmodi statutum episcopale obtinet, perinde autem esse ad valorem actus, sive coram parocho domicilii, sive coram parocho quasi-domicilii contrahatur. nisi forte alicubi vigeat speciale statutum Summi Pontificis legi Tridentini derogantis, quod non videtur fuisse mens Clementis XI in confirmando statuto Romano.

4o. de puellis in hospitiis;

4°. Matrimonia puellarum, quæ in hospitiis expositorum et orphanorum aluntur, contrahi debent non coram rectore hospitii, sed coram parocho loci in quo hospitium situm est; hic enim earum proprius parochus est et ita declaravit S. Congregatio Concilii, apud Benedictum XIV, *Instit.* 33, n. 14.

5o. de ægrotis in xenodochiis;

5°. « In xenodochiis, » ait idem Pontifex, ibid., n. 13, « aliquando Matrimonia ineunda sunt ab iis qui in gravi » vitæ periculo versantur, ut æternæ saluti prospiciant... » At vero quisnam eligi debeat, quo præsente Matrimonia » in xenodochiis peragantur, inter capellanos et parochos, » in quorum ditione sita sunt xenodochia, magno studio » contenditur. Itaque præcipimus, ut quoties hæc eve- » niant, statim nos de more certiores faciant, ut statua- » mus, qui Matrimonio celebrando intersit, ac diligenter » caveamus, ut necessarium hujus rei monumentum in » actis descriptum conservetur. »

Infirmi ordinario non contrahunt quasi-dom. in parochia ei situm est nosocomium, unde per se contrahere debebunt coram parocho loci ubi suum domicilium aut quasi-domicilium habet.

Cæterum attendendum ad consuetudines locorum, et ad speciales facultates ab Episcopis concessas rectoribus hujusmodi domorum.

6°. Qui in perpetuum vel ad notabile tempus carcere inclusi sunt, coram parocho loci ejusve delegato valide contrahere possunt, quia ibi domicilium aut quasi-domicilium habent. Secus dicendum est de illis, qui provisorie in custodia detinentur, donec eorum causa a judice definiatur : hi enim ibi domicilium aut quasi-domicilium habere dici nequeunt. Atque ita declaravit S. Congregatio Concilii, ut testatur Benedictus XIV, cit. *Instit.* 53, n. 12. 6°. de carcere inclusis,

7°. Milites contrahere possunt valide coram parocho loci, in quo, ratione stationis vel præsidii, domicilium aut quasi-domicilium acquisiverunt, et non coram capellano eorum, ut pluries declaravit S. Congregatio Concilii, teste Giraldi, *Expositio juris pontificii*, parte 2, sect. 115, n. 13. 7°. de militibus.

Cæterum generatim hic observandum, quod in his omnibus ratio habenda est consuetudinis, quæ forte alicubi invaluit, sciente et approbante Episcopo, qui tunc censetur delegare sacerdotem ad assistendum Matrimoniis suorum diœcesanorum. Id observat Benedictus XIV quoad ea, quæ in diœcesi Bononiensi ante ipsum usu obtinebant. « Nos profecto in examen revocare nolumus, quæ jam » diuturnitate temporis invaluerunt. Nam ut jam inita » Matrimonia rata firmaque sint, sufficit, si eadem minime » ignoraverit, imo pertulerit, atque ideo permiserit is, » qui eo tempore sapienter hanc ecclesiam administrabat, » quemadmodum Tridentinum Concilium his verbis asse- » ruit : *Qui aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote » de ipsius parochi seu Ordinarii licentia*, etc. » *Instit.* 53, n. 12. In omnibus attendenda probata consuetudo.

Denique notandum, quod parochus alicujus domus quæ sita est in duabus parochiis, ille est, in cujus parochia est porta principalis, sive anterior facies domus ; quod si sint duæ portæ æque principales, erit ille qui est in possessione Sacramenta administrandi. Si inter utrumque parochum sit contestatio, petatur consensus parochi coram quo Matrimonium non contrahitur, vel res ad Ordinarium deferatur.

III.

Quæstio 4. *Coram quo parocho Matrimonium contrahere debent vagi ?*

Vagi contrahunt

Ante responsionem nota : *Vagi* dicuntur qui nullibi domicilium aut quasi-domicilium habent, sed de loco in locum vagantur.

Vagus quoque censetur, qui corpore et animo reliquit proprium domicilium, et navigat vel iter facit quærens ubi se collocet. Item, juxta Sanchez, qui, sic relicto domicilio, iter facit ad locum in quo domicilium figere decrevit : prius enim domicilium amisit, alterum nondum acquisivit, quia non comparatur solo animo, sed animo et corpore simul.

Hinc bene notanda differentia peregrinum inter et vagum, quod *peregrinus* eo animo iter facit, ut postea ad pristinum domicilium revertatur, quod proinde non amittit : *vagus* e contra domicilium reliquit animo illud nunquam repetendi. Vide Benedictum XIV, *Institut.* 33, n. 10. His præmissis,

coram parocho loci in quo actu degunt :

R. Vagi Matrimonium contrahere debent coram parocho loci, in quo morantur dum contrahunt, sicut ab illo alia Sacramenta suscipere debent.

Multi quidem non requirunt parochum loci in quo tunc morantur, pro valore Matrimonii, sed validum putant contractum coram quovis alio parocho. Attamen priori sententiæ, utpote tutiori, in praxi adhærendum est.

Quæstio 5. *Quid, si contrahentium unus sit vagus, alter vero fixum domicilium habeat ?*

quid si unus sit vagus alter non.

R. Pauci cum Van Espen et Braunman dicunt, Matrimonium necessario contrahendum esse coram parocho habentis fixum domicilium, quia Tridentinum, requirens parochum proprium, observari debet quantum potest ; vagus autem proprie non habet parochum ; ergo coram alterius parocho contrahendum est.

Communis vero sententia, cui suffragatur Benedictus XIV, loc. cit., fert quemcumque parochum, aut certe illum, in cujus parochia vagus tum versatur, valide Matrimonio assistere : cum enim vagus, ratione suæ conditionis, isto parocho tanquam proprio uti possit, hoc suum privilegium non amittit ex eo, quod alia pars proprium parochum habeat, sed hoc potius ipsi communicat propter individuitatem contractus, ut in casu simili dictum est N. 86.

Nota. Parochus cui contingit vagum habere Matrimonio jungendum, diligenter attendere debet ad sequens decretum Concilii Tridentini, Sess. XXIV, cap. VII, *De reformatione Matrimonii: Multi sunt qui vagantur, et incertas habent sedes, et, ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, aliam, et plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt. Cui morbo cupiens sancta Synodus occurrere, omnes, ad quos spectat, paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiant; magistratus etiam sæculares hortatur, ut eos severe coerceant: parochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* Observanda circa vagos.

Cum agatur de re gravi, merito advertunt Sanchez, Pontius, Salmanticenses etc., graviter peccare parochum, qui ejusmodi vagorum Matrimonio assisteret sine licentia Ordinarii, extra urgentem necessitatem. Imo duo Concilia Provincialia Mechliniensia annis 1570 et 1607 id interdixerunt sub pœna suspensionis, quam renovavit pro Diœcesi Mechliniensi Card. Sterckx, in Congregatione Decanorum anni 1851, decreto *De Sacramento Matrimonii*, § VIII.

Observa autem, hanc prohibitionem non concernere illos, qui, relicto proprio domicilio, alicubi ad tempus commorantur, dum novum adire queant, si in eo loco aut in vicinia bene cogniti sint : tunc enim ratio prohibitionis non subsistit, nec proprie tales dicuntur vagari et incertas sedes habere; adeoque, præmissis, ibi et in loco ultimi domicilii, consuetis proclamationibus, ad Matrimonium admitti possunt.

N. 90. Quales esse debeant testes Matrimonii, et qualis eorum ac parochi præsentia requiratur.

Quales debent esse testes, præter parochum in Matrimonio adhibendi ?

R. Requiritur, et sufficit, ut sint apti ad testandum quod Matrimonium coram ipsis contractum fuerit. Unde Duo sufficiunt

testes qualescumque, præter parochum;

nil refert ad valorem Matrimonii, etiamsi testes sint consanguinei, affines, mulieres, pueri, modo sufficienti usu rationis sint prædíti , imo infames, excommunicati, hæretici, infideles etc.

Ratio est, quod Concilium Tridentinum speciales in hisce testibus qualitates non requirat, ob gravia incommoda quæ alias sequerentur. Cum enim in iis facile defectus inveniri possent, frequenter dubia et lites circa valorem Matrimoniorum moverentur. Ideo præter unum testem qualificatum, parochum scilicet, cui etiam mandavit Matrimonium in libro describere, duos alios qualescumque sufficere voluit.

Qualis debet esse hæc præsentia parochi et testium ?

sed requiritur præsentia moralis,

R. Præsentia parochi et testium 1°. debet esse, non tantum physica, sed etiam moralis, ita scilicet, ut non tantum corpore adsint, sed etiam percipiant et advertant Matrimonium contrahi, et de eo testari possint : id enim requirit finis legis. Hinc non sufficit præsentia testis amentis, dormientis, plene ebrii, aut ita dispositi, ut non advertat Matrimonium contrahi. Quare ad dubium propositum ab Episcopo Giennensi : *Si sacerdos adfuerit, nihil tamen eorum quæ agebantur, vidit, neque audivit, utrum tale Matrimonium valide contrahatur,* respondit S. Congregatio Concilii : *Non valere, si sacerdos non intellexit, nisi tamen affectasset non intelligere :* quæ ultima verba explicat Benedictus XIV, *De Synodo diœcesana,* lib. 13, cap. 25, n. 10 et 11. Sufficit autem, ut testes percipiant signa externa quibus consensus præstatur, quamvis præcise verba non audiant vel intelligant, ut patet ex decisionibus S. Congregationis Concilii, relatis a Zamboni, ad v. *Matrimonium,* § 17, n. 30 et seq.

Parochus seu testis cæcus, aut surdus sufficit juxta Sanchez et plures alios. Van Espen tamen putat, parochi cæci præsentiam non sufficere, licet audiat verba, quia testari non potest, quisnam in individuo contraxerit, cum vox facile fallere possit.

Si contrahentes nequeant consensum exprimere idiomate quod parochus intelligat, adhiberi debet interpres ; unus autem sufficit , quandoquidem non ex solis verbis interpretis, sed etiam ex aliis signis et circumstantiis parocho constare potest, quod Matrimonium rite contrahatur.

2°. Præsentia parochi et testium debet esse simultanea, non successiva, ita ut simul præsentes sint dum contrahentes consensum exprimunt, quia ex mente Concilii Tridentini unius ejusdemque actus testes esse debent. simultanea,

3°. Testes, necnon parochus, debent a contrahentibus esse adhibiti in hunc finem, ut coram ipsis contrahant : si enim non attendentes ad illorum fortuitam præsentiam sponsi inter se contraherent, animo, v. g. clandestine contrahendi, Matrimonium foret invalidum, ut resolvit S. Congregatio Concilii, apud Benedictum XIV, *De Synodo* lib. 13, cap. 23, n. 5. in testimonium adhibita.

Non tamen debent esse vocati ad hoc, ut Matrimonio assistant, sed valet Matrimonium contractum coram ipsis, vocatis sub alio prætextu, imo licet casu fortuito adsint, aut vi vel metu coacti et inviti sint præsentes, modo assumantur in testes, et omnia ita coram ipsis fiant, ut certum de peractis testimonium dare queant : tunc enim vere Matrimonium contrahitur coram parocho et testibus, sicuti Tridentinum requirit, et finis legis obtinetur.

Graviter interim peccant, qui coram parocho invito, vel coacto, Matrimonium contrahunt ; gravem enim injuriam irrogant tum Ecclesiæ, cujus vices gerit parochus, tum Sacramento, quod indigne suscipiunt.

Quare Benedictus XIV advertit, loc. cit., n. 10 : « Si » parochus forte circumventus, aliove obtentu accersitus » fuerit, contrahentes serio monere debet, Matrimonia hu- » jusmodi sine gravi culpa celebrari non posse; sibi autem » dictam esse legem, ut eosdem contrahentes, si id quod » deliberarunt, reipsa perfecerint, ad Superiorem deferat, » a quo gravi pœna plectendi erunt; præterea se et animo » et voluntate a præstanda eorum nuptiis præsentia longe » abhorrere, cum hujusmodi contrahendi ratio a sacris » canonibus improbetur. At nihil necesse est aures obtu- » rare, velare faciem, aliaque hujus generis facere, quæ » ad id solum valent, ut animos contrahentium aliquando » scrupulis torqueant : qui scilicet, quamvis ut plurimum » nesciant illicita ab invalidis distinguere, adhuc tamen » non solum Matrimonium, uti destinaverant, contrahere, » sed etiam consummare non prætermittunt. »

Prudentes sint ecclesiastici, ne perniciosum hunc contrahendi modum laicis revelent.

41.

N. 91. Quando sit validum Matrimonium clandestinum, et de Matrimoniis conscientiæ.

In quibus casibus validum est Matrimonium clandestinum?

Valet Matrimonium clandestinum: 1°. inter non baptizatos,

R. Sex casus enumerari solent, quorum plerique ex antedictis liquent.

Primus casus est, si contrahatur inter duas personas, quarum neutra est baptizata: defectu enim Baptismatis, Ecclesiæ legi non subjiciuntur.

2°. ubi Tridentina lex non obtinet,

Secundus casus est, si contrahatur ubi lex Tridentina non viget, inter duas personas quarum saltem una ibi domicilium, aut quasi-domicilium habet, aut domicilium habet in alio loco similiter exempto.

3°. si hæreticus sit exemptus,

Tertius casus est, si in loco ubi hæretici sunt exempti a lege, contrahatur ab hæretico, loci illius incola, cum quavis alia persona sive hæretica sive catholica.

4°. si quis dispensatus sit,

Quartus casus est si contrahentes a Sede Apostolica obtinuerint dispensationem ad contrahendum clam, aut coram solo sacerdote.

5°. in casu convalidationis,

Quintus casus occurrit, quando Matrimonium contractum fuit coram parocho et testibus, sed invalide propter defectum occultum; tunc quidem clandestine convalidari potest, ut dicetur ubi de convalidando Matrimonio nulliter contracto.

6°. ubi nullus est parochus.

Sextus casus est, si *contrahentes ad parochum, aut superiorem legitimum, nullatenus, aut nonnisi difficillime, seu periculosissime recurrere possint;* modo hæc impotentia adeundi proprium parochum vel Episcopum, ut notat Gury, *De Matrimonio*, n. 840, sit communis in aliqua provincia, v. g. durante perturbatione aliqua politica et religiosa: tunc enim talia Matrimonia esse valida *quoties duo saltem adfuerunt testes*, declaravit Pius VI, in responsione ad Episcopum Genevensem, 5 Octob. 1793, juxta iteratas resolutiones et declarationes anteriores, quas citat. *Quoties autem*, addit, *duo saltem testes minime adfuerint, Matrimonia esse invalida, et quatenus fieri possit, esse revalidanda.*

Si in tali casu alius sacerdos haberi possit, convenit, licet non requiratur ad valorem, ut ab eo nuptialem

benedictionem recipiant. Imo, si absque sacerdotis benedictione Matrimonium jam contraxerint, adhuc adhortandi sunt conjuges, ut postea, *cum sacerdotis copiam habere possunt, ab eo benedictionem petant; qui tamen illis declarabit, hujusmodi benedictionem ad validitatem Matrimonii minime pertinere.* Ita habetur in responsis datis 22 Aprilis 1795 a Congregatione pro negotiis ecclesiæ Gallicanæ specialiter deputata. Porro observa, in illa decisione agi de benedictione solemni, quæ juxta Rituale Romanum datur sub Missa, nequaquam vero de formula quam adhibet sacerdos dum sponsi contrahunt, quæ etiam benedictio vocari jam consuevit : unde nequidem consensus renovandus est.

Nota, quod Matrimonium clandestine contractum in locis ubi viget decretum Tridentinum , nequidem vim Sponsalium habeat; uti sæpius declaravit S. Congregatio Concilii, teste Benedicto XIV, *Instit.* 46, n. 23.

Quid intelligitur per Matrimonia conscientiæ, *et an sunt valida, ac licita ?*

R. « Matrimonia *conscientiæ*, » ait Benedictus XIV, *De Synodo diœcesana,* lib. 13, cap. 23, n. 12, « ea olim esse » intelligebantur, quæ inter virum et fœminam absque » ulla solemnitate celebrabantur... At nostris hisce tem- » poribus ea dicuntur Matrimonia *conscientiæ*, quibus » vir et fœmina coram parocho, aut altero sacerdote, ab » eo, cui hæc sit auctoritas, deputato, et duobus testibus » familiaribus, sed omissis ex indulto denuntiationibus, » connubio junguntur. Omnis cura adhibetur, ut hæc » Matrimonia occulta remaneant, ad evitanda hominum » improbantium dicteria, aliasque molestias, quas facile » subirent conjuges, propterea quod alter ex iis nobilis » sit, ignobilis alter obscuræque familiæ; et quia non » palam innotescunt, Matrimonia *conscientiæ* dicuntur. » Quid Matrimonium conscientiæ.

Quandoquidem coram parocho et duobus testibus celebrantur hæc Matrimonia, procul dubio valida sunt. Quod vero liceitatem attinet , omnes consentiunt, ea regulariter esse illicita, tum quia mens Ecclesiæ est, ut Matrimonia publice celebrentur; tum quia gravia mala inde nata sunt provenire, ut quod vir postea aliam fœminam spe Matrimonii facile seducere possit, aut apud alium parochum ducere ; quod si proles nascatur , ea a mat e

amoveri debeat, ne Matrimonium innotescat, sicque minus recte educetur, etc.

Additur *regulariter*, cum, ut ait Benedictus XIV, loc. cit., n. 13, « casus certe non desint, in quibus Superior dis- » pensare necessario debet a publicis denuntiationibus, » et Matrimonia conscientiæ permittere. » Hujusmodi casus recenset laudatus Pontifex in Constit. SATIS VOBIS (Bullarii edit. Mechl. tom. 1, pag. 182,) ubi etiam cautiones exponit adhibendas, ne ejusmodi Matrimonia temere permittantur, et ut mala præcaveantur, quæ inde provenire possent.

Idem Pontifex, *De Synodo*, lib. 13, cap. 23, n. 12, etiam loquitur de Matrimoniis in quibusdam Germaniæ locis usitatis, quæ *ad morganaticam* dicuntur, quæque a viro nobili cum muliere humilioris conditionis contrahuntur coram parocho et testibus, ea conditione, ut tam mulier quam proles ex ea nascituræ solo victu gaudeant, a viri dignitate participanda, ab ejus titulis et hæreditate excludantur. Cum vero ejusmodi Matrimonia a moribus nostris aliena sint, et conditiones apponi solitæ legibus civilibus non congruant, lectorem ad præfatum opus, necnon ad Bœckn, *Comment. in jus canonicum*, lib. 4 Decretal., tit. 1, part. 2, remittimus.

N. 92. De impedimento disparitatis cultus, et de Matrimoniis mixtis.

S. Thom., Supplem. quæst. 59.

Duæ cultus, seu religionis differentiæ præcipue considerandæ sunt in re matrimoniali : illa nempe, quæ est inter personam baptizatam et non baptizatam, atque illa, quæ est inter catholicum et hæreticum : de utraque propter materiæ connexionem hic agitur.

Quodnam impedimentum dicitur cultus disparitas?

Impedimentum dirimens est inter baptizatum et

R. Est impedimentum dirimens Matrimonium contrahendum inter duas personas, quarum una est baptizata, altera non est baptizata.

Perinde est, sitne pars illa baptizata catholica, vel

hæretica, schismatica, apostata; unde tam hæretici quam catholici invalide contraherent cum Judæis, Mahumetanis aliisque infidelibus; imo et cum catechumenis jam credentibus, sed nondum Baptismo aquæ regeneratis, uti compertum esse tradit Benedictus XIV, in epist. ad Card. Eboracensem. non baptizatum

Quo jure cultus disparitas dirimit Matrimonium?

R. Licet ejusmodi Matrimonia passim sint illicita jure naturæ, ob periculum perversionis, tum partis fidelis, tum prolis nascituræ, equidem non nisi jure ecclesiastico sunt invalida. jure ecclesiastico.

Videtur hoc impedimentum consuetudine sensim introductum fuisse, cum nulla extet generalis lex irritans; neque constat quo præcise tempore consuetudo illa cœperit esse generalis.

Rationes cur impedimentum hoc introductum fuit, sunt: periculum perversionis et molestiarum in exercitio religionis, tum quod indignum videretur quod membra Christi miscerentur idolorum cultoribus, aliisve christiani nominis hostibus.

Rem optime sic exponit Moser, *De impedimentis Matrimonii,* cap. 12: « Talia conjugia inter fidelem et infidelem » regulariter et ordinarie ab initio Ecclesiæ, ut illicita habita fuerunt, ob periculum subversionis, quod inde imminet, sive conjugi sive proli nascituræ. Hoc imprimis » deducitur ex Apostolo, 1 Cor. VII, 39, ubi de christiana » vidua ait: *Cui vult nubat: tantum in Domino.* Item, II Cor. » VI, 14, ubi monet fideles: *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras?* Quæ verba a variis » SS. Patribus, aliisque sacræ Scripturæ interpretibus, de » Matrimonio cum infideli non contrahendo intelliguntur. » Idem confirmatur ex variis Conciliis, quæ citantur apud » Natalem Alexandrum, art 8, n. 2. Ecclesia tamen per » plura sæcula, quamdiu scilicet Christiani fere ubique » adhuc inter innumeros infideles degebant, ea irrita non » declaravit; sed potius toleravit, maxime quando, remoto seductionis periculo, spes aderat convertendi ipsum » conjugem infidelem, vel aliud bonum procurandi: uti » colligitur ex factis variarum sanctarum mulierum, quæ » viris ethnicis nupserunt, eosque ad fidem catholicam

» adduxerunt. Sic v. g. S. Cæcilia nupsit Valeriano, » S. Monica Patritio, S. Clotildis Chlodovæo, Francorum » regi... Quandonam autem religionis disparitas ut im- » pedimentum dirimens haberi cœperit, non satis liquet. » Hoc certum, talia conjugia sæculo XII jam ubique ut » irrita habita fuisse ; ut constat ex Gratiano, Magistro » sententiarum aliisque, qui de hoc impedimento ut in- » dubitato loquuntur.. »

I Notio

An hoc impedimento irritatur etiam Matrimonium inter partem catholicam et partem hæreticam, quod mixtum dici solet ?

Non est inter catholicum et hæreticum;

R. Negative, ut certe elucet ex constanti Ecclesiæ praxi, quæ confirmatur ex declaratione Benedicti XIV circa Matrimonia Hollandiæ, de qua supra : verumtamen sunt regulariter illicita.

Supponitur, quod pars hæretica sit valide baptizata, quia si invalide baptizata esset, impedimentum disparitatis cultus subsisteret. Cum vero sæpe dubitandum sit, an omnia essentialia in Baptismo hæretici fuerint servata, S. Congregatio S. Officii consulta ab Episcopo Aniciensi: *An Calvinistæ et Lutherani in illis partibus degentes, quorum Baptisma dubium et suspectum est, infideles habendi sint, ita ut inter eos et catholicos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur;* in suo responso 17 Novemb. 1830, has in praxi regulas proposuit; 1°. *Quoad hæreticos quorum sectæ Ritualia præscribunt collationem Baptismi absque necessario usu materiæ et formæ essentialis, debet examinari casus particularis.* 2°. *Quoad alios, qui juxta eorum Rituale baptizant valide, validum est censendum Baptisma. Quod si dubium persistat etiam in primo casu, censendum est validum Baptisma in ordine ad validitatem Matrimonii.* 3°. *Si autem certe cognoscatur nullum Baptisma ex consuetudine actuali illius sectæ, nullum est Matrimonium.*

II Illicitum

Proba Matrimonia mixta esse regulariter illicita ?

sed tale Matrimonium mixtum est regulariter illicitum,

R. Probatur 1°. Jus naturale prohibet, ne quis se suamque prolem exponat periculo amittendi fidem et salutem; atqui tali periculo regulariter se et prolem exponit, qui cum parte hæretica Matrimonium contrahit, non secus ac ille qui contrahit cum parte infideli.

Prob. 2°. S. Paulus, Tit. III, 10, Christianis jubet, ut hominem hæreticum devitent ; et I Cor. VII, 39, vult, ut

mulier vidua *nubat tantum in Domino;* atqui his monitis regulariter repugnant Matrimonia mixta.

Prob. 3°. Ecclesia Matrimonia mixta *perpetuo damnavit atque interdixit*, ut ait Benedictus XIV, in Brevi 4 Novemb. 1741 : et constat ex variis textibus sanctorum Patrum et Conciliorum, quos refert Serarius in opere cui titulus : *De catholicorum cum hæreticis Matrimonio quæstiones ;* tum ex declarationibus Summorum Pontificum, quos recenset Perrone, *Prælectiones theologicæ, De Matrimonio,* n. 274.

Prob. 4°. Ex eo quod, ut ex quadam instructione SS. Congregationum S. Officii et de Propaganda Fide ad missionarios observat Benedictus XIV, *De Synodo diœcesana,* lib. 6, cap. 5, n. 2 et 3 : « Vix unquam ac» cidere potest, ut in praxi sit innoxia catholicorum cum » hæreticis communicatio in divinis. In divinis porro » cum hæreticis communicant catholici, qui cum iisdem » sese Matrimonio jungere non dubitant. Etenim cum » Matrimonium unum sit ex septem Ecclesiæ Sacramen» tis, a Christo Domino institutis, idem est Matrimo» nium cum hæretico contrahere, ac unum idemque » Sacramentum una cum eodem vel conficere, si ni» mirum ipsi contrahentes sint talis Sacramenti ministri... » vel saltem percipere, si... illius minister sit solus » sacerdos. Utrumque autem et illicitum et sacrilegum » esse, nemo dubitat. »

Dictum fuit, Matrimonia illa *regulariter* esse illicita ; quia adductæ rationes non ita urgent, ut nunquam Ecclesia hanc prohibitionem relaxare, aut in ea dispensare possit. Etenim periculum perversionis aliquando non subsistit, aut ita remotum est, ut jure naturæ Matrimonium non reddat illicitum : imo non raro certa adest spes, fore, ut ipsa pars hæretica veram fidem amplectatur, aliaque bona ex tali Matrimonio consequantur, « Sane, » ait Perrone, op. cit., n. 266, « expe» rientia id patefecit, tum alibi, tum præsertim in » provinciis fœderatis Americæ Septentrionalis et in » Anglia, ubi horum connubiorum celebratione factum » est, ut fides catholica magnum incrementum ceperit, » ac novos in dies progressus faciat. » Nec apud nos infrequens est, ut post Matrimonium mixtum cum legitima

dispensatione contractum, non solum proles christiane educentur, sed et pars hæretica ad fidem convertatur.

ex gravi causa dispensante Ecclesia.

In his itaque casibus, gravi accedente causa, Ecclesia dispensare potest, et jam frequenter dispensare solet.

Hac autem legitima dispensatione interveniente, nulli dubium esse potest quin Matrimonium illud licitum sit, ut animadvertit cum Sylvio Benedictus XIV, *De Synodo*, lib. 9, cap. 3, n. 5. « Et licet objiciatur, » inquit, » partem catholicam hæreticæ parti occasionem præbere » profanandi Sacramentum, facile respondebitur, quod » profanatio hujusmodi per accidens, et præter catho- » licæ partis intentionem contingit : hæc enim jure suo » utens, quoad se, nihil aliud agit, quam quod ad pro- » prias rationes pertrahit voluntatem partis hæreticæ, » cui paratus jam ac certus animus est, ut Matrimo- » nium in statu peccati contrahat et contra legis præ- » scriptum, cum illud idem licite et fructuose præstare » posset, si vel ante nuptias, vel dum eas contrahit, » in Ecclesiæ gremium sese reciperet. »

Conditiones tunc observandæ.

Præterea notandum, tales exigi conditiones, quando dispensatur in Matrimonio mixto, quibus periculum perversionis partis catholicæ et prolis nasciturae efficaciter præcaveatur, si bene observentur. Quandocumque enim Sedes Apostolica dispensationem illam concedit, sequentes apponere solet conditiones :

1°. Ut pars hæretica emittat juratam obligationem permittendi educationem prolis utriusque sexus in Religione Catholica, nec impediendi conjugi filiisque liberum Catholicæ Religionis exercitium.

2°. Ut Matrimonium celebretur coram parocho et duobus testibus, juxta præscripta Concilii Tridentini, extra tamen ecclesiam et absque parochi benedictione. Cfr. N. 29.

3°. Ut Ordinarius efficaciter insinuet parti catholicæ obligationem, quam habet, curandi totis viribus acatholicæ partis conversionem. Cfr. rescriptum Pii VI ad Card. de Frankenberg, 13 Julii 1782.

Quomodo procedendum est cum illis qui Matrimonia cum hæreticis inire volunt ?

Quomodo procedendum cum

R. Responsum colligitur ex verbis Benedicti XIV, in sua declaratione circa Matrimonia Hollandiæ, 4 Novemb.

1741 : *Sanctitas sua... Episcopos omnes, Vicarios Apostolicos, parochos, missionarios, et alios quoscumque Dei et Ecclesiæ fideles ministros in iis partibus degentes, serio graviterque hortatur et monet, ut catholicos utriusque sexus ab hujusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem incundis, quantum possint, absterreant, easque nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire satagant.* iis qui illa inire volunt,

Consequenter confessarius obvium habens pœnitentem, qui vult Matrimonium mixtum inire, ipsum a proposito deterrere debet, explicando rationes quæ Matrimonium tale regulariter illicitum reddunt. Si tamen ille ob gravem rationem, seu necessitatem, velit in proposito persistere, paratus dispensationem petere, et conditiones imponendas adimplere, merito censet Card. Gousset eum absolvi posse.

Secus foret, si nulla adesset gravis ratio ejusmodi nuptias ineundi, et maxime si parentes se eis opponant.

Quoad illos qui similia Matrimonia sine dispensatione contraxerunt, servari debet quod monet Benedictus XIV, in cit. rescripto, scilicet : *Debere sibi potissime in animum inducere conjugem catholicum, sive virum sive fœminam, ut pro gravissimo scelere quod admisit, pœnitentiam agat, ac veniam a Deo precetur, coneturque pro viribus alterum conjugem a vera fide deerrantem, ad gremium Catholicæ Ecclesiæ pertrahere, ejusque animam lucrari.* aut iniecerunt.

N. 93. De officio parochi et confessarii in casu Matrimonii invalide contracti.

Quamvis proclamationes antenuptiales, aliæque cautelæ adhibeantur, ut Matrimonia rite ineantur, non raro tamen contingit, ea invalide contrahi, atque inde parochis et confessariis suboriri graves anxietates et difficultates. Hinc illis ratio præscribenda est prudenter se in dictis circumstantiis gerendi. In præsenti N. agemus de officio parochi et confessarii in casu Matrimonii invalidi; in sequenti, de modo convalidandi Matrimonium nulliter contractum.

III. 42

Ad quid tenetur parochus aut confessarius, sciens Matrimonium subditi vel pœnitentis esse nullum ?

Quid aget parochus aut confessarius si subditus vel pœnitens cognoscat Matrimonii sui nullitatem;

R. Varii casus hic distingui debent :

1°. Vel subditus aut pœnitens certo scit Matrimonium suum esse nullum; tunc moneri debet, ut tam a redditione quam a petitione debiti, et omni actu venereo abstineat : formale enim luxuriæ peccatum committeret; quod nec ob infamiæ, scandali, aut etiam mortis periculum excusari potest. Unde vel separari debent partes, vel tanquam frater et soror simul habitare, donec Matrimonium rite convalidatum fuerit. Si interim ex cohabitatione immineret grave periculum lapsus, aut timendum esset ne compars nullitatis ignara debitum exigeret, conjux meliori quo possit modo, huic periculo et aliis oriundis malis se subtrahere debet, vel alteri nullitatem manifestando, vel si hoc prudenter fieri non possit, prætextum quærendo, seu negotiationis, seu sanitatis etc., ad instituendum iter, aut alibi pernoctandum ; causam aliquam servandæ continentiæ allegando, etc., prout fert conditio et vivendi ratio personarum.

quid si dubitet;

2°. Vel subditus aut pœnitens dicit, se dubitare de valore Matrimonii : tunc petatur ex quo motivo dubitet. Si motivum alleget, ob quod Matrimonium revera est nullum, regulariter de nullitate hac instruendus est, ac monendus, ut in præcedenti casu. Si vero indicet motivum infundatum, tunc, nisi absit omne periculum in declaratione veritatis, de quo sub 3°. sequenti, dici debet, quod ex allegato motivo infundate dubitet, et dubium deponere possit, quamvis, ut supponitur, confessarius cognoscat Matrimonii nullitatem.

quid si ignoret.

3°. Vel subditus aut pœnitens penitus ignorat nullitatem Matrimonii; tunc distinguendum est, an impedimentum sit publicum, vel occultum.

Primo, si impedimentum jam sit publice notum, parochus, seu confessarius debet ipsum certiorem facere de impedimento et obligatione convalidandi Matrimonium, ac monere, ut interim a concubitu abstineat, ut supra.

Ratio est quod ad revelandum cogit necessitas obviandi scandalo.

Secundo, si impedimentum sit occultum et subditus aut pœnitens versetur in bona fide, ipse moneri aliquando debet, aliquando non.

Moneri debet, juxta omnes, si affulgeat spes boni successus, nec graviora mala secutura timeantur; quia ignorantia illa producit peccata saltem materialia, aliaque damna infert, quæ parochus et confessarius in subditis impedire debent, ubi timor gravioris mali non obstat.

E contra moneri non debet nec potest, si non affulgeat spes boni eventus, vel si graviora mala inde timeantur.

Ratio est quod non obligemur ad actus inutiles, nec præsertim ad noxios. Deinde quod e duobus malis minus sit eligendum : jam vero minus malum sunt peccata materialia, quæ conjuges committunt, quam formalia, quæ moniti committerent.

Porro mala quæ ex revelatione nullitatis Matrimonii quandoque merito timentur, sunt præcipue sequentia :

Mala ex revelatione timenda.

1°. Quod vir intelligens se liberum esse, Matrimonii pertæsus, aut uxorem et prolem ægre sustentare valens, eos deserat cum publico scandalo, ac etiam in regionem longinquam cum gravi salutis periculo discedat.

2°. Quod vir, aut ipsa quoque mulier, Matrimonium convalidare recusent, et deinceps in formali concubinatu vivant.

3°. Quod alias nuptias ineant partes cum publico scandalo, inimicitiis familiarum, aliisque funestis sequelis.

Nota. Quando parochus aut confessarius judicat monendos esse conjuges de impedimento, aliquando expedit differre monitionem, donec obtenta fuerit dispensatio, ut, hac obtenta, facilius obsequantur monitis. Sic potest haberi ratio sufficiens differendi monitionem, licet non sufficiat ad penitus omittendum. Quando autem moneri non possunt, aliquando peti poterit occulta convalidatio per sanationem in radice. Vide N. 102.

Quid, si pœnitens, qui, juxta dicta, de nullitate Matrimonii sui moneri non potest, confiteatur, se negasse debitum ex ira vel alia causa indebita ?

Quid si pœnitens negaverit debitum.

R. Confessarius respondeat, illum peccasse, et de cætero ex hac causa debitum negari non posse. Non tamen potest directe ei suadere copulam maritalem, quia non licet proximum inducere ad peccatum, etiamsi materiale tantum.

Nota, quod laici, scientes Matrimonium aliquod esse nullum, raro per seipsos possint monere conjuges ignaros,

quia facile majoribus malis occasionem præberent; obligationi autem suæ satisfaciunt, conjugum parocho aut confessario rem manifestando. Hi vero cavere debent, ne similibus denuntiationibus temere credant; neque ipsi monere unquam debent aut possunt conjuges, nisi constet Matrimonium esse nullum, aut saltem fundatum dubium de illius valore subsistere.

N. 94. De convalidatione Matrimonii nulliter contracti.

Prænotandum. Omnes casus nullitatis ad tres classes hic commode reducuntur : vel enim 1°. Matrimonium est invalidum, quia parochus et duo testes non adfuerunt, adeoque defuit forma seu ritus substantialis in locis ubi obligat Tridentinum ; vel 2°. quia sive unus, sive uterque conjux debitum consensum non præbuit ; vel 3°. quia licet forma substantialis servata et verus consensus datus fuerit, suberat impedimentum aliquod dirimens. De tribus his casibus per tres distinctas quæstiones disseremus.

Quæstio 1. *Quomodo convalidari debet Matrimonium nullum ob defectum præsentiæ parochi aut testium ?*

Quomodo convalidandum Matrimonium 1°. si irritum sit ob clandestinitatem ;

R. 1°. Si ambo sint dispositi ad novum consensum præstandum coram parocho aut sacerdote delegato et duobus testibus, tunc nulla est difficultas ; sed, facta prius separatione quoad habitationem, aut saltem quoad thorum, secundum quod circumstantiæ exigunt, et præmissa sacramentali confessione, præmissis etiam, si nil obstet, proclamationibus, more consueto Matrimonium coram parocho et duobus testibus celebrandum est. In proclamationibus autem, uti etiam in tempore antemeridiano, ipsoque loco sacro dispensatio peti potest, si ob justas causas hæ solemnitates omittendæ videantur.

Etiam aliquando, consulto prius et annuente Ordinario, ad sic contrahendum coram parocho admittendi sunt, licet una pars renuat confiteri, modo altera velit se rite præparare, et non obsit perversionis periculum ; in gratiam scilicet partis bene dispositæ, ad legitimandam

prolem, et auferendum scandalum ex concubinatu oriundum. Cfr. dicta N. 29.

2°. Si, una parte bene disposita, altera nullo modo adduci possit ut coram parocho se sistat, neque per se, neque per procuratorem, neque per litteras, velit tamen in Matrimonio permanere, remedium esse posset dispensatio in lege Tridentini requirente præsentiam parochi et testium, ut valeant consensum secreto renovare. Sed concedi non solet hæc dispensatio, ait Carrière: unde restat, ut petatur dispensatio in radice; de qua vide N. 102.

Quæstio 2. *Quomodo revalidandum est Matrimonium, quod fuit invalide contractum ob defectum debiti consensus unius vel utriusque contrahentium?*

Casus est si alter vel uterque consenserit ficte tantum, aut ex errore substantiali, aut non sui compos, vel sub conditione repugnante substantiæ Matrimonii, vel ex metu gravi injuste incusso in ordine ad extorquendum consensum: talis enim consensus coactus in jure pro nullo reputatur. 2o. si iritum sit defectu consensus,

R. 1°. Si Matrimonium invalidum est ob defectum consensus utriusque partis, certum est quod utraque pars novum consensum præbere debeat; cum enim utriusque consensus fuerit nullus, perinde est ac si nihil actum fuisset. Idem communiter dicunt, pro casu quo defectus consensus unius jam esset alteri conjugi notus. ex parte utriusque,

2°. Si defuit consensus unius tantum, probabilius sufficit ut hic solus consensum suppleat. ex parte unius tantum;

Equidem non desunt auctores graves cum Pontio docentes, ad convalidandum Matrimonium necesse esse, ut ambo consensum renovent; quia, aiunt, neuter posuit consensum requisitum: non ille qui ficte, aut ex metu consensit, ut patet; neque ille qui serio et libere consensit, quia non voluit se obligare, nisi sub conditione, quod similiter se obligaret compars; ea est enim natura contractus onerosi. Porro si consensus partis serio contrahentis ab initio invalidus fuit, dici non potest, quod virtualiter perseveret, et, accedente jam valido consensu alterius, revalidetur Matrimonium; adeoque necesse est, ut consensus amborum renovetur.

« Secunda tamen communis et verior sententia, » ait S. Alphonsus de Ligorio, n. 1114, « docet, sufficere, quod

» tantum ficte consentiens, vel metum passus suum ponat » consensum et hanc tenent Less., Nav.... Hanc senten- » tiam expresse tenet etiam S. Thom., Supplem. quæst. 47, » art. 4, ad 2, ubi dicit: *Ex consensu libero illius qui primo » coactus est, non fit Matrimonium, nisi in quantum con- » sensus præcedens in altero adhuc manet in suo vigore, » unde si dissentiret, non fieret Matrimonium.* Ergo, per- » severante consensu alterius, sufficit si coactus liberum » ponat consensum. »

Dein confirmat hanc sententiam ex variis textibus juris et rationem sequentem subdit :

« Ratio autem nostræ sententiæ est, quia certum est, » quod in contractu Matrimonii non requiritur simultas » physica consensuum sponsorum, sed sufficit moralis, » nempe si consensus unius moraliter perseveret, dum » ponitur consensus alterius. In nostro autem casu ideo » Matrimonium fuit nullum, quia defuit consensus metum » passi vel ficte consentientis ; ergo cum jam præcesserit » verus consensus alterius, et virtualiter perseveret per » cohabitationem etc., satis est, quod accedat consensus » istius metum passi, vel ficte consentientis, expressus » aut per verba, aut per signa, nempe per copulam ma- » ritalem, aut voluntariam cohabitationem. »

« Nec valet dicere, quod consensus alterius, qui fuit li- » ber a metu vel fictione, fuit nullus, cum nullus adfuerit » contractus; nam respondetur, quod, licet contractus fue- » rit nullus, et consensus illius non habuerit effectum, » tamen fuit verus consensus, et ideo cum ipse morali- » ter perseveret, satis est ad revalidandum Matrimonium, » quando accedit consensus alterius qui ficte consensit, » pariter ac si iste distulisset suum dare consensum, et » postea jam præstasset. »

« Neque obstat, ait Cuniliati, timor, ne pars quæ libe- » rum consensum præstitit, si rursus esset requisita de novo » consensu, forte illum negaret ; nam hic interpretativus » dissensus non est verus dissensus, sed interim consensus » olim impertitus jam perseverat. »

« Quidquid autem opponatur in contrarium, ego non » video, quomodo possit responderi ad canones supra re- » latos, et præsertim ad secundum in cap. *Ad id, De Spon- » sal.*, ubi casus fuit, quod puella quædam, cum prius

» nuptias contraxisset sine suo consensu interno, et deinde, » cum illas ideo invalidas censuisset, ad secundum trans- » ierat conjugium ; sed quia per longum tempus cum » primo viro cohabitaverat, Pontifex præcepit, ipsam co- » gendam ad primas nuptias redire, dum præsumebatur, » quod per illam cohabitationem jam suum consensum » præstiterit. *Quamvis ab initio* (repetamus verba textus) » *invita fuisset ei tradita, tamen quia postmodum per annum* » *et dimidium sibi cohabitans consensisse videtur, ad ipsum* » *est cogenda redire.* Papa igitur pro vera non habuit ratio- » nem primæ sententiæ, scilicet, quod consensus libere da- » tus a viro esset eo casu per se invalidus, tanquam cadens » supra materiam inhabilem; sed potius pro vero judicavit, » quod ille viri consensus, moraliter perseverans, et deinde » conjunctus cum consensu a muliere per suam cohabita- » tionem præstito, jam primum Matrimonium convalidas- » set, et ideo jussit, quod mulier ad illud redire tenetur.» Ita S. Doctor, loc. cit., ubi merito etiam observat, quod ut metum passus legitimum ponat consensum, requiratur, ut sciat prius Matrimonium invalide fuisse initum, alioquin enim non esset novus consensus sed prioris invalidi con- tinuatio.

Interim, cum prima sententia non videatur probabilita- te carere, tum propter rationem allegatam, tum propter auctoritatem doctorum qui illam tenent, cumque agatur de valore Sacramenti, adeoque tutior sententia sequenda sit, quantum fieri potest, in praxi illa prima sententia tenenda est, ut ipse S. Alphonsus, in opere *Homo Apostolicus*, citans Benedictum XIV, *Instit.* 87, n. 69, insinuat.

Igitur, ut dicit Gury, consensus utriusque, quoad fieri potest, obtinendus est, et tantum sufficeret renovatio con- sensus unius partis, si altera pars de nullitate Matrimonii ob graves causas certior fieri non posset.

Quæstio 3. *Quid faciendum, si Matrimonium fuit invalide contractum, non ob clandestinitatem aut defectum consensus, sed quia suberat aliud impedimentum dirimens inter con- juges ?*

R. 1°. Si impedimentum sit ex eis in quibus Ecclesia non dispensat, ut consanguinitas in primo gradu, ligamen, etc., nulla via est Matrimonium convalidandi. Equidem si conjuges invincibiliter ignorent impedimentum, in bona

3°. si irri- tum sit ob aliud im- pedimen- tum:

fide aliquando relinqui possunt, ad præcavenda majora mala, juxta dicta N. præc. Si vero nullitatem Matrimonii sui cognoscant, separandi sunt quoad thorum, et etiam quoad cohabitationem, si sine periculo proximo labendi non possint habitare simul tanquam frater et soror, aut si scandalum ex cohabitatione oriatur, quia nullitas Matrimonii publice nota est.

2°. Si impedimentum tale sit, in quo dispensare solet Ecclesia, curandum est, ut quantocius dispensatio procuretur et executioni mandetur, juxta dicenda N. 98 et sequentibus.

an, obtenta dispensatione non in radice,

Notandum vero hic est, duplici distincto modo in tali casu posse tolli impedimentum : nempe per dispensationem ordinariam, et per dispensationem quam vocant *sanationem in radice.*

Per sanationem in radice impedimentum auctoritate suprema Romani Pontificis sic tollitur respectu consensus antea præstiti a conjugibus, ut, obice sublato, consensus ille incipiat effectum producere et contractum perficere. Adeoque tunc validum fit Matrimonium independenter ab omni novo consensu præstando. Hic autem modus dispensandi extraordinarius est, neque adhiberi solet nisi ob urgentem et gravissimam causam, propter quam ordinarius modus convalidandi Matrimonium impossibilis aut nimis difficilis est.

sed ordinaria,

Ordinarie itaque dispensatio in impedimento tantum conceditur cum respectu ad novum consensum a conjugibus præstandum.

Hinc quæstio oritur inter theologos : an tunc omnino requiratur, ut uterque conjux novum ponat consensum, et an idcirco necessarium sit, ut conjux impedimenti ignarus, prius certioretur de conjugii nullitate.

Quæstio autem expendi potest, vel spectata tantum rei natura, vel spectata praxi et ordinatione sacræ Pœnitentiariæ. Unde

Petitur 1°. *An spectata tantum rei natura, requiritur, ut, obtenta dispensatione, uterque conjux novum consensum præstet?* super impedta - juris ecc.

ex rei natura requiratur novus

R. 1°. Si impedimentum unam tantum partem attingat et inhabilem reddat, ex natura rei videtur sufficere renovatio consensus partis illius inhabilis, cum consensus

alterius fuerit de se validus, et nunc censeatur perseverare: unde videtur idem dicendum, ac pro casu quo Matrimonium est invalidum propter defectum consensus unius tantum. Hinc si fidelis duxerit non baptizatam, quæ ignorat impedimentum, sufficeret ut, cessante infidelitate, aut obtenta dispensatione, fidelis renovet consensum, quia consensus infidelis fuit validus, cum Ecclesia non potuerit ipsi imprimere inhabilitatem personalem. Ita Daelman, Carrière etc. consensus utriusque,

An idem obtinere possit in aliis impedimentis, præter impedimentum disparitatis cultus, non convenit inter auctores.

2°. Si vero impedimentum afficiat utramque partem, uti solet, quidam adhuc putant, sufficere posse novum consensum, internum simul et externum illius qui solus impedimentum noverit. Hic enim consensus, aiunt, accedens ad consensum alterius olim præstitum et de jure naturæ validum, licet impeditum jure positivo, nunc autem, sublato impedimento, perseverantem, et in vita conjugali manifestum, jam sufficit ad effectum suum consequendum et contractum perficiendum.

Communiter autem requirunt, ut uterque consensum renovet. Ratio, quia simplex dispensatio tantum habiles reddit conjuges in ordine ad novum consensum validum præstandum; non autem in ordine ad priorem consensum, qui manet ita impeditus ut nunquam effectum producere possit, et in eo præcise, aiunt isti auctores, differt simplex dispensatio a sanatione in radice, quæ impedimentum aufert in ordine ad anteriorem consensum.

Petitur 2°. *An necessarium est, spectata sola rei natura, ut conjux, impedimenti ignarus, de nullitate prioris conjugii certioretur, antequam ab eo novus consensus exquiratur?*

R. Ex natura rei videtur sufficere, quod ille conjux simpliciter det novum consensum de præsenti, v. g. pro casu quo forte prior non fuisset sufficiens, aut in quantum hic et nunc valere potest novus ille consensus, licet ipse putet priorem contractum fuisse validum, et nequidem suspicetur subesse impedimentum. Unde satis esset si diceret: *Volo* (non vero: *vellem*) *te accipere in conjugem, si forte non valeat nostrum Matrimonium.* et certioratio compartis;

Hic enim consensus conditionatus, jam purificata

conditione, æquivalet absoluto. Error autem quo putat prius Matrimonium fuisse validum, est mere accidentalis, siquidem supponitur ita dispositus, ut hic et nunc, et independenter a priori, velit novum præstare consensum.

Petitur 3°. *Quid requiritur ex praxi sacræ Pœnitentiariæ, ad quam pertinet dispensationes concedere in impedimentis occultis?*

an ex ordinatione S. Pœnitentiariæ:

R. Sacra Pœnitentiaria, tutioribus sententiis adhærere consueta, ut ait Benedictus XIV, in suis rescriptis constanter exigit renovationem consensus utriusque conjugis, et hanc clausulam addit : altera parte *de nullitate prioris consensus certiorata.*

Nonnulli, dicit Benedictus XIV, *Instit.* 87, n. 67, solam instructionem, non vero conditionem illis Pœnitentiariæ verbis contineri censuerunt, quæ proinde prætermitti possit, quando gravia inde timentur incommoda.

Ipse vero hoc rejicit, n. 68 : « Nam, » inquit, « certissimum est inter jurisperitos, quod vera conditio ex *abla-*» *tivo absoluto* consequitur. » Et concludit : « Qua de re » prætermitti non potest, licet gravissima incommoda » modo exposita interponantur. » Si tamen talia sint incommoda propter quæ omnino non possit propalari Matrimonii nullitas, n. 80 sentit « ad Majorem Pœnitentia-» rium confugiendum esse, eo pacto, quo delegatus, si » ob aliquam difficultatem exequi præscriptam legem ne-» queat, delegantem adire debet, ejusque voluntati et con-» silio acquiescere. Quippe Major Pœnitentiarius magnis » illis difficultatibus fortasse adductus, aut aliquid de se-» veritate remittet, aut facultates a Pontifice necessarias » postulabit, qui... etiam ob consensum naturalem initio » præstitum, dispensare potest, si velit, a renovando con-» sensu. »

Hæc igitur praxis generatim, et quandocumque fieri potest, sequenda est.

quid in casu urgentis necessitatis

Si tamen, obtenta ordinaria dispensatione, ab una parte nullitas Matrimonii revelari non possit, ob periculum mortis inferendæ, gravis infamiæ, aut scandali ex separatione secuturi etc., ab alia vero parte recursus ad obtinendam dispensationem in radice haberi non possit, quia conjux impedimenti conscius non potest tamdiu differre redditionem debiti, satis esset, compartem nullitatis

ignaram meliori possibili modo perducere ad novum consensum præstandum. In tanta enim necessitate non censetur Pontifex velle urgere prædictam conditionem, et, ratione necessitatis, licitum est etiam cum periculo frustrationis Sacramenti sequi opinionem tantum probabilem. Cfr. S. Alphonsum, n. 1116.

Hinc varios modos proponere solent theologi, quibus pro variis circumstantiis uti quis posset ad eliciendum compartis consensum. Unde

Petitur 4°. *Quibus modis compars ignara impedimenti potest perduci ad legitimum consensum præstandum?*

Varii modi perducendi compartem ad consensum præstandum.

R. 1°. Primus et omnium securissimus modus est, si parti ignoranti declaretur aperte invaliditas Matrimonii et consequenter ipsa inducatur ad Matrimonium de novo contrahendum. Hic modus servandus est, quando nullitas Matrimonii indicari potest absque timore et periculo graviorum malorum, quæ passim inter pios non sunt timenda. Hac ratione etiam certo impletur conditio illa sacræ Pœnitentiariæ : *altera parte de nullitate prioris consensus certiorata.*

Notandum vero, minime requiri, ut causa nullitatis, seu impedimenti, detegatur ; imo si causa sit infamans, seu criminosa, caute celari debet : in tali enim casu solet addere S. Pœnitentiaria : *Sed ita caute, ut latoris delictum nusquam detegatur,* aut similia.

Si ignorans causam, illam peteret, posset alter sine mendacio dicere, se initio invalide consensisse, vel non dedisse consensum debitum seu sufficientem, et propterea monitum fuisse a confessario, quod consensus ab utroque renovandus sit. « Neque a veritate abhorreret, » ait Benedictus XIV, *Institutione* 87, n. 78, « si impe- » dimenti conscius affirmaret, primo Matrimonio se ne- » quaquam consensisse. Nam verus consensus appellari » nequit, qui rite præstitus non fuit. »

Cum tamen primus hic modus sine periculo non semper adhiberi possit, ad alios aliquando est recurrendum,

2°. Secundus itaque modus est, ut alteri non declaretur nullitas Matrimonii, sed tantum suspicio seu dubium de eo suscitetur, ut si dicat, se anxiari circa consensum olim præstitum, se audivisse a confessario aliquid defuisse, quominus gratias Sacramenti susceperint,

atque idcirco opus esse novo consensu, ut anxietates tollantur, et gratiæ recipiantur. Addat vero hæc aut similia : *Propterea ego non attendo ad ea quæ tunc acta fuerunt, et jam de novo consentio in Matrimonium, et accipio te in conjugem : numquid facis tu idem respectu mei?* Si ille annuat, aut respondeat *ita*, habetur utrimque novus consensus.

Equidem sic non stricte verificantur illa verba, comparte de nullitate prioris consensus *certiorata*, cum non certa, sed tantum dubia reddatur ; sed cum equidem novus præstetur consensus a priori independens, adeoque finis propter quem illa conditio apponitur, obtineatur, plerique, contra Continuatorem Tournely aliosque, hunc modum legitimum putant, ac sufficienter, seu in æquivalenti impleri mentem S. Pœnitentiariæ censent.

3°. Tertius modus est, ut compars caute et prudenter inducatur ad novum consensum conditionatum, quin vel certitudo vel dubium ingeratur de nullitate prioris consensus : v. g. pars nullitatis conscia dicat : *Ita tibi addictus sum, ut si non essemus Matrimonio juncti, vel illud ex aliqua causa foret nullum, nihilominus te acciperem in conjugem, imo de facto ita te accipio; numquid et tu similiter facis?* Si dicat *ita*, novus utrimque habetur consensus, æquivalens absoluto, cum conditio verificetur, et independens a priori, siquidem ponatur in hypothesi quod ille sit nullus. Unde multi hunc aut similem modum consensus conditionati etiam probant, et intentioni S. Pœnitentiariæ satisfacere putant, licet nullo modo detegatur nullitas prioris consensus.

4°. Quartus modus a Sanchez, Salmanticensibus, Reiffenstuel etc. assignatur, si pars conscia nullitatis, sublato prius impedimento, blandiendo eliciat a comparte novum consensum, dicendo v. g. : *Volo tibi firmius conjungi ; propterea de novo tecum contraho Matrimonium, quantum valeo ; numquid et tu idem facis?* vel : *Rogo, ut pro mea consolatione me de novo in conjugem accipias, sicut ego modo facio.* Si alter annuat, videtur utrimque novus præstari consensus, a priori independens.

Attamen S. Alphonsus de Ligorio, n. 1117, dicit de hoc modo : « Hunc jure merito non admittit Continuator » Tournely, quia per hunc nulla ingeritur in alterum

» notitia, nec dubium de nullitate primi Matrimonii.» Hæc ratio, ut patet, militat etiam contra modum præcedentem. (Sed multi existimant, hanc notitiam nullitatis non essentialiter requiri ad valorem contractus, modo novus consensus eliciatur a priori independens.

Verumtamen in quarto hoc modo timendum merito, ne putatitius conjux potius intendat priorem consensum confirmare, quam novum ab eo independentem ponere. Nihilominus si periculum appareret in præcedentibus modis, hunc in necessitate adhiberi posse, censent multi.

5°. Imo si ex præfatis modis nullus secure adhiberi possit, quia v. g. prævidetur, quod compars potius dissensum quam consensum exprimeret, aut pessimam conciperet suspicionem; tunc restat quintus modus, quem præcedenti quæstione indicavimus. Nimirum, ut pars impedimenti conscia, eo sublato, sola renovet consensum interne et externe, v. g. animo conjugali compartem debitum exigentem cognoscendo, atque sic cum alterius consensu virtualiter perseverante, et quasi in actu exercito per conjugalem usum se manifestante, contractum perficiat.

Cfr. S. Alphonsum de Ligorio, loc. cit., ubi hunc modum in defectu alterius et ob periculum gravis damni adhiberi posse docet, additque : « Neque tunc obstat clau» sula certiorationis, quæ apponitur a S. Pœnitentiaria, » quia (ut ait Tiburt. Navar. apud Benedictum) in hoc » casu necessitatis censetur S. Sedes relaxare præfa» tam conditionem, providendo meliori modo quo potest » bono animarum, cum talis conditio tunc sit moraliter » impossibilis executioni. In hoc igitur casu licite potest » hic modus in praxim deduci, cum valde probabile sit » (ut ostendimus n. 1114) sufficere consensum partis con» sciæ impedimenti expressum per copulam conjugalem » cum consensu alterius virtualiter perdurante. »

Consequenter ad hanc sententiam, non improbabile putat Daelman, per consensum virtualiter perseverantem in vita conjugali post obtentam dispensationem, v. g. per confessarium, convalescere Matrimonium inter duos qui ambo ignorant impedimentum seu nullitatem conjugii sui, quia consensus sic virtualiter perseverans post dispensationem, tam externe quam interne, æquivalet novo consensui post dispensationem elicito.

Petitur 5°. *An, in casu Matrimonii invalidi propter impedimentum dirimens, novus consensus præstari non debet coram parocho et testibus, ubi obligat lex Tridentina, etsi jam coram ipsis contractum fuerit?*

Quando renovari debeat consensus coram parocho et testibus.

R. Aliquando ita fieri debet, aliquando non. Hinc 1°. Si nullitas Matrimonii sit publica, juxta omnes, Matrimonium revalidari debet coram parocho et duobus saltem testibus; quia tunc per parochum et testes qui priori contractui invalido astiterunt, de Matrimonio non satis constat Ecclesiæ, cum publicitas contraria eorum testimonium enervet.

2°. Si nullitas Matrimonii non sit publica, attamen in foro externo plene probari possit, quia v. g. duo habentur testes omni exceptione majores qui impedimentum ex certa scientia attestari queant, Sanchez et Pyrrhus Corradus etiam novam præsentiam parochi et testium requirunt. Ratio eorum est, quod ex occulta revalidatione in casu, sequi possent omnia incommoda, ad quæ vitanda impedimentum clandestinitatis introductum fuit.

Melius tamen et communissime dicunt alii, Matrimonium occulte convalidari posse, si nullitas non timeatur publicanda aut ad forum externum deferenda, licet a duobus testibus probari possit, vel etiam quatuor aut quinque nota sit. Ratio est, quod hæc videatur esse mens Ecclesiæ, patens ex praxi S. Pœnitentiariæ, quæ impedimentum tam paucis notum censet occultum, atque in eo dispensans partibus concedere solet, ut *uterque inter se de novo secrete ad evitanda scandala contrahere valeat*. Cfr. Benedictum XIV, cit. *Institutione* 87, n. 44, 45 et 62.

Dictum est: *Si nullitas non timeatur publicanda,* quia idem Pontifex ex Navarro et Thesauro, ibid., n. 45, monet confessarium, ut abstineat ab exequendo dispensationem, si prudenti conjectura intelligat post breve tempus futurum esse publicum, quod a paucis antea cognoscebatur.

5°. Si alteruter testis, vel ipse parochus priori Matrimonio assistens, extra confessionem cognoverit impedimentum, dum contrahebatur, Sanchez aliique affirmant, iterum contrahendum esse coram parocho et testibus, quia tunc fuerunt testes, non valoris, sed potius nullitatis talis Matrimonii.

Alii vero negant, quia assistentia parochi et testium fuit præscripta a Tridentino, non tam ad testandum validitatem Matrimonii, quæ multipliciter potest eis esse ignota, quam ad probandam externam Matrimonii celebrationem, ut periculo obvietur, ne iidem conjuges alias nuptias ineant.

« Utraque sententia, » ait S. Alphonsus de Ligorio, n. 1112, « est probabilis, sed secunda videtur probabilior; » Concilium enim, Sess. XXIV, cap I, requirendo assisten- » tiam parochi et testium, jam causam exprimit, ne quis » fraudulenter plura contrahat conjugia, et minime in- » dicat velle amplius, ut testes certiorentur de Matrimonii » valore ; et cur ? Quia, ut aiunt Salmantic., Ecclesia non » adducit testes ad probandum valorem Matrimonii, sed » celebrationem illius externam. » In necessitate igitur hanc sententiam sequi licet, extra necessitatem vero prior, utpote tutior, in praxi sequenda est. Cfr. Gury, *De Matrimonio,* n. 899, edit. Roman. 1869.

4°. Si nullitas Matrimonii sit ita occulta, ut nequidem in foro externo probari posset, tunc certo sufficit, ut consensus secreto renovetur, etsi quidam olim contrarium senserint, ut videri potest apud S. Alphonsum, n. 1110.

Ratio est, quod lex Tridentina hunc casum non comprehendat ; quia per parochum et testes qui priori contractui adfuerunt, satis Ecclesiæ constat de Matrimonio, ad impediendum secundum Matrimonium, quod iidem conjuges vellent attentare, adeoque mala, quæ ex clandestinis Matrimoniis oriebantur, hic locum non habent.

Idipsum etiam declaravit S. Pius V apud Navarrum, *Manuale confessarii,* cap. 22, n. 70, et ab eo tempore, ait Pyrrhus Corradus, abiit in stylum S. Pœnitentiariæ, ut dum dispensat in impedimento occulto, adjiciat clausulam supra citatam, ut conjuges Matrimonium inter se *secrete ad evitanda scandala contrahere valeant.* Accedunt declarationes S. Congregationis Concilii apud Benedictum XIV, *Instit.* sæpius cit., n. 63. Responsum quoddam Clementis VIII in contrarium urget Pontius; vide quid opponat illi S. Alphonsus de Ligorio, n. 1110.

Nota 1°. Si ab Episcopo dispensetur super impedimento occulto, vi facultatis extraordinariæ, vel quia necessitas v. g. non patitur moram recurrendi ad S. Pœnitentiariam, Notanda.

eadem manet resolutio : sive quia facultas in casu, obtenta dispensatione, contrahendi occulte, derivatur ex mente Concilii Tridentini, sive quia dum devolvitur ad Episcopum potestas dispensandi, simul devolvitur facultas concedendi ut secrete Matrimonium renovetur.

Nota 2°. Curandum est, quantum fieri potest, ut conjuges sint in statu gratiæ quando consensum renovant, etsi occulte fiat, cum tunc Sacramentum suscipiant.

Nota 3°. Monet Benedictus XIV, *Institutione* cit., n. 64, quod, dum S. Pœnitentiaria Matrimonium secreto permittit renovari, contrahentes cogi nequaquam possint, ut testes vel parochum adhibeant, vel ipsum confessarium qui designatur ad exequendas litteras S. Pœnitentiariæ.

Nota 4°. Fulminatio dispensationis simplicis post contractum Matrimonium ad illud convalidandum, fit eadem ratione, ac si Matrimonium esset contrahendum, sive in foro externo sive in foro interno : vide N. 100. Quando autem in foro externo data fuit dispensatio, mentio illius fit in libro Matrimoniorum, sive publico, ubi publice, sive secreto, ubi secrete facta est convalidatio.

N. 95. De potestate dispensandi in impedimentis Matrimonii.

Ex iis quæ in tractatu de legibus circa legum dispensationem seu relaxationem in casibus particularibus traduntur, hic potissimum recolendum est :

Nemo dispensat in impedimentis juris divini,

1°. In lege naturali vel divina positiva, neminem posse dispensare, nisi specialem a Deo commissionem acceperit. Ex quo sequitur dispensari non posse in impedimentis erroris, amentiæ, ligaminis, et aliis quæ juris naturalis aut divini sunt. (1)

sed in iis quæ sunt juris ecclesiastici

2°. Dispensationem in lege humana quandoque necessariam esse. *Contingit quandoque,* ait S. Thomas, 1 2, quæst. 97, art. 4, *quod aliquod præceptum, quod est ad commodum multitudinis ut in pluribus, non est conveniens huic personæ vel in hoc casu, quia vel per hoc impediretur aliquod melius, vel etiam induceretur aliquod malum.*

Oportet igitur in Ecclesia dari potestatem, quæ etiam

in legibus ecclesiasticis, quibus Matrimonii impedimenta statuta sunt, dispensare valeat. Hinc petitur

Quinam possunt dispensare in impedimentis Matrimonii ab Ecclesia statutis?

dispensat solus Pontifex jure proprio;

R. 1°. Jure proprio id potest Summus Pontifex: ad ipsum enim pertinet, pro suprema qua gaudet potestate, impedimenta statuere, ut N. 59 declaratum fuit; superior autem in propria lege dispensare potest. Et quidem Pontifex dispensare potest in omnibus ejusmodi impedimentis et cum omnibus Christi fidelibus ubicumque degentibus; cum, utpote Christi vicarius et caput Ecclesiæ, jure divino habeat plenam et universalem jurisdictionem in omnes fideles ubique terrarum degentes.

Episcopi non jure proprio,

2°. Jure proprio Episcopi ab impedimentis Matrimonii dispensare non possunt: hæc enim impedimenta constituta sunt a suprema Ecclesiæ potestate, quæ in Romano Pontifice residet, et cui subsunt Episcopi; inferiores autem in legibus superioris jure proprio dispensare non possunt.

Hinc, ut observat Carrière, *Compendii* n. 221, Summi Pontifices facultatem dispensandi in impedimentis, tanquam Sedi Apostolicæ exclusive propriam, vindicare, data occasione, non omiserunt. Ita inter alios Pius IV anno 1563; dein Benedictus XIV, qui non solum quæstionem fuse discutit, sed testatur etiam, Congregationes Urbis non semel proscripsisse, tanquam falsam et temerariam, opinionem, quæ asserit, Episcopos communiter dispensare posse; item Pius VI, occasione edictorum Josephi II anno 1782; et Pius VII, in Brevi 17 Februarii 1809 ad Episcopos Gallicanos.

sed ex delegatione.

Dicitur *jure proprio*, quia in quibusdam casibus dispensare possunt Episcopi ex delegatione expressa vel tacita Ecclesiæ seu Summi Pontificis, de quo vide N. 101.

Nota 1°. Dispensationes matrimoniales, hodie valde frequentes, olim multo rariores erant. Prima dispensatio, post Matrimonium initum, scribit Carrière, loc. cit., concessa dicitur anno 1104 a Paschali II, Philippo I, regi Galliæ. Ante Matrimonium autem contrahendum, primum exemplum occurrit in dispensatione concessa ab Innocentio III, Othoni imperatori, anno 1209. Sæculo XIV frequentiores esse cœperunt. Cfr. Perrone, *De Matrimonio christiano*, lib. 2, sect. 1, cap. 3, art. 1.

Nota 2°. Quod tum in concedendis, tum in petendis dispensationibus nimius rigor, æque ac nimia facilitas, vitari debeat: primum reprobat Symmachus Papa dicens: *Legi insistere cum observantia inferret præjudicium, crudelitatem sapit:* secundum reprobat Concilium Tridentinum, Sess. XXV, cap. XVIII, *de reform.* ubi: *Frequentius legem solvere,* ait, *exemploque potius, quam certo personarum rerumque delectu petentibus indulgere, nil aliud est, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire.*

Hinc parochus vel confessarius habens subditum seu pœnitentem qui velit inire Matrimonium, cui obstat impedimentum in quo dispensari non potest, debet ipsum absolute ab eo avertere. Si vero in illo dispensari possit, ipsum quidem etiam regulariter avertere debet a tali Matrimonio ob reverentiam legibus Ecclesiæ debitam, et ob infaustos exitus quos ejusmodi Matrimonia sæpe habent, dum ex motivis mere carnalibus quæruntur; attamen si adsint circumstantiæ seu motiva, quæ Matrimonium necessarium aut utile reddunt, parochus aut confessarius, nedum diutius obsistant, opem etiam conferre possunt aut debent, ut dispensatio rite petatur.

N. 96. De justis causis dispensandi in impedimentis Matrimonii.

Ad obtinendam dispensationem requiritur justa causa:

Prænotandum. Ut legitime dispensetur in lege, requiritur sufficiens ratio, seu causa dispensandi, ut in tractatu de legibus demonstratur. Cumque impedimentum dirimens Matrimonii sit res gravis, graviter peccaret, qui sine justa causa in eo dispensaret. Imo si delegatus in lege superioris dispensaret sine justa causa, dispensatio esset nulla, ob defectum potestatis: facultas enim ipsi non est concessa, nisi pro casibus in quibus adest justa causa.

Quænam sunt justæ causæ dispensandi in impedimentis dirimentibus Matrimonii?

R. Generatim loquendo, justam causam dispensandi constituere potest, quidquid Matrimonium reddit necessarium, utile vel conveniens. Quandonam vero illud in particulari locum habeat, a superiore dispensante est

dijudicandum. Inter varias autem causas, quæ dispensantem movere possunt, et in petitione dispensationis utiliter allegantur, communiores et vere canonicæ sunt sequentes:

Prima: *Angustia loci* pro fœmina: dum nempe puella honestæ familiæ in loco ubi nata est, vel ubi habitat, propter illius angustiam, paris conditionis virum extra cognationem suam invenire non potest, ita ut, nisi nubat consanguineo, affini etc., debeat manere innupta; vel nubere tali, qui statu, conditione, aut divitiis longe inferior, vel ætate, genio, aut religione dispar sit; aut expectare, donec ab extraneo in Matrimonium postuletur. Ad hæc enim sua lege adigere non vult Ecclesia; quandoquidem tali puellæ sæpe periculosum esse possit non nubere, durum vero extra proprium locum nubere, atque consanguineorum et amicorum solatio, consilioque destitui, impares autem nuptiæ soleant esse discordiarum seminarium. angustia loci,

Hæc causa, scilicet angustia loci, teste Pyrrho Corrado, *Praxis dispensationum apostolicarum*, lib. 7, cap. 5, n. 41, usque ad annum nonum Pontificatus Pauli V passim admittebatur, non modo in locis angustis, verum etiam amplis et populosis, quinimo in magnis etiam civitatibus, ut Neapolitana, et in ipsa Urbe Roma, ex eo quod oratrices talis qualitatis esse poterant, quod respectu illarum non inveniebant in illis viros paris conditionis cui nubere possent.

Quoad *civitates* vero illam causam sustulit præfatus Pontifex, nisi forte tam parva sit civitas, ut trecentorum focolariorum numerum non excedat. Cum autem *civitas*, juxta stylum Curiæ, tantum dicatur, quæ proprium Episcopum habet, pro aliis, licet non ita angustis oppidis, uti et pro pagis, causa aliquando admittitur, dummodo verum sit, quod mulier ibi virum paris conditionis non consanguineum vel affinem, cui nubere possit, invenire nequeat.

Juxta citatum auctorem, ibid., n. 44, in supplica semper exprimendum est, *quod oratores sint ex honestis familiis*: quæ conditio tanquam causa venit verificanda. Honesta familia porro dicitur, cui nulla turpitudinis nota adhæret, etsi forte pauperes sint: si essent aliqua infamia notati, hoc in supplica esset enuntiandum.

Hæc causa solitarie sumpta olim non admittebatur in gradibus propinquis, sed solum in tertio vel quarto; cum

aliis tamen causis adjunctis etiam ad dispensandum in propinquioribus movere poterat.

Hodie propter illam solam frequenter conceduntur dispensationes in propinquiori gradu.

Nota. Si in supplica simpliciter ponatur *angustia loci,* intelligitur locus unde orta est puella, et ubi ipsa cum juvene habitat. Unde si sit angustus tantum locus nativitatis, et non locus ubi habitat, vel solus locus habitationis, et non locus nativitatis, item si juvenis sit ex diverso loco; hæc clare in supplica sunt notanda : alias in rescripto tales occurrerent termini, qui non possent verificari. Si locus nativitatis puellæ a loco habitationis differat, et ambo sint angusti, dicitur *angustia locorum.*

Locus autem hic non præcise parochia, aut pagus, seu communitas civilis dicitur ; sed agglomeratio habitantium ab aliis uno saltem milliari, seu tertia parte leucæ Belgicæ, distantium, v. g. vicus alicujus pagi a centro separatus.

defectus dotis,

Secunda causa : *Defectus dotis competentis :* dum scilicet fœmina vel nullam , vel non sufficientem dotem habet ad nubendum æquali, et consanguineus, aut affinis eam cum dote incompetenti ducere intendit. Casus subsisteret etiam, si tertius fœminam competenter dotare velit, ea conditione ut consanguineo v. g. nubat. Allegari similiter possunt alii defectus fœminæ, ut quod sit infirma, parentibus orbata etc.

ætas superadulta,

Tertia : *Ætas puellæ,* annum 24 excedens. Hæc causa sic proponitur : quod *oratrix, 24 ætatis annum excedens, hactenus virum paris conditionis cui nubere possit, non invenit.* Hæc causa, ut constat ex Pyrrho, op. cit., lib. 7, cap. 2, n. 83, olim non sufficiebat sola in gradibus propinquioribus; hodie vero etiam in illis admittitur ; nequaquam tamen pro viduis. Pro vidua autem allegari potest quod sit gravata prole seu prolibus ; hoc casu numerus prolium notetur in supplica.

evitatio litium,

Quarta : *Evitatio vel extinctio gravium litium,* aut inimicitiarum; item confirmatio pacis recenter initæ.

Hæ causæ supponunt, lites et inimicitias aliunde, quam causa Matrimonii inter oratores contrahendi, ortas, ut ex rescriptis Pontificis dispensantis patet ; ita De Justis, *De dispensationibus matrimonialibus,* lib. 3, cap. 5, n. 34.

Quinta : *Conservatio illustris familiæ;* ne scilicet defectu hæredis extinguatur ; item *conservatio bonorum in illustri familia.* conservatio familiæ,

Sexta: *Excellentia meritorum in Ecclesiam,* ratione nempe insignium laborum vel periculorum, quæ quis pro Ecclesia subiit ; item fundationum piarum quas fecit, etc. excellentia meritorum,

Septima : *Copula habita* ex vesana libidine ; idque ne mulier diffamata et innupta remaneat, et ut scandala evitentur : quod supponit delictum esse publice notum. Quod si copula habita sit, ut facilius obtineatur dispensatio, eo ipso hæc redditur difficilior, ut dicetur N. 99. Copula occulta, licet non prævideatur publice diffamanda, admittitur etiam aliquando ut ratio sufficiens dispensandi; quia v. g. puellæ interest illi nubere qui ipsam defloravit. copula,

Octava : *Nimia partium familiaritas*, sive ut aiunt, *infamia sine copula,* ob quam filia infamata et innupta remaneret. nimia familiaritas,

Nona: *Tantus oratorum affectus in invicem,* ut ab incundo Matrimonio averti nequeant, et in *incontinentiæ periculo* versentur, atque adeo hoc conjugium sit necessarium salutis remedium. periculum incontinentiæ,

Decima: *Matrimonium bona fide contractum,* idque ut evitentur damna et scandala, quæ regulariter timeri possent, si fieret separatio. Imo hæc ratio potest ad dispensandum inducere, licet fuerit mala fide contractum. Matrimonium contractum,

Undecima: *Proles nata vel concepta,* quæ una est ex urgentioribus dispensandi causis, ait Reiffenstuel. proles nata vel concepta,

Duodecima : *Matrimonium civile* jam contractum, vel fundatus timor ne illud contrahant, et deinde in concubinatu vivant, sive illam intentionem manifestaverint, sive parochus id ex circumstantiis conjiciat. Item dispensatio regia jam petita aut obtenta ad civiliter contrahendum. matrimonium civile,

Decima tertia : *Periculum fidei :* nimirum pro locis ubi multi degunt hæretici et alii a fide alieni, tanquam causa aliquando allegatur timor, ne oratrix contrahat cum uno ex ipsis, et seductionis periculum subeat. periculum fidei,

Decima quarta : Denique petitur et conceditur dispensatio *ex certis rationabilibusque causis ;* quæ tunc vocatur dispensatio *sine causa :* dum scilicet aliquis nobilis, vel ex honesta familia, sine allegatione certæ causæ, petit sine causa.

dispensationem. In hoc casu major taxa pecuniaria, in pios usus convertenda, ipsis imponitur.

Nota 1°. quod quælibet causa non sufficiat pro dispensatione in quolibet impedimento, sed major pro majori requiratur. Aliquando etiam, licet singulæ ex allegatis non sufficiant, plures tamen simul sufficiunt.

Nota 2°. quod observat S. Thomas, 2 2, quæst. 63, art. 2, ad 2, sine personarum acceptione fieri, quod facilius dispensetur cum nobilibus aut divitibus, quam cum aliis; quia salus publica magis a potentibus, quam a plebeiis dependet; et multum Ecclesiæ interest, potentiores sibi non habere contrarios, sed faventes et obligatos.

Causæ supra allegatæ ulterius explicatæ et deductæ videri possunt apud Reiffenstuel, *Appendix ad librum quartum Decretalium*; Collet, *Traité des dispenses*, part. 1, cap. 16, seu in edit. D. Compans, lib. 2, cap. 17; Caillaud, *Manuel des dispenses*, n. 16 et seq.; Van de Burgt, *Tractatus de dispensationibus matrimonialibus*, n. 32 et seq.; Feije, *De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus*, a n. 595 ad 640.

N. 97. Quomodo distinguendæ causæ dispensationis, et de vitio obreptionis.

Quomodo causæ, quæ ad obtinendam dispensationem allegantur, distingui solent?

R. In finales et impulsivas.

Causæ finales,

Finalis dicitur, sine qua dispensatio aut nullo modo, aut non nisi certis conditionibus et limitationibus coarctata, concederetur. Dicitur etiam *motiva*, quia dispensantem movet ad gratiam concedendam.

aut impulsivæ.

Impulsiva vocatur, quæ inducit quidem superiorem ad dispensationem facilius concedendam, sed, qua deficiente, equidem dispensationem concederet, et in eadem forma.

Quando plures causæ finales allegantur, fieri potest, ut omnes æque moveant dispensantem, vel una plus quam altera. In priori casu omnes æque principales sunt: in posteriori una *principalis*, altera *minus principalis*, seu *secundaria* dicitur.

Si causa aliqua allegetur in supplica, quæ revera non subsistit, habetur *obreptio*. Hinc petitur:

An valet dispensatio, si non subsistant causæ quæ ad eam obtinendam allegatæ fuerunt?

Quid si non subsistant causæ:

R. 1°. Si una tantum causa finalis allegata fuerit, et hæc non subsistat, dispensatio est nulla, sive scienter sive ignoranter id acciderit. Ratio est, quod dispensans non intendat dispensare, nisi causa finalis allegata vere subsistat; ideoque in omni concessione dispensationis apponitur, vel subintelligitur hæc clausula: *Si preces veritate nitantur*, juxta cap. *Ex parte, De rescriptis*, lib. 1 Decretal.

Patet præterea ex Constit. Benedicti XIV, quæ incipit AD APOSTOLICÆ, 25 Febr. 1742 (Bullar. edit. Mechl., tom. 1, pag. 260), ubi Pontifex dicit, *quod expressio causarum earumque verificatio ad substantiam et validitatem dispensationis pertineat, illisque deficientibus, gratia nulla ac irrita sit, nullamque executionem mereatur.*

2°. Si duæ causæ finales allegatæ fuerunt, et una non subsistat; altera vero sola non sufficiat ad dispensationem, de qua agitur, obtinendam, aut in eadem forma obtinendam, etiam certum est, dispensationem esse nullam, propter supradictas rationes; tunc enim ob utramque simul causam concessa censetur.

3°. Si, præter unam causam finalem veram, et sufficientem ad obtinendam dispensationen in hac forma, alia falsa, sive finalis sive impulsiva, allegata fuit, non convenit inter auctores, an dispensatio habenda sit valida.

Alii generatim dicunt, dispensationem nullam esse, si quævis causa allegata, sive bona sive mala fide, falsa sit; quia tunc dici non possunt *preces veritate niti*. Tantum excipiunt casum, quo causa allegata esset impertinens ad concessionem, ita ut nequidem facilius propter illam dispensatio concessa fuerit. Ita Pyrrhus Corradus, Pontas etc.

Alii e contra generatim dicunt, validam esse dispensationem, quoties una causa finalis sufficiens subsistit, etsi causa alia finalis aut mere impulsiva, propter quam facilius quidem conceditur, sed sine qua equidem dispensatio concederetur, non subsistat. Ita Navarrus, Sylvius, Sanchez etc.

Alii denique distinguunt, et admittunt in casu valere dispensationem, si obreptio facta sit per ignorantiam et

simplicitatem; secus vero, si facta sit scienter et per malitiam: ita deducunt ex cap. *Super litteras, De rescriptis.* Hæc sententia probabilior videtur. Cfr. tract. *De legibus.*

Pro praxi, si causa aliqua falsa, seu finalis, seu impulsiva, in rescripto deprehendatur, convalidatio petatur, ne Sacramentum periculo nullitatis exponatur; aut certe casus judicio Ordinarii subjiciatur; eo magis quod nonnunquam difficile sit dijudicare, an causa mere impulsiva fuerit, an vero finalis, et soli fere Officiales qui in iis rebus versantur, experientia sua discernere valeant, quid Tribunalia Urbis habeant tanquam præcise sufficiens ad dispensationem in particulari aliquo gradu concedendam.

Quandonam oportet vere subsistere causas allegatas ?

Prænotandum : Quatuor momenta hic distingui possunt: primum quando ad superiorem scribitur; alterum quando ab ipso dispensatio conceditur; tertium quando dispensatio fulminatur; quartum quando impetrantes ea utuntur. Concessio autem et fulminatio dispensationis tantum distinguuntur, quando conceditur in forma *commissoria*, uti hodie concedi solent dispensationes Romanæ. His prænotatis,

quando subsistere debeant.

R. 1°. Probabilius non requiritur ut causa subsistat quando scribitur ad eam obtinendam, modo subsistat quando conceditur; quia petitio censetur referri ad momentum concessionis; neque error tunc influit ullo modo in concessionem. Hinc si pro causa allegetur quod puella 24 ætatis annum excesserit, sufficit ut verum sit, quando dispensatio conceditur, etsi illam ætatem non attigisset, quando petitio missa fuit.

2°. Probabiliter requiritur ut causa subsistat, quando dispensatio conceditur, etsi concedatur in forma commissoria: hæc est sententia in Tribunalibus Romanis recepta, ait Carrière, *Compendii* n. 241. Reiffenstuel autem, cit. *Append.*, n. 223, cum Pyrrho Corrado putat sufficere, ut causa subsistat, quando dispensatio fulminatur, et similiter invocat praxim et stylum Romanæ Curiæ.

3°. Requiritur certe ut causa subsistat, quando commissarius, v. g. Officialis aut confessarius, illam impertitur seu fulminat: tunc enim effective conceditur, adeoque invalide, si deficiat causa.

4°. Non videtur requiri ut causa adhuc subsistat, quando impetrantes dispensatione utuntur, seu quando Matrimonium celebratur : ita Reiffenstuel, n. 227, cum communi. Hinc si pro causa allegatum fuit, quod mulier esset vidua gravata prolibus, et, dispensatione fulminata, proles mortuæ fuerint, Matrimonium probabilius foret validum.

In dubio an subsistat causa, probabilius valet dispensatio, quia præsumendum est, Pontificem pro eo casu velle dispensare. In praxi tamen consulendus est Ordinarius.

N. 98. Qua via dispensatio Romana impetranda sit.

Prænotandum. Duo præcipua sunt Romæ Tribunalia a Romanis Pontificibus constituta, in quibus dispensationes matrimoniales conceduntur : *Dataria Apostolica* nempe, et *sacra Pœnitentiaria*. Omnes dispensationes ibi scripto petendæ sunt, et non nisi scripto conceduntur.

Quænam dispensationes petendæ sunt a Dataria?

R. 1°. Dispensatio regulariter petitur et expeditur a Dataria, seu Officio minoris gratiæ, quando impedimentum est publicum, vel prævidetur futurum publicum. Equidem quædam dispensationes expediuntur per *Cancellariam Apostolicam*, aut per *Præfecturam Brevium* sub annulo piscatoris : sed earum petitio nihilominus ad Datariam dirigi potest. Quæ dispensationes petendæ a Dataria ;

2°. Dispensatio similiter a Dataria regulariter petenda est pro aliquibus impedimentis ex natura sua publicis, etsi de facto occultis, quæ sine infamia aliisve malis manifestari possunt ; cum in his universaliter dispensare non valeat S. Pœnitentiaria, ut ex dicendis patebit.

Quænam dispensationes petendæ sunt a S. Pœnitentiaria?

R. 1°. Dispensatio regulariter petenda est a Pœnitentiaria, quando impedimentum est occultum, nec timetur manifestandum. quæ a Pœnitentiaria.

Excipiuntur quædam impedimenta, quæ sine infamia aliisve malis manifestari possunt, pro quibus

recurrendum est regulariter ad Datariam, ut dictum fuit, nimirum :

Si agatur de Matrimonio contrahendo, non potest Pœnitentiaria dispensare super impedimentis consanguinitatis aut affinitatis ex copula licita in ullo gradu ; nec super impedimento cognationis spiritualis.

Si vero Matrimonium jam contractum sit, potest dispensare super occulta cognatione spirituali; sed pro primo aut secundo gradu consanguinitatis aut affinitatis ex copula licita non potest. In secundo tamen gradu simplici dispensat, si impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, et oratores publice contraxerint et convixerint, fuerintque ut legitimi conjuges reputati. Id liquet ex Constit. Benedicti XIV Pastor bonus, anni 1744, ubi renovat Constitutionem Innocentii XII, qua facultates S. Pœnitentiariæ definitæ fuerunt, quamque illustrat idem Benedictus in *Institutione* sua 87.

2°. Hodiedum tamen in præfatis, et etiam in publicis impedimentis consanguinitatis et affinitatis frequenter dispensat S. Pœnitentiaria pro pauperibus et fere pauperibus. Hucusque vero non prodiit ex Curia Romana generalis regula ad determinandum quando et in quibus impedimentis publicis dispensatio a S. Pœnitentiaria obtineri possit. Quænam autem praxis hodie quoad Diœcesim Mechliniensem aliasque plures servatur pro dispensationibus in consanguinitate et affinitate, dicetur infra.

Nota, quod in S. Pœnitentiaria omnia gratis expediantur : administri enim illius Tribunalis salarium accipiunt ab ipsa Pœnitentiaria, et juramentum pronuntiant, se ratione officii sui nihil ab aliquibus etiam sponte oblatum accepturos. Cfr. Benedictum XIV, *Instit.* 87, n. 30. Unde pro dispensationibus occultis nullæ sunt faciendæ expensæ nisi pro posta et pro agente Romano, cujus opera adhibetur ad supplicam præsentandam etc. : ascendunt autem in nostra Diœcesi ad 12 circiter francos. Taxa autem levis, quæ pro dispensatione in impedimento publico imponitur, ut infra dicetur, fere pauperibus, transmittitur Datariæ.

In Dataria vero aliquid solvitur pro stipendio administrorum, qui aliud salarium non habent, et in compensationem variarum expensarum hujus Tribunalis : quod

ultra solvitur per modum mulctæ, impenditur bonis operibus.

Quandonam censetur impedimentum occultum in S. Pœnitentiaria?

Quodnam impedimentum censeatur occultum in S. Pœnitentiaria.

R. Censetur occultum, licet quatuor aut quinque personis notum sit, et forte in judicio probari possit ; imo si agatur de civitate, licet impedimentum notum sit septem vel octo adhuc censebitur occultum; uti tradunt auctores in hisce rebus maxime versati , quos vide apud Benedictum XIV, *Instit.* 87, n. 44 et 45 : debet tamen abesse timor ne fiat publicum:

Monet vero ibidem Benedictus XIV post Fagnanum, impedimentum non censeri occultum, etiamsi duobus tantum notum sit, quando in litteris S. Pœnitentiariæ ponitur hæc clausula : Dummodo impedimentum *omnino occultum sit* : quæ apponi solet dum dispensatur in impedimento criminis.

Si impedimentum sit occultum in civitate in qua oratores habitant, sed publicum alibi, et hoc in supplica non sit expressum, dispensatio non potest executioni mandari; sed quod omissum est ad Pœnitentiariam deferri debet : ibid., n. 46.

Si impedimentum sit materialiter publicum, sed formaliter occultum, seu , quod idem est, publicum in ratione criminis , sed occultum in ratione impedimenti, quia homines communiter ignorant ex tali crimine induci impedimentum; multi docent, impedimentum tunc censeri occultum ; sed Benedictus XIV, *Instit.* cit., n. 48, testatur, id S. Pœnitentiariæ institutis et consuetudini omnino contrarium esse, quippe quæ non spectat, an impedimentum sit formaliter, sed tantum utrum sit materialiter occultum. Si tamen ipsum crimen ignoretur, licet materiale factum cognoscatur v. g. homicidium, quod publice putatur fortuito accidisse , licet malitiose perpetratum fuerit, impedimentum ex crimine inductum censebitur occultum : ibid., n. 48.

An omnes dispensationes, sive a Dataria sive a Pœnitentiaria concessæ, æque valent pro utroque foro?

Dispensationes occultæ valent pro

R. Negative. Dispensationes S. Pœnitentiariæ in impedimentis occultis, in quibus nequidem oratorum nomina exprimuntur, valent tantum in foro interno, ut quis

foro internotantum,

tutus in conscientia possit Matrimonium contrahere et in contracto permanere. In foro externo non prosunt : unde si impedimentum postea fieret publicum, ad probandum Matrimonii valorem inservire non posset occulta illa dispensatio; sed alia publice petenda esset.

publicæ valent in utroque foro.

Dispensationes autem in impedimentis publicis, in quibus oratorum nomina exprimuntur, valent in utroque foro, sive concessæ fuerint per Datariam, sive per Pœnitentiariam.

Quæ notanda est differentia in formis quibus dispensationes in impedimentis consanguinitatis et affinitatis ex copula licita conceduntur?

Aliæ sunt in forma ordinaria,

R. Concedi solent dispensationes illæ in duplici distincta forma, nimirum *in forma ordinaria,* vel *in forma pauperum.*

1°. Quando datur dispensatio in *forma ordinaria,* exigitur aliqua taxa seu mulcta, quæ etiam *compositio,* seu *componenda* dicitur, Datariæ solvenda, fortunæ oratorum proportionata; quæque apud nos ab ipsis, seu eorum nomine offerri solet in supplica : nulla autem tunc olim injungebatur pœnitentia aut separatio oratorum; attamen hæc hodie injungi, si adsit causa infamans, testatur auctor operis, *Acta ex iis decerpta quæ apud Sanctam Sedem geruntur* etc., vol. 1, append. 16. Vide cl. Feije, op. cit., n. 745 et seq.

aliæ in forma pauperum.

2°. Quando in *forma pauperum* datur dispensatio, nulla aut levis tantum componenda exigitur, seu offertur; sed injungitur pœnitentia, et si incestus ejusve suspicio præcesserit, separatio oratorum, de qua vide N. 100.

Quinam reputentur pauperes,

Pauperes autem et, ut addi solet, *miserabiles,* juxta instructionem, jussu Pii VI editam anno 1788, quam refert Compans, n. 297, et juxta responsum Datariæ Apostolicæ ad quæsitum Ill. D. Bouvier, anno 1841, in regionibus transalpinis reputantur oratores, qui, deducto ære alieno et oneribus, ambo simul non possident *in capitali* seu in re mobili et immobili tria millia francorum.

His conceditur dispensatio apud nos per sacram Pœnitentiariam gratis sine ulla componenda. Quare non aliæ habentur expensæ, præter id quod solvendum est pro posta et salario agentis, et summam 12 francorum non excedit pro nostra Diœcesi, uti jam supra dictum fuit.

Quando oratores non sunt ita pauperes, exigitur seu offertur aliqua componenda, quæ olim per scutata (*écus romains*) computabatur, hodie vero per libellas (*lires, francs*) determinatur. Minima quæ offerri possit in Dataria, est 20 libellarum pro dispensationibus secundi gradus, 25 libellarum pro dispensationibus primi et secundi gradus inæqualis, et 30 libellarum pro dispensationibus primi gradus; quibus addendo postæ et agentiæ expensas, hæ simul assurgunt respective ad summam 32, 57 et 42 circiter francorum. Si hæc solvere non valeant oratores, petitur dispensatio a S. Pœnitentiaria cum minore componenda, ad Datariam, ut supra dictum est, transmittenda; attamen minima componenda quæ in nostra Diœcesi offerri solet in hoc casu erat olim 5 scutatorum, nunc vero 16 libellarum; unde et tunc omnes expensæ simul constituunt summam 28 circiter francorum. aut fere pauperes.

Juxta memoratam Pii VI instructionem sic conceditur dispensatio in forma pauperum, sed cum aliqua componenda, iis qui possident ultra tria millia usque ad decem millia francorum, et *fere pauperes* dici solent.

Imo juxta instructionem Datariæ anni 1842, Officiales in omnibus supplicis, in quibus pro componenda offerunt infra 15 scutata seu 81 circiter francos, semper utuntur formula *pauperes et miserabiles existunt*. Attamen si patratus non fuit incestus, datur dispensatio in forma ordinaria; si patratus fuit, datur in forma pauperum cum aliqua pœnitentia et injunctione separationis, ultra componendam. Raro olim quando offerebatur ultra 15, nunquam quando offerebatur ultra 18 scutata injungebatur alia pœnitentia aut separatio, etiamsi incestus fuisset commissus; nunc autem in hoc casu illa imponi constat ex supra dictis.

Circa classificationem oratorum ratione fortunæ suæ quædam hic notanda sunt:

1°. Quamquam post Pium VI nulla nova regula a Dataria prodiit ad determinandum quinam reputari possint pauperes et miserabiles; attamen facilius hodie conceditur dispensatio in forma pauperum sine ulla componenda, etiam illis qui ultra 5000 francos possident: quia, ut observat Carrière, n. 1129, ratio habenda est mutationis, Circa hoc notanda.

quæ in fictivo nummorum pretio, temporum decursu supervenit: ex quo fit, ut qui olim possidentes ultra valorem ter mille francorum pauperes non reputabantur, hodie etiam cum bonis majoris valoris tales merito censeantur.

2°. Etsi in instructione Pii VI tantum mentio fiat de iis quæ oratores *in capitali* possident, æquitas postulat, ut in determinatione fortunæ non solum habeatur ratio capitalis, quod quis actu possidet, sed etiam emolumentorum quæ ex locupleti industria aut ex officio indies acquirit, si nimirum ingentia illa sint, et necessariam sustentationem multum excedant; uti contingere potest in belli ducibus, regiis ministris, advocatis, medicis etc.

Etiam habenda est aliqua ratio fortunæ, quam quis non *in re*, sed *in spe* habet: si nimirum illam certo expectet ex hæreditate patris, avi etc. Hæc sane non tanti æstimanda est, ac si in re haberetur, sed penitus negligi non debet : filius enim patris prædivitis pauper reputari non potest.

Notanda circa componendam,

Circa componendam, seu taxam quæ exigitur, notanda etiam sunt sequentia :

1°. Olim multo major taxa exigebatur, quam hodie. In instructione Pii VI pro fere pauperibus qui habent ultra 3000 francos, determinatur eleemosyna solvenda 4 scutatorum, seu 21 francorum cum dimidio pro singulo centenario, id est, quoad regiones transalpinas, pro centenario aureorum seu 1000 circiter francis ; adeoque possidentes 4000 circiter francos solvebant 16 scutata, seu 86 circiter francos, quæ tamen ipsis dispensandis remitti poterant titulo eleemosynæ, si, ut dicit Pontifex, *eorum conditione inspecta, pauperes esse videantur.*

Nunc vero iidem apud nos solvunt tantum, ultra expensas, 16 libellas, et pro singulis millenis francis quos ultra habent, circiter 2 francos cum dimidio.

2°. Taxa seu compositio illa non exigitur pro ipsis dispensationibus, quæ, ut præcipit Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, cap. V, *De reformatione Matrimonii*, gratis conceduntur; sed rationem habet cujusdam mulctæ, ut explicat Pius VII, in Brevi ad Episcopos Galliæ, 17 Febr. 1809 : *Mulctæ illæ, ad resarciendum aliqua ratione vulnus, quod ex dispensationum matrimonialium concessione ecclesiasticæ disciplinæ infligitur; et ad Matrimonia inter*

personas, consanguinitatis vel affinitatis vinculo invicem conjunctas, rariora ac difficiliora reddenda, juste ab Ecclesia salubriterque constitutæ sunt.

Impenduntur autem illæ eleemosynæ in sustinenda et propaganda fide, in sublevandis pauperibus, aliisque piis operibus. Cfr. Benedictum XIV, *Institutione* 87, n. 15.

quæ non exigitur nisi in dispensatione consanguinitatis aut affinitatis legitimæ.

5°. Ubi affinitas orta est ex copula illicita, non exigitur componenda; neque exigitur in Matrimoniis mixtis ratione fortunæ partis acatholicæ; neque etiam in dispensationibus super aliis impedimentis, ut cognationis spiritualis, publicæ honestatis, voti, criminis, mixtæ religionis. In his omnibus itaque non habetur ratio fortunæ, quam necesse non est declarare; sed tantum solvendæ sunt expensæ postæ, agentiæ, expeditionis per officiales Datariæ; et aliquando imponitur etiam eleemosyna facienda pauperibus, aut pœnitentia præstanda.

4°. Quando Episcopi dispensant, sive vi facultatis ordinariæ, sive vi indulti Apostolici, in consanguinitate aut affinitate v. g. tertii et quarti gradus, levem tantum aliquam componendam seu eleemosynam exigere solent, quamquam juxta Compans, n. 299, hac in re minus indulgenter agendum sit, ubi Ordinarius vi indulti Apostolici dispensat. Cfr. cl. Feije, op. cit., n. 671.

Quis potest pro dispensationibus ad Tribunalia Romana recurrere?

Quis recursum habere possit ad Tribunalia Romana.

R. De jure quilibet ad Tribunalia Romana recurrere potest, sive ipse qui dispensatione indiget, sive parochus, sive confessarius, vel alius. Convenit quidem ut litteræ supplices idiomate latino scribantur; non tamen rejiciuntur alia lingua conscriptæ; adsunt enim apud utrumque Tribunal administri linguarum periti, qui litteras legant et earum contentum explicent.

Imprudenter tamen ageret, qui rei adeo difficili et periculosæ se immisceret absque sufficienti peritia; nam, ut seq. N. videbimus, nulla plerumque esset dispensatio, si non ea omnia in petitione exprimerentur, quæ secundum usum et stylum Curiæ exponenda sunt: unde oportet adhibere aliquem styli Curiæ Romanæ peritum.

Imo quoad dispensationes in impedimentis publicis, in consuetudinem abiit, ut fere omnes per Officialem Episcopi petantur; quia exigitur ut veritatem allegatorum

Episcopus ejusve Officialis attestetur. Cumque eidem Officiali deputari soleat dispensationis executio, sic eadem via petitur qua conceditur, et executio paucioribus difficultatibus obnoxia est. Parochus tamen, priusquam Ordinario ejusve Officiali per epistolam commendet oratores, ipsos eorumque parentes aut propinquos interrogare debet, ut impedimenti et rationum, quæ pro dispensatione militant, accuratam notitiam acquirat, et omnia in epistola et arbore consanguinitatis rite describere valeat.

Dispensationes in impedimentis occultis eadem via etiam commodius et securius impetrantur, eo magis quod in plerisque impedimentis occultis, vi facultatis extraordinariæ, dispensare soleant ipsi Episcopi; sed confessarius tunc ita caute agat, ut personam delinquentis non detegat, si hic secretum servari velit.

N. 99. De iis quæ in libello supplici exprimenda sunt, seu de stylo Curiæ Romanæ.

Juxta stylum Curiæ

Prænotandum. Stylus Curiæ Romanæ dicitur forma in dispensationibus petendis et concedendis, seu longo usu, seu Romanorum Pontificum decretis stabilita. Pleraque ex iis, quæ juxta hunc stylum exprimi debent in petitionibus, pro valore dispensationis necessario manifestanda sunt; aliqua tamen sunt, quorum omissio dispensationem non reddit invalidam, quia necdum *in strictum stylum abierunt,* ut aiunt.

Omissio alicujus quod de jure aut stylo Curiæ exprimi debet, vocatur communiter *subreptio*. Alii autem obreptionem vocant; et hi subreptionem dicunt allegationem falsi, quam auctores communius nomine *obreptionis* designant.

Quænam juxta stylum Curiæ exprimi debent in supplica, quando petitur dispensatio in impedimento publico?

in supplica publica exponi debent: nomen et cognomen oratorum,

R. I. Nomen proprium seu prænomen, et nomen seu cognomen oratorum.

Errorem nominis aut cognominis in rescripto non vitiare dispensationem, docent Sanchez, De Justis et plures alii, modo constet de corpore, id est, de impedimento et causa.

Pyrrhus autem et Reiffenstuel aliique cum ipsis contendunt, errorem nominis aut cognominis vitiare dispensationem, ex stylo et praxi Curiæ Romanæ.

Quod error nominis aliquando vitiet dispensationem, patet ex eo quod inter facultates, quas R. Pontifex concedere solet Episcopis, habetur illa : *convalidandi litteras dispensationis, quæ nullæ fuerint ob errorem nominis vel cognominis contrahentium:* hæc sane supponunt, ob similem errorem dispensationes aliquando tanquam nullas habendas esse, etiam si constet de corpore.

In praxi itaque convalidatio esset petenda, si error nominis aut cognominis in rescripto detegeretur.

Excipiendum est cum plerisque, si error unius litteræ aut syllabæ in nomine aut cognomine talis sit, ut nullum esse possit dubium circa identitatem oratorum; ut si *Antoninus* ponatur pro *Antonius*.

Notandum etiam, non censeri errorem nominis, vulgo prænominis, si ex duobus unum tantum ponatur, *ut fiat*

II. Ætas utriusque oratoris exprimenda est, quando a Dataria petitur dispensatio ob quamcumque causam honestam. Ita faciendum esse, plures Officiales monuit Dataria anno 1858.

ætas,

III. Diœcesis oratorum : unde si fuerint diversarum diœcesium utraque exprimi debet. Communiter hodie exprimitur sola diœcesis habitationis, non originis, si hæc non sit eadem.

diœcesis,

Errorem diœcesis vitiare rescriptum, docent Sanchez, De Justis, Reiffenstuel etc. : refragatur Collet : varie distinguit Caillaud, n. 255. In dubio convalidatio petenda foret. Cfr. cl. Feije, op. cit., n. 675.

Locus in quo degunt oratores exprimendus est, quando dispensatio petitur ob angustiam loci, alias non.

IV. Exprimi debet species impedimenti.

species impedimenti,

Invalida est dispensatio, si unum pro alio in supplica exprimatur, v. g. consanguinitas pro affinitate, vel e contra.

V. Si plura sint impedimenta publica v. g. consanguinitas et affinitas ex copula licita, in eadem supplica necessario exponenda sunt.

seu impedimentorum,

Si unum sit publicum v. g. consanguinitas, alterum occultum, v. g. affinitas ex copula illicita occulta, tunc publicum in supplica publica exponi debet ; utrumque

vero tam publicum quam occultum, in secreta supplica ad Pœnitentiariam, significando super impedimento publico obtentam esse dispensationem, aut animum esse eam petendi. Præstat ut in hoc casu primo petatur dispensatio secreta a Pœnitentiaria, ne forte, obtenta dispensatione a Dataria, illa negetur in Pœnitentiaria, et sic inutiles expensæ fiant in Dataria.

multiplex etiam cognatio, aff.

VI. Si duplex cognatio vel affinitas subsistat, utraque exprimi debet : ut si oratores sint cognati germani ex duobus fratribus et duabus sororibus ; aut si orator fornicatus sit cum duabus sororibus oratricis. Item si triplex, quadruplex etc. sit cognatio aut affinitas. Ita cum Sanchez, lib. 8, disp. 24, n. 4, contra Enriquez tenet communior sententia, pro qua variæ afferuntur S. Rotæ decisiones, et quæ hodie certa est ex declaratione Benedicti XIV, in decreto Cum super matrimonio, 27 Septemb. 1755. (Bullar. edit. Mechl., tom. 11, pag. 254).

Quamquam vero duplex quodammodo affinitas habeatur, una scilicet ex copula licita, altera ex illicita, casu quo orator v. g. ante Matrimonium copulam carnalem habuerat cum priore sua uxore, cujus jam consanguineam in primo vel secundo gradu ducere intendit, non est tamen necessarium in petitione dispensationis illicitam copulam ante Matrimonium habitam explicare. Multi quidem auctores ita oportere docuerunt, et pro sua sententia etiam adferunt decretum Leonis XII, 18 Martii 1827. Verum postea contrariam decisionem dedit Gregorius XVI, et causis inductus, quas significaverat S. Pœnitentiariæ Ill. Episcopus Namurcensis, statuit : *Ut in dispensationibus matrimonialibus super primo aut secundo gradu affinitatis ex licita conjunctione provenientis, necessarium deinde non sit explicare, si ante præcedens Matrimonium ab oratore vel oratrice cum defuncto conjuge initum et consummatum, alia inter ipsos illicita copula intercessisset.* Ita legitur in Litteris Apostolicis 29 Martii 1842, quibus Card. Castracane, ex mandato Sanctitatis suæ, hanc decisionem omnibus Episcopis Belgii notificavit. Postea S. Pœnitentiaria Archiepiscopo Ultrajectensi eumdem casum proponenti, 9 Septemb. 1851, respondit: *Dentur Litteræ Apostolicæ de die* 29 *Martii* 1842.

Multiplex autem potest etiam esse affinitas ex eo quod prima uxor v. g. habebat multiplicem consanguinitatem cum persona quam viduus intendit ducere : unde hoc etiam necessario esset in supplica exprimendum.

VII. In cognatione spirituali exprimendum est, unde cognatio proveniat, utrum ex Baptismo vel Confirmatione ; tum an sit filiatio, an vero compaternitas, sive an unus oratorum de fonte levaverit aut in Confirmatione tenuerit alterum, an alterius tantum prolem ; in illo enim multo difficilius, quam in hoc dispensatur. Non debet tamen exprimi, ratione quot prolium cognatio proveniat. Si vero vir mulieris, et mulier viri prolem in Baptismo suscepit, aut in Confirmatione tenuit, item si vir v. g. unam suscepit, et postea eamdem vel alteram teneat, duplex habetur distinctum impedimentum, et utrumque exprimendum est, &c. compaternitas aut filiatio in cognatione spirituali,

VIII. Exprimi debent gradus et linea in impedimentis consanguinitatis, affinitatis et publicæ honestatis. Si loco tertii poneretur quartus gradus, nulla esset dispensatio. Idem dicit Pyrrhus cum aliis, propter stylum Curiæ, si loco quarti poneretur tertius gradus ; sed probabilius id a plerisque negatur, quia tertius quodammodo involvit quartum. gradus et linea.

Si gradus sit inæqualis etiam propinquior gradus exprimendus est. Imo invalida est dispensatio si unus oratorum esset in primo gradu consanguinitatis aut affinitatis, et hic non fuisset expressus, juxta Constit. S. Pii V, quæ incipit SANCTISSIMUS, datam 20 Augusti anni 1566. Unde nova dispensatio in hoc casu esset petenda.

Pro cæteris gradibus mixtis, petendæ sunt litteræ declaratoriæ, quod proximior gradus non obstet, quæ vocari solent *Perinde valere*.

Attamen *juxta communem doctorum sententiam, in Tribunalibus receptam, illicitum tantum est, sed non invalidum Matrimonium, quod contrahitur ope dispensationis obtentæ super quarto gradu, nulla tertii gradus facta mentione, et antequam litteræ declaratoriæ præscriptæ a S. Pio V fuerint obtentæ.* Ita Benedictus XIV, in decreto supra citato CUM SUPER MATRIMONIO, atque ita tenendum, contra multos aliter sentientes, præsertim antiquiores.

Idem videtur dicendum, contra Reiffenstuel, quando secundus gradus mixtus est tertio aut quarto, et tantum remotior fuit expressus : tum quia eadem militat ratio, nimirum quod S. Pius V in citata Constitutione invalidam declaret solam dispensationem in qua primus gradus reticitus fuerit ; tum quia, teste Zamboni, ad v. *Dispensatio*, § 10, n. 1, S. Congregatio Concilii, 1 Maii 1607, generatim declaravit : *In hypothesi Matrimonii contracti inter conjunctos extra primum gradum, prævia dispensatione super remotiori, et non obtentis litteris declaratoriis super propinquiori, validum fuisse Matrimonium, et satis esse postea obtinere declarationem super gradu propinquiori.*

Notandum in gradu inæquali exprimendum esse, quis sexus sit propinquior, saltem quando intervenit primus gradus consanguinitatis ; tunc distincte dicendum, quod v. g. vir sit avunculus mulieris, aut mulier amita viri : in posteriori casu enim multo difficilius obtinetur dispensatio.

Cæterum consuetudo habet, ut incipiatur a gradu viri sive hic propinquior sit vel remotior : non tamen requiritur ad valorem. Ita si vir sit in secundo et mulier in tertio, dicitur, ipsos esse conjunctos in secundo et tertio mixto; si contra, esse in tertio et secundo mixto. In rescriptis vero hæc regula non observatur. Pro clariori rei demonstratione adjungi potest arbor consanguinitatis.

In affinitate dicendum an sit ex copula licita necne.

IX. Si dispensatio petatur in primo aut secundo gradu affinitatis, necessario exprimi debet, utrum affinitas orta sit ex copula licita, an vero ex illicita : tum quia difficilius in priori dispensatur, tum ut cognoscatur, an simul concurrat publica honestas. Cum vero hæc semper concurrat cum affinitate ex copula licita; implicite exprimitur, et super illa implicite dispensatur, dum exprimitur, quod affinitas orta sit ex copula licita.

Observanda, dum Matrimonium jam fuit contractum

X. Si dispensatio petatur post Matrimonium invalide contractum, quatuor necessario exprimenda sunt : 1°. an oratores, vel unus eorum, bona vel mala fide Matrimonium contraxerint, nempe cum vel sine notitia impedimenti ; 2°. an contraxerint ex spe facilius dispensationem obtinendi ; 3°. an Matrimonium consummaverint, et an hoc etiam factum sit postquam innotuit Matrimonii nullitas ante forte ignota, et an factum sit sub spe facilius

obtinendi dispensationem; 4°. an contraxerint in facie Ecclesiæ, vel clandestine, aut neglectis proclamationibus. Imo si obtenta fuisset dispensatio in proclamationibus, nihilominus juxta Pyrrhum Corradum, Van Espen, De Justis, omissio illarum exprimenda foret; sed hoc negant Sanchez, Reiffenstuel et alii communiter.

XI. Si oratores contraxerint matrimonium civile, id erit exprimendum, dum illud habuerint tanquam Matrimonium legitimum ex contemptu Matrimonii canonici; nam tunc est Matrimonium clandestinum. aut civile matrimonium celebratum.

Si autem civiles formas adimpleverint ex honesto fine, v. g. ut prolem civiliter legitimarent, non est necessario exprimendum; sed utiliter tunc exprimitur ad facilius impetrandam dispensationem.

Neque videtur necessario ad valorem dispensationis exprimendum, etiamsi mala intentione ad facilius impetrandam dispensationem contractum fuerit. Etenim cl. Carrière, *Compendii* n. 250, dicit, S. Pœnitentiariam, 2 Octob. 1829, declarasse, neque omissionem matrimonii civilis in supplica, neque celebrationem matrimonii civilis post missam supplicam, inducere nullitatem dispensationis. Et apud Caillaud, n. 231, legitur, quod ad hanc quæstionem : *Utrum in supplicibus libellis pro dispensatione impedimentorum dirimentium, pro iis qui civiliter jam contraxerint, necesse sit antea inquirere, ac consequenter declarare, an oratores talia patrarint ad dispensationem facilius obtinendam;* responsum fuerit, 18 April. 1851 : *Sacra Pœnitentiaria, perlectis expositis ac serio consideratis, supra proposito dubio... respondendum censuit, prout respondet : Negative. Nam illa intentio oratorum, licet mala, non tamen irritat dispensationem, et idcirco debent oratores quidem peccatum confiteri, si reapse mala fide hoc fecerunt, non est tamen necessarium in eamdem inquirere, quod attinet ad forum externum.*

XII. Si dispensatio petatur in forma pauperum, necesse est ut uterque orator sit pauper. Paupertas autem exprimitur his verbis : *Oratores pauperes et miserabiles existunt, et ex labore et industria sua tantum vivunt;* quorum veritas confirmari debet testimonio Officialis, nisi ipsemet supplicam subsignet. Si non sint omnino pauperes, designanda est fortuna, aut taxa quam solvere possunt. Ut petatur in forma pauperum, uterque debet esse pauper,

sed error fortunæ non vitiat.

Notandum vero, quod error, etiam voluntarius, in assignatione fortunæ aut designatione taxæ solvendæ, non vitiet dispensationem. Hoc certum est apud omnes, si dispensatio concessa sit in forma divitum, soluta aliqua taxa. Idem vero dicendum videtur, contra Carrière aliosque multos, quando concessa est in forma pauperum, ubi falso quis pauperem se finxit, et probatur ex declaratione S. Congregationis Concilii quam citat S. Alphonsus de Ligorio, *Homo Apostolicus*, n. 87, et his verbis refert Ferraris, v. *Dispensatio*, n. 31, ex Monacelli: *Qui dispensationem obtinuit super impedimento consanguinitatis in forma pauperum, falso narrata paupertate, dicitur valide dispensatus et proles legitima*. Cfr. Caillaud, n. 125 et 274.

Attamen si quid notabile defraudatum fuit, id conjuges supplere tenentur. Ita ad quæstionem: An conjuges qui possidebant 10,000 francorum, et se pauperes finxerant in supplica, obtenta dispensatione, valide contraxerint; S. Pœnitentiaria respondit 5 Decemb. 1852: *Matrimonium esse validum, sed oratores teneri solvere jura Datariæ Apostolicæ*. Eamdem responsionem jam dederat 7 Martii 1851.

De valore dispensationis magis dubitandum videtur, si in Brevi habeatur hæc clausula: *Dummodo exponentes vere pauperes ac miserabiles sint*; aut hæc: *Dummodo exponentes præter supradicta bona nihil aliud habeant, neque sperare possint*, quæ aliquando adhibetur, dum in forma pauperum conceditur dispensatio possidentibus ultra 3,000 francorum.

Invalidam vero dispensationem existimat cl. Feije, n. 370, si ob falso expositam paupertatem pro foro externo dispensaverit S. Pœnitentiaria cum iis, quibus ejusmodi dispensationem ea non impertitur.

Parochi et Officiales sedulam inquisitionem instituant, ut verus fortunæ status oratorum cognoscatur et exponatur, omnisque error præcaveatur.

Exponenda copula incestuosa,

XIII. Si inter duos consanguineos, aut affines, aut spirituali cognatione conjunctos, aut etiam, secundum multos, publica honestate ligatos, intervenerit copula carnalis, hæc necessario in supplica est exprimenda: secus dispensatio foret invalida. Ita omnino tenendum

contra Pontium et alios. Hæc enim, teste Pyrrho, est certa et stabilis Curiæ Romanæ sententia; ut constat ex Bulla Benedicti XIV Pastor bonus, § 41, pluribusque recentioribus decretis; ita quoque declaravit S. Pœnitentiaria his verbis: *Sacra Pœnitentiaria sub die 20 Julii 1869 respondit, post Constitutionem Benedicti XIV* Pastor Bonus *non posse amplius dubitari de nullitate dispensationis obtentæ, reticita incestuosa copula, vel prava intentione facilius obtinendi dispensationem habita in ea patranda.* Vide cl. Ballerini, apud Gury, edit. cit., n. 867, in nota.

Neque requiritur ut copula fuerit perfecta per seminationem viri intra vas muliebre, sed sufficit hoc penetratum fuisse, adeoque subsistere incestum licet incompletum. Ita fertur declarasse Leo XII, 5 Maii 1827. Certe praxis habet, ut in casu exprimatur copula, saltem ad cautelam, etsi putet Sanchez, lib. 8, disp. 25, n. 10, copulam non consummatam necessario exprimendam non esse. Cfr. cl. Feije, op. cit., n. 685.

An exprimenda sit fornicatio materialiter tantum incestuosa, non ita constat. Pyrrhus Corradus quidem, lib. 8, cap. 1, n. 32, sustinet, copulam exprimendam esse, licet ambo, dum fornicati sunt, ignoraverint se esse cognatos aut affines; sed Benedictus XIV, *Institutione* 87, n. 23, supponit dispensationem esse validam, si copula sic habita inter affines non fuerit declarata, et pro ratione allegat, quod in tali casu habeatur tantum incestus *materialis*, non *formalis*.

Certum est, exprimendum non esse, quoties copula incestuosa habita fuerit, cum eodem, vel cum eadem personas.

Hic porro plura observanda sunt:

1°. Si copula incestuosa sit notoria, illa necessario in supplica pro dispensatione in impedimento publico, sive ut causa dispensationis, sive saltem ut circumstantia, juxta stylum Curiæ, exprimenda est. Si vero non sit notoria, sufficit ut in altera supplica, ad sacram Pœnitentiariam, vel ad Officialem diœcesis, si is facultate dispensandi polleat, mittenda, reticitis nominibus, exprimatur. notoria vel occulta,

Attamen copula occulta etiam in supplica ad Datariam mittenda exprimi potest, si oratores consentiant; neque tunc opus est ad Pœnitentiariam recurrere.

Qua de re juvat hic referre verba Ill. Bouvier, *De Matrimonio*, cap. 6, art. 4, § 6 : « Si consanguinei, affines, » aut cognatione spirituali conjuncti copulam inter se » habuerint, quæ manserit occulta, eam extra confessio- » nem revelare non tenentur.... Si autem impetrantes » turpitudinem superiori simul cum impedimento revelari » consentiant, nulla erit difficultas : promptius ac tutius » obtinebitur dispensatio, et superior servabit secretum. »

Res facilis est, si extra confessionem peccatum suum sponte revelent.

An vero, si de eo sileant, liceat eos ad revelationem hortari, parochus aut Officialis, attenta personarum conditione aliisque circumstantiis, dijudicare debet. Sentit quidem Sanchez, lib. 3, disp. 14, n. 3, et lib. 8, disp. 25, n. 15 : « Immerito damnari consuetudinem in tribu- » nalibus ecclesiasticis receptissimam, ut in matrimonia- » libus dispensationibus interrogentur contrahentes, an se carnaliter cognoverint, cum infamati de hoc minime sint... et sic dispensandi impediantur uti dispensa- » tione subreptitia, et invalide contrahere. » Aliquando vero non sine gravi offensione hæc interrogatio proponeretur sponsis ; tuncque sufficeret generatim proponere legem Ecclesiæ, ut sciant, si id contigerit, confessario revelandum esse.

NOTA. Porro diligenter notandum est, copulam in supplica exprimendam esse, non solum quando Romæ dispensatio petitur, sed etiam quando ab Episcopo, vi specialis facultatis, concedenda est ; ut sæpius decisum fuit, et quidem recenter a S. Pœnitentiaria rescriptum, 1 Junii 1858. Si autem eo casu copula sit occulta et manifestari non possit, observandum, quod monet Ill. Bouvier, loco cit. : « Incestus ille declarandus est Episcopo aut Vicario » generali sub nominibus suppositis, dicendo dispensatio- » nem postulatam vel obtentam esse in tali vel tali gra- » du. Aliquando utendum est via obliqua, ne superior » advertat, conferendo utramque petitionem, inter quas » personas extiterit incestus, sicque frangatur confessio- » nis sigillum. »

et pravus animus quo fuit habita.

2°. Si copula habita sit, sive ab uno sive ab utroque, animo facilius dispensationem obtinendi, pravus ille animus etiam necessario exprimendus est, si copula

allegetur pro unica causa consequendi dispensationem, ut ait S. Alphonsus de Ligorio, n. 1154, et probat ex Constit. Benedicti XIV Pastor bonus, § 42. Addit vero : « Pro- » babilissime dicunt Salmant. cum aliis, quod si in peti- » tione aliæ causæ per se jam sufficientes ad obtinendam » dispensationem exponantur, et simul exponatur copu- » la præhabita (quæ omnino et semper exponi debet), tunc » non est opus ut allegetur circumstantia malæ fidei, nem- » pe quod copula fuerit consummata ad dispensationem » facilius impetrandam. » Verum alii hanc exceptionem non ponunt, et Benedictus XIV, *Institutione* 87, n. 15, eodem modo incestum et intentionem exprimenda esse docet : unde pro tutiori semper exprimi debet.

Quid si tantum habita sit post missam supplicam, aut postea iterata.

5°. Si copula tantum habeatur post oblatam supplicam, sed ante dispensationem Romæ obtentam, vel ante illius executionem per commissarium, dispensatio est invalida, juxta Sanchez, Pyrrhum, Reiffenstuel etc.

4°. Si copula, habita ante petitionem dispensationis, in supplica fuit expressa, et post missas preces ac ante dispensationis executionem iterata, quæritur, an hac iteratione incestus infirmetur dispensatio ?

Distinctione opus est. Primo : si dispensatio concessa sit a S. Pœnitentiaria pro foro conscientiæ tantum, iterata copula eam non invalidat.

Idem dicendum, si in concessione ejusdem Tribunalis pro utroque foro habeantur hæc verba : *Facultatem concedit, oratores ab incestus reatibus, usque ad præsentium executionem forsan iteratis, apostolica auctoritate absolvendi.*

Secus vero dicendum, si in ejusdem dispensatione pro utroque foro hæc verba desint ; tunc ante executionem convalidatio petenda esset. Ita saltem tenendum, si incestus contingat tempore separationis seu interdictionis omnis tractus inter oratores, quam solet hodie S. Pœnitentiaria injungere.

Secundo : Si dispensatio concessa fuit a Dataria, tunc aliter distinguendum est : vel enim fuit concessa *in forma honestorum* aut *divitum* et non continet clausulam de separatione, et tunc per iterationem incestus non invalidatur. Hæc conclusio ut plane tuta haberi potest, quia, ut dicit Pyrrhus, lib. 8, cap. 5, n. 38 : « Hæc est notoria

» praxis et observantia, quæ nunquam contrarium ad-
» misit, sicut fatentur omnes antiqui curiales. »

Atque ad hos respexisse videtur S. Pœnitentiaria, dum de hac quæstione consulta, 7 Februarii 1854, respondit, consulendos esse probatos auctores.

Objicit quidem cl. Carrière, n. 1149, et *Compendii* n. 249, quod Episcopis dari soleat facultas convalidandi dispensationes nullas *ob incestum reticitum in precibus, aut patratum seu iteratum post missas preces et ante dispensationis executionem;* adeoque supponatur *ob iteratum incestum* esse dispensationem nullam. Sed respondetur, in his facultatibus non supponi in omni casu, sed tantum in aliquo casu dispensationem irritari ob iteratum crimen incestus; atqui casus obtinet, quando dispensatio data est in forma pauperum vel in forma honesta cum prædicta clausula de separatione. Etenim

Si dispensatio a Dataria concessa fuit *in forma pauperum* vel *in forma honesta cum clausula de separatione,* tunc iteratus incestus invalidat dispensationem. Ratio est, quod in hujusmodi dispensationibus cum incestu, a Dataria datis, committatur delegato, ut oratores ab invicem separet, adeoque speciatim exigatur, ut ab incestu abstineant; et si illum iterato committant, ob præsumptum illum contemptum, gratia dispensationis obtentæ priventur. Pyrrhus, cit. loc., n. 36, hanc resolutionem confirmat decisione a Paulo V data 27 Martii 1607. Multi quidem id restringunt ad casum quo incestus commissus fuit tempore injunctæ ab executore separationis : verumtamen id minus consonare videtur praxi Curiæ Romanæ; unde pro tutiori saltem, semper ac in casu repetitus fuit incestus, petatur convalidatio, quam concedere hic possunt Officiales.

5ª. Si copula tantum superveniat post executionem dispensationis per commissarium, non amplius potest illam vitiare, utpote jam completam per ipsum actum fulminationis, etiam antequam partibus quarum nomine petita fuit, notificatur. Cfr. Pyrrhum, loc. cit., n. 38, ubi in hanc rem refert declarationem S. Congregationis Concilii.

Præter illa quæ supra enumeravimus exponenda in supplica, distincte etiam et breviter allegari debent causæ ob quas dispensatio petitur, de quibus consule N. 96.

Quænam omitti, quænam vero exprimi debent in supplica, quando petitur dispensatio super impedimento occulto a S. Pœnitentiaria?

Quænam exprimenda in supplica pro impedimento occulto.

R. Nomina et cognomina, ætas, parochia, diœcesis oratorum omittenda sunt, ne illorum fama lædatur; nulla etiam fit mentio fortunæ aut conditionis eorum; sed adhibentur ficta nomina, v. g. Titius et Titia etc.

Reliqua vero, ut species et numerus impedimentorum, copula incestuosa, etc. exprimenda sunt, uti in supplica pro dispensatione publicâ, una cum causis dispensandi.

Notandum, quod si, obtenta dispensatione super impedimento publico, adsit defectus occultus, v. g. quia in supplica copula inter oratores non fuit expressa, pro illo defectu emendando recurri potest secreto ad Pœnitentiariam: hoc vero casu, si oratores sint consanguinei aut affines in primo et secundo, vel in secundo gradu tantum, exigitur aliqua compositio transmittenda ad Datariam, nisi dispensatio data fuerit in forma pauperum; prout statuit Innocentius XII, et Benedictus XIV in Constit. Pastor bonus.

Verum notavimus modo facultatem convalidandi dispensationes nullas, ob reticitum incestum, solere communicari Ordinariis: unde ad illos facilius recursus habetur.

Si autem quis a Dataria seu pro foro externo dispensationem obtinuisset, in supplica falso allegando copulam, vel circumstantiam quod copula habita sit animo facilius obtinendi dispensationem, talis iterum a Dataria seu pro foro externo dispensationem petere deberet, addendo in prima supplica copulam vel malitiosam intentionem fuisse falso allegatam. Si vero hujusmodi falsa allegatio facta fuisset in supplica pro foro interno, nova dispensatio pro foro interno peti deberet.

Notandum denique, quod si in peculiari casu parochus aut confessarius sine opera Officialis diœcesani ad S. Pœnitentiariam scribendum ducat, non sit necesse litteras transmittere ad aliquem agentem Romanum; sed directe ad Eminentissimum Cardinalem Majorem Pœnitentiarium mittere licet, eum simul rogando ut dignetur responsum destinare ad talem confessarium in tali loco. Litteræ tradantur postæ, soluto pretio transportus (affranchies).

Formulas scribendi supplicas vide in Appendice ad hunc tractatum.

N. 100. De executione rescriptorum Datariæ Apostolicæ et sacræ Pœnitentiariæ.

Pro executione dispensationis committi solet

Prænotandum, quod dispensationes Romanæ, sive Datariæ sive Pœnitentiariæ, non soleant concedi hodiedum in forma *gratiosa,* ut vocant, seu per directam et definitivam sententiam, sed in forma *commissoria,* sic dicta, quia facultas dispensandi alicui committitur, qui auctoritate apostolica, et servatis conditionibus in rescripto enuntiatis dispensationem elargiatur. Unde a Tribunalibus Romanis conceduntur dispensationes tantum *initiative* seu in *actu primo,* ab executoribus autem *definitive* et in *actu secundo :* hæc executio vocari solet *fulminatio.*

a Dataria Officialis,

Dataria quidem committit regulariter Officialem Episcopi sponsæ: intelligitur autem, secundum stylum Curiæ, Episcopus originis, nisi alius, v. g. domicilii actualis, expresse designetur. Nulla esse potest difficultas, si, uti solet, nomen diœcesis exprimatur, v. g. *Dilecto filio, Officiali venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Mechliniensis.*

a Pœnitentiaria in publicis Ordinarius, in occultis confessarius.

Pœnitentiaria pro impedimentis publicis committere solet Ordinarium, seu Episcopum ejusve Vicarium. Pro impedimentis occultis olim committere solebat aliquem confessarium ex approbatis ab Ordinario, qui esset doctor in theologia vel in jure canonico ; hodiedum vero, cum paucissimi in his partibus reperiantur doctoris titulo insigniti, committi solet simpliciter confessarius ex approbatis, ab oratore eligendus.

Probe hic notandum, quod rescriptum directum ad *Episcopum* ipse solus, et non Officialis, neque Vicarius generalis exequi possit ; neque Episcopus alteri cuicumque executionem committere posset, nisi facultatem subdelegandi acceperit.

Directum vero ad *Ordinarium loci* tum Episcopus, tum ejus Vicarius generalis, imo, Sede vacante et ante electionem Vicarii capitularis, Capitulum, et post hanc electionem ipse Vicarius capitularis exequi potest, cum hi omnes nomine Ordinarii comprehendantur.

Dicta confirmantur sequentibus responsis S. Pœnitentiariæ, 5. Septemb. 1859, datis ad Episcopum Gandavensem.

Ad III. *Si dispensationes pro executione remissæ sint Ordinario, Vicarius generalis potest illas exequi, et non indiget speciali mandato Episcopi; si vero remissæ sint pro executione ad Episcopum, Vicarius generalis exequi non potest, et neque Episcopus potest dare speciale mandatum, nisi in rescripto ei detur facultas subdelegandi.*

Dubium VI. *Quando dispensationes matrimoniales a S. Pœnitentiaria vel a Dataria ad Episcopum, Ordinarium, Officialem diriguntur, quæritur utrum isti Episcopus, Ordinarius, Officialis respective alium delegare pro singulo casu occurrente possint?*

Ad VI. *Negative, nisi in rescripto reperiatur facultas subdelegandi.*

Rescriptum directum ad Officialem nequidem ipse Episcopus potest valide exequi; potest autem loco Officialis impediti designare alium ad hoc munere fungendum.

Vicarius capitularis invalide exequeretur litteras dispensationis directas ad Officialem Episcopi defuncti, ut patet ex decreto S. Congregationis 24 Maii 1621. Contrarium tamen tenet Bouvier cum aliis, præsertim Gallis.

An Officialis exequi possit mandatum, si per errorem Officiali alterius diœcesis, v. g. Leodiensis pro Mechliniensi, inscribatur, vide disputatum apud Caillaud, n. 255.

Quænam ab executoribus rescriptorum apostolicorum observanda sunt?

Observanda ab executore dispensationis.

R. 1°. Debent attente perlegere rescripta, ut omnia quæ in eis continentur, perspecta habeant.

2°. Videre debent, an bene enuntiata sint nomina et diœceses oratorum, natura et numerus impedimentorum, status fortunæ oratorum, etc.

3°. Examinare debent, an quæ allegata fuerunt, et in rescripto repetuntur, reipsa existant, seu *an preces veritate nitantur*: an novum impedimentum non sit exortum, etc.

4°. Debent injungere eleemosynam, pœnitentiam, separationem oratorum etc., si aliquid hujusmodi injungendum præscribatur in rescripto.

5°. Tandem debent fulminare dispensationem.

Ad instituendum diligenter præscriptum examen, antequam litteras apostolicas exequantur, obligantur sub gravi, cum secus dispensationem, ipsumque adeo Matrimonium periculo nullitatis exponerent; atque ideo severe

in ipsis rescriptis injungitur, his vel similibus verbis : *Discretioni tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam habemus, committimus et mandamus, quatenus te de præmissis diligenter informes, et si per informationem eamdem preces veritate niti repereris, super quo conscientiam tuam oneramus,* etc. Idem colligitur ex Benedicti XIV Constit. Ad apostolicæ, 25 Febr. 1742, ubi simili modo loquitur.

An verificatio precum, seu informatio de earum veritate necessaria est pro valore dispensationis ?

An verificatio precum sit necessaria ad valorem.

R. Non convenit inter auctores : tres sunt sententiæ notandæ :

1°. Pyrrhus Corradus, lib. 7, cap. 6, n. 27, affirmat his verbis : « Nisi fiat inquisitio circa expressa in litteris, non » erit valida, quia per clausulam supradictam mandatum » redditur conditionale. » Ita etiam Scavini aliique.

Confirmant hanc sententiam ex Constit. Benedicti XIV ad apostolicæ supra citata, ubi sic loquitur : *Expressio causarum earumque verificatio ad substantiam et validitatem dispensationis pertinet, illisque deficientibus, gratia nulla ac irrita est, nullamque executionem meretur.* Tum ex Concilio Tridentino, Sess. XXII, cap. V, *de reform.*, ubi generatim loquens de dispensationibus quæ gratiose conceduntur, statuit : *Suum non sortiantur effectum, nisi prius ab eisdem* (Ordinariis), *tanquam delegatis Apostolicis, summarie tantum, et extrajudicialiter cognoscatur, expressas preces subreptionis vel obreptionis vitio non subjacere.*

2°. Alii, et quidem plerique recentiores, dicunt, ad valorem certo requiri precum veritatem, sed verificationem seu informationem veritatis, ab executore factam, necessariam non esse ad valorem, modo revera preces veritate nitantur. Ita Bouvier, § 5 : quia, inquit, Pontifex non præcise informationem, sed rei veritatem sub pœna nullitatis præscribere videtur. Ita quoque Card. Gousset, *Théologie morale,* tom. 2, n. 868 ; et Gury, edit. cit., n. 880, hanc sententiam probabiliorem vocat.

3°. Schmalzgrueber, *De Matrimonio,* tit. 16, n. 224, distinguit hoc modo : « Executor diligenter informare se » debet super causa dispensationis, et si preces veritate » nitantur, tunc primum auctoritate apostolica dispensare. » Ubi notandum est discrimen inter clausulam : *Si ita est* » — *si preces veritate nitantur,* et clausulam : *Si preces*

» *veritate niti repereris*. Nam si prior clausula rescripto » adjecta sit, valet dispensatio, etiamsi dispensans causæ cognitionem non præmiserit, modo reipsa preces » veritate nitantur. At si adjecta rescripto sit clausula » posterior, omissa causæ cognitione, dispensatio invalida » est, licet reipsa veræ sint preces, quia tunc causæ cognitio induit naturam conditionis. » Eodem prorsus modo loquitur Reiffenstuel, *Append.* n. 524. Porro prior formula reperiri solet in rescriptis S. Pœnitentiariæ, etiam pro utroque foro datis, posterior vero ordinarie habetur in rescriptis Datariæ.

Quid in praxi faciendum.

Omnes illæ sententiæ videntur esse vere probabiles; cum autem agatur de valore dispensationis, adeoque et Matrimonii, concludendum est, partem tutiorem esse eligendam.

Unde regulariter post acceptum rescriptum apostolicum executor verificationem precum instituere debet, antequam ad fulminationem dispensationis procedat : tum quia præcipitur et forte sub pœna nullitatis ; tum quia forte error irrepsit, aut causa cessavit, aut novum impedimentum exortum est, ex quo dispensatio certe esset invalida.

Dictum est, *regulariter* post acceptum rescriptum verificationem precum instituendam esse ; quia si urgeat necessitas Matrimonii celebrandi, aliquando, ea omissa, dispensatio fulminari posse videtur; tunc maxime quando diligens informatio a parocho aut Officiali facta fuit ante dispensationis postulationem. Hæc enim prior informatio verisimilius sufficit, ut subsistat conditio illa : *Si preces veritate niti repereris;* præsertim si ex circumstantiis moraliter certus sit executor, quod vera fuerint allegata, et causa dispensationis non cessaverit. Unde ipse Benedictus XIV, *Institutione* 87 , docens pro rescriptis S. Pœnitentiariæ informationem necessario a delegato faciendam esse, addit : « Nisi forte ipse aliunde rei veritatem justam- » que causam cognoverit. » Cum autem in hoc casu sine nova informatione dispensationem fulminat, Officialis monebit parochum, ut summarie in precum veritatem inquirat, et a celebratione Matrimonii abstineat, si forte detegat aliquid falsi fuisse allegatum, aut causam finalem ante fulminationem cessasse etc.

Notandum 1°. quod informatio præfata summarie et extrajudicialiter fiat, in foro tamen externo adhibitis aliquando testibus seu personis fide dignis, et interposito etiam juramento super veritate precum, si ita præcipiatur in rescripto apostolico.

Executor dispensationis pro foro externo informationem hanc non debet facere immediate per se, sed per alium, v. g. parochum, eam instituere potest. Fulminationem autem dispensationis alteri committere non potest, nisi hoc expresse in indulto concedatur, ut ex supra dictis constat. Adeoque parochus, facta informatione, illam communicare debet Officiali, qui, si nihil obstet, dispensationem fulminat.

Notandum 2°. quod dispensationes pro foro externo concessæ, in registris officialitatis accurate describi debeant, aut saltem authenticæ litteræ conservari, ut de Matrimonii canonicitate constare possit. Parochus vero qui Matrimonium celebrat, similiter dispensationis mentionem facere debet in actis seu instrumento Matrimonii.

Quænam notanda sunt circa separationem oratorum, quam executor rescripti eis imponere aliquando jubetur ?

R. Notanda sunt plura :

Notanda circa separationem oratoribus injungendam.

1°. In dispensationibus quas concedit Dataria, hæc clausula, *oratores inprimis ab invicem separes*, apponitur quando inter ipsos copula carnalis, aut illius fundata suspicio exorta est, vel etiam quando oratores scienter contraxerunt Matrimonium invalidum. Unde « ante omnia, » inquit Pyrrhus, lib. 8, cap. 5, n. 55, « exe» cutor mandet parocho oratorum, quatenus eos separet, » ne ipsi in peccato perseverent. »

2°. Ea separatio injungenda est oratoribus ante fulminationem dispensationis sub pœna nullitatis. Neque potest executor ad fulminationem procedere, priusquam a parocho didicerit, separationem esse factam et observatam, ut patet ex verbis rescripti : *Postquam ipsi in separatione præfata arbitrio tuo perseveraverint.*

3°. Separatio in eo consistit, ut oratores non tantum thoro, sed et domo separati vivant; secus enim nec scandalum tolleretur, nec occasio incestus præscinderetur. Si vero impossibilis esset separatio habitationis, sufficeret separatio thori.

4°. In dispensationibus, quas S. Pœnitentiaria hodie concedit pro utroque foro, saltem ab anno 1852, etiam separatio et quidem severior jubetur his terminis : *Interdicto ipsis per tempus eidem* (executori) *bene visum quocumque tractu.* Porro, juxta responsum S. Pœnitentiariæ, datum 14 Decemb. 1852, per tractum ipsis interdictum intelligitur, non tantum separatio a thoro et habitatione, sed omnis præterea familiaris conversatio, uti sunt visitationes, amica colloquia etc.

5°. Si in rescripto designetur tempus, quo separatio aut tractus prohibitio durare debet, illud observandum est ; si vero, ut ordinarie contingit, relinquatur arbitrio executoris, consultum est breve tantum tempus designare, ne, si Matrimonium diutius differatur, injunctum separationis vel interdictæ conversationis mandatum infringatur.

6°. Quamvis executor dispensationem fulminare non possit, si oratores mandatum separationis, aut prohibitionem omnis tractus non observaverint ; non tamen cessat per hanc violationem potestas ipsi commissa : sed injungenda est nova separatio aut interdictio cujuscumque tractus; et, si oratores tandem separationem aut interdictionem servaverint, poterit executor dispensationem fulminare, dummodo tamen illa violatio non fuerit per incestum. Vide responsum S. Pœnitentiariæ 15 Febr. 1854, in op. cit., *Acta ex iis decerpta* etc., vol. 1, append. 16 ; et cl. Feije, n. 745 et 752.

Denique consultum omnino est, ut parochus, elapso tempore separationis, statim informet executorem, omnia allegata subsistere, omnia requisita esse præstita, et signanter separationem esse peractam ; executor autem sine mora dispensationem fulminet,

Quænam speciatim observanda sunt, quoad executionem dispensationis a S. Pœnitentiaria concessæ super impedimento occulto, seu pro foro conscientiæ?

R. I. Circa confessarium, dispensationis executorem, et modum illam exequendi observa, quod, si litteræ inscribantur simpliciter alicui confessario ex approbatis ab Ordinario, per latorem eligendo, uti nunc solet pro his partibus, tunc quilibet confessarius approbatus eas aperire et exequi potest. Notanda: 1°. circa confessarium executorem dispensationis S. Pœnitentiariæ;

Si vero inscriberentur, ut olim moris erat, theologiæ magistro, vel canonum doctori, tunc ille solus id posset qui legitime hunc titulum obtinuisset in publica Universitate, aut alia schola, quæ gradus theologicos conferre valeat. Attamen, ut habet Benedictus XIV, *Instit.* 87, n. 32, « Patres Societatis Jesu a Gregorio XIII privile» gium acceperunt, quo S. Pœnitentiariæ litteras ape» rire possint easque exequi, licet doctores in publica » Academia declarati non fuerint, modo tamen inter » confessarios ab Episcopo probatos recenseantur, et sint » ex illorum numero, quos Præpositus Generalis Socie» tatis designare solet, ut litteras Pœnitentiariæ accipiant » et exequantur. Eodem ferme privilegio prædíti fuerunt » ab Innocentio XI lectores regulares S. Francisci, qui » Minores Observantes appellantur.»

Semel facta electione, non amittitur jus ad alium recurrendi, etiamsi prior confessarius litteras aperuerit et legerit, ut si hic mandatum exequi non velit aut non possit, v. g. quia morbo aut morte ab illo exequendo prohibetur. Ita per totum orbem servatur in praxi, ait Pyrrhus Corradus, et est sententia communissima plurimorum contra paucos. Cfr. Compans, n. 271.

Porro cum executio harum litterarum intra confessionem sacramentalem fieri debeat, sufficit, ut confessarius, attente perlectis litteris, ipsum pœnitentem circa veritatem precum, et subsistentiam causarum, interroget; dein, imposita, si ita jubeatur, pœnitentia salutari etc., pronuntiatisque consuetis formis absolutionis a censuris et a peccatis, dispensationem verbotenus concedat, et, iis peractis, rescriptum laceret.

Nulla formula concedendi ejusmodi dispensationem præscribitur, adeoque satis est, ut confessarius dicat se vi rescripti, seu auctoritate apostolica, dispensare super tali impedimento. Formulas tamen duas, unam pro Matrimonio contrahendo, aliam pro Matrimonio contracto, proponit Benedictus XIV, *Institutione* 87, n. 81 et 82, quæ casu occurrente usurpari possent.

« Si, » inquit, « res agitur de ineundo Matrimonio, his » verbis utantur (confessarii): *Et insuper, auctoritate apo» stolica mihi specialiter delegata, dispenso tecum super im» pedimento.... ; ut, præfato impedimento non obstante,*

» *Matrimonium cum dicta muliere publice, servata forma* » *Concilii Tridentini, contrahere, consummare, ac in eo ma-* » *nere licite possis, et valeas. In nomine Patris, et Filii, et* » *Spiritus Sancti. Amen. Insuper eadem auctoritate apo-* » *stolica prolem, quam ex Matrimonio susceperis, legitimam* » *fore nuntio, et declaro. In nomine Patris, et Filii, et Spi-* » *ritus Sancti. Amen.* »

« Si de jam inito Matrimonio res est, post consuetam » absolutionem a censuris et peccatis, hæc ita pronun- » tient : *Et insuper, auctoritate apostolica mihi specialiter* » *delegata, dispenso tecum super impedimento...; ut, eo non* » *obstante, Matrimonium consummare, et in eo remanere li-* » *cite possis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* » *Amen. Et pariter eadem auctoritate apostolica prolem, sive* » *quam suscepisti, et susceperis, legitimam fore decerno, et* » *declaro. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,* » *Amen.* »

II. Circa præcipuas clausulas quæ in rescriptis S. Pœnitentiariæ occurrere solent, sequentia sunt notanda. 2°. circa præcipuas clausulas rescripti S. Pœnitentiariæ.

1°. Dicitur : *Discretioni tuæ committimus, quatenus, si ita est.* Vi horum verborum confessarius sub gravi tenetur examinare, an subsistant ea quæ in supplica fuerunt exposita, et in rescripto repetuntur. Prævium hoc examen, ut vidimus, secundum aliquos requiritur ad valorem dispensationis.

Ipsum idcirco pœnitentem diligenter interroget, eum serio monendo ut veritatem dicat, cum alias forte lateret defectus, cui remedium esset adferendum. Testes adhiberi hic non possunt, neque etiam jusjurandum exigi, ut rei veritas magis comprobetur : sed pœnitenti simpliciter asserenti credendum est, nisi forte confessarius, aliunde quam ex tertii confessione sacramentali, contrarium sciret.

Si confessarius reperiret, preces veritate non niti, rescriptum exequi non posset : hæc enim est mens Cardinalis Pœnitentiarii.

2°. Alia clausula est : *Audita prius ejus sacramentali confessione ;* item hæc : *In foro conscientiæ et in ipso actu sacramentalis confessionis tantum.* Quibus verbis conditio præscribitur, qua si careat, dispensatio irrita prorsus efficitur, ut dicit Benedictus XIV, cit. *Institutione,* n. 35.

Omnino itaque necessaria est sacramentalis confessio saltem alicujus peccati. Attamen S. Pœnitentiaria, apud Compans, n. 274, respondit, validas esse dispensationes, *etiamsi contingat pœnitentem nulliter et sacrilege confiteri et absolutionem a peccatis recipere.*

Insuper declaravit : *Quod si confessarius advertat pœnitentem, ex sua indispositione, a peccatis absolvi rite non posse, curare debere eumdem pœnitentem recte disponere vel, si disponi nequeat in præsenti, una cum absolutione a peccatis differre quoque prædictas dispensationes ; nisi forte urgens aliqua necessitas suadeat dispensationes easdem accelerare.*

3°. Quando agitur de impedimento affinitatis ex copula illicita, additur hujusmodi clausula : *Sublata occasione, si qua adhuc exstat, amplius cum dicta sorore sponsæ peccandi.* Intelligitur occasio proxima, in qua si voluntarie maneret, absolvi non posset, adeoque una cum absolutione differenda esset dispensatio. Si autem modo eam abstulit, aut actu vult auferre, quantum necesse est ad absolutionem, videtur hoc sufficere quoque ad dispensationem. Cfr. tract. *De Sacramento Pœnitentiæ*, N. 93. Notandum vero, quod sæpe per ipsum Matrimonium, quod remedium est inordinatæ concupiscentiæ, auferatur occasio.

4°. Quando commissus fuit incestus, concedi solet, ut pœnitentem *Ab incestu, et excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta.* Unde licet confessarius non haberet alias potestatem absolvendi ab incestu, ut contingere potest in diœcesibus ubi est casus reservatus, pro hac tamen vice posset, cum S. Sedes id ipsi concedat. In certis casibus etiam conceditur confessario potestas *A censuris et pœnis ecclesiasticis ob præmissa quovis modo incursis, et ab incestus reatibus apostolica auctoritate absolvendi.*

5°. Clausula *Injuncta ei pro tam enormi excessu gravi pœnitentia,* requirit, ut injungatur pœnitentia distincta a pœnitentia sacramentali ; fieri enim potest ut incestus jam antea fuerit remissus et salutari pœnitentia expiatus.

Si S. Pœnitentiaria determinaret pœnitentiam, v. g. confessionem menstruam, hæc omnino injungenda foret. Si

autem, ut fit communiter, arbitrio confessarii relinquatur, attendere ille debet tum ad delicti gravitatem et pœnitentis vires, tum ad qualificationem Pœnitentiariæ : an exigat pœnitentiam *salutarem* tantum, an *gravem, gravissimam, longam, diuturnam, perpetuam :* de quo vide Compans, n. 277. « Recitatio Coronæ v. g. singulis » hebdomadibus per annum est *gravis* et *longa,* » inquit Bouvier, « per tres annos, esset *diuturna.* »

6°. Per clausulam *Et aliis injunctis, quæ de jure fuerint injungenda,* monetur confessarius ut imponat pœnitenti cæteras obligationes, quæ ob alia peccata aut quavis de causa ei imponendæ sunt : v. g. ut restituat, scandalum reparet, etc.

7°. Circa clausulam *Dummodo impedimentum occultum* vel *omnino occultum sit,* vide dicta N. 98.

8°. Additur : *Ita quod hujusmodi absolutio et dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragentur.* Hinc sequitur, dispensationem sic datam tantum valere in foro interno. Unde, si impedimentum postea fieret publicum, quamvis Matrimonium maneat validum in conscientia, deberet tamen nova dispensatio pro foro externo publice peti. Cfr. Benedictum XIV, cit. *Institutione,* n. 50 et 51.

9°. *Præsentibus laceratis* etc. Vi hujus clausulæ tenetur executor sub gravi rescriptum post executionem lacerare aut aliter supprimere ; imo aliquando hoc sub pœna excommunicationis latæ sententiæ injungitur. Si contra hoc mandatum oratoribus traderetur rescriptum ejusve transsumptum, nihil eis in foro externo prodesse posset, ut in ipsis litteris additur.

10°. Quando dispensatio datur ad Matrimonium invalide contractum convalidandum, addi solet : *Comparte de nullitate prioris consensus certiorata ;* circa quod attendantur dicta supra N. 94.

Tandem adverte, quod dum S. Pœnitentiaria super aliquo impedimento occulto dispensat cum duobus, qui ambo impedimenti conscii sunt et complices peccati, diversos autem habent confessarios, tunc prior confessarius, postquam cum suo pœnitente dispensavit, eidem litteras de novo clausas tradere debet, ut easdem det comparti suæ, quæ similiter eas exhibeat confessario suo,

ut hic eas eadem ratione respectu dictæ compartis exequatur. Ita respondit S. Pœnitentiaria, 13 Novemb. 1748, apud Collet, *Traité des dispenses*, tom. 3, epist. 41. Hoc tamen, ut in eodem responso notatur, non est tam ad auferendum impedimentum, quod per priorem cum uno dispensationem jam ablatum præsupponitur, quam potius ad congruas pœnitentias sacramentales utrique imponendas, quas non convenit ab uno tantum exigi, ubi communis est culpa. Hæc porro ratio supponit, compartem fuisse complicem peccati, ut in incestu, aut crimine ; adeoque si complex non fuit, ut si exorta sit affinitas ex culpa sponsi tantum, licet sponsæ hoc notum sit, non est locus dispensationem respectu sponsæ exequendi ; sed sufficit ut ipsa certioretur de obtenta dispensatione.

Quid faciendum est, quando, postquam fulminata est dispensatio super uno impedimento, suboritur aliud impedimentum ?

Quid si post dispensationem superveniat impedimentum,

R. Petenda est dispensatio super hoc novo impedimento antequam Matrimonium possit contrahi ; sed necesse non est in hac supplica mentionem facere alterius impedimenti jam legitime sublati. Ita Sanchez, lib. 8, disp. 23, n. 4 : « Si, » inquit, « sublato uno im- » pedimento dirimenti, superveniret aliud, satis esset » in posteriori dispensatione solius supervenientis men- » tionem facere, tacita priori dispensatione.... Tunc » enim unicum obstat impedimentum, et dispensatio- » nes sunt circa diversa. Ut si quis, obtenta dispensatione » ad ducendam consanguineam, et expedita jam per » Ordinarium, contraheret cum illa affinitatem cogno- » scendo ejus sororem, satis esset aliam, hujus solius » affinitatis mentione facta, dispensationem impetrare. »

Secus vero dicendum foret, si novum impedimentum accederet ante fulminationem prioris dispensationis. Unde recte subdit laudatus auctor : « Dixi, expedita » jam per Ordinarium, quia cum antea nondum perfecta » sit prioris impedimenti dispensatio, nec possit expe- » diri superveniente affinitate, eo quod jam sint duo » impedimenta, esset necessarium aliam dispensationem » a Pontifice impetrare, in qua utrumque simul impe- » dimentum explicetur ; ne subreptitia sit. »

Quid, si, obtenta pontificia dispensatione in affinitate, antequam Matrimonium contrahatur, impetrans iteraret copulam cum eadem consanguinea fœminæ a se ducendæ?

R. Distinguendo. Si contingat antequam dispensatio fulminata sit, certum est quod non impediat dispensationis valorem. Iteratio enim copulæ cum eadem persona non auget affinitatem cum illius consanguinea, unde nec in supplica multiplicitas actuum est exprimenda. Eadem est affinitas pro qua obtenta fuit dispensatio, quam adeoque delegatus virtute mandati apostolici exequi debet. Cfr. Sanchez, disp. 24, n. 8; et S. Alphonsum de Ligorio, n. 1140.

aut copula iteretur ex qua orta fuit affinitas.

Si iterata copula contingat postquam fulminata est dispensatio, non ita liquet, an nova requiratur dispensatio. Sanchez, loc. cit., affirmat : « Secus esset, » inquit, « si » accideret copula postquam jam dispensavit Ordinarius, » vel confessor cui committitur in foro conscientiæ. Quia » cum prior affinitas sit omnino per dispensationem ab» lata, contrahetur nova affinitas per hanc copulam, in » qua nulla est dispensandi commissio. »

Verumtamen in contrarium facit sequens responsum S. Pœnitentiariæ, 21 Septemb. 1752, quod refert S. Alphonsus de Ligorio, cit. n. 1140 : *S. Pœnitentiaria ad præmissa respondet, quod si orator alias super eodem primi affinitatis gradus impedimento ad Matrimonium contrahendum cum muliere, de præsenti ejus conjuge, fuerit dispensatus, etiamsi ipse post obtentam gratiam atque ante Matrimonii celebrationem, denuo cum supradictæ mulieris matre relapsus sit, nova dispensatione non indigere.* Cum ibi dicatur nova dispensatione opus non esse, si contingat ista fornicatio *post obtentam gratiam atque ante Matrimonii celebrationem,* videtur etiam comprehendi casus quo contingat post gratiam non tantum Romæ concessam, sed etiam executioni mandatam. Cfr. cl. Feije, op. cit., n. 700.

— Agitur in q.ne de copula iterata cum eadem consanguinea certo enim vitiatur dispensatio ob novum impedim.tum affinitatis si quis ante C.m 1.a cum alio suæ sponsæ consanguineo copulam habuerit.

N. 101. In quibus casibus possint Episcopi dispensare super impedimentis Matrimonii.

Ex concessione Summi Pontificis,

Plures sunt casus, in quibus Episcopi dispensare possunt super impedimentis Matrimonii ex concessione Summi Pontificis, vel expressa, vel tacita, seu præsumpta.

An Episcopi dispensare possunt in impedimentis solum impedientibus ?

dispensant Episcopi in plerisque impedimentis impedientibus ;

R. Certum est, Episcopos dispensare posse in plerisque impedimentis impedientibus tantum. Ita enim habet generalis consuetudo, cui Summus Pontifex assentiri censetur. Unde Benedictus XIV, *De Synodo diœcesana*, lib. 9, cap. 2, n. 1, dicit, quod nullus de hac potestate Episcoporum, dubitat : « Si excipias, » addit, « impedi-
» mentum ortum ex Sponsalibus cum altero initis, quod,
» illo invito, sine ejus injuria remitti nequit; et illud quod
» provenit ex voto aut ingrediendæ religionis aut per-
» petuæ castitatis, quæ vota, nisi fuerint conditionata,
» Summo Pontifici reservantur ; necnon alterum prove-
» niens ex hæresi. »

Circa Sponsalia tamen notandum est, quod licet Episcopi in iis dispensare nequeant, quia vis illorum oritur ex jure naturæ, equidem aliquando declarare possint, eorum obligationem cessare, ob circumstantias nempe quæ supervenerunt, ut patet ex dictis N. 20.

Votum vero castitatis non est reservatum Summo Pontifici, nisi sit votum castitatis perpetuæ et perfectæ, libere emissum, certum et absolutum, id est non alternativum aut conditionatum. Votum autem ingrediendæ religionis, intelligitur religionis a Sancta Sede approbatæ ad vota solemnia, secus non esset reservatum Pontifici.

Quoad tertiam exceptionem, scilicet, impedimentum mixtæ religionis, ut pars catholica cum hæretica contrahere possit, certo necessaria est dispensatio Summi Pontificis. Cfr. Benedictum XIV, *De Synodo*, lib. 9, cap. 3.

His porro quarta exceptio addenda est, nimirum vetitum Ecclesiæ, si nempe Matrimonium vetitum sit a Romano Pontifice, vel alio Episcopi superiore, v. g. ab Archiepiscopo in casu appellationis.

In quibus casibus possunt Episcopi dispensare in impedimentis dirimentibus?

in dirimentibus quoque :

R. Quatuor distincti casus recenseri possunt :

1°. vi specialis indulti;

Primus casus est, si Episcopus particulare seu personale indultum a Romano Pontifice obtinuerit in quibusdam impedimentis dispensandi : qualia indulta Episcopis dari solent vel ad quinquennium, et inde *quinquennalia* vocantur, vel ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, vel ad tempus quo regimini ecclesiæ suæ præfuerit Episcopus etc.

Hujusmodi facultates concessæ fuerunt ad quinquennium Illmo ac Revmo Archiepiscopo Mechliniensi, his terminis :

1°. *Dispensandi in tertio et quarto gradu simplici et mixto consanguinitatis, et affinitatis, non dum cum pauperibus, sed etiam cum nobilibus et divitibus in contrahendis; in contractis vero cum hæreticis conversis etiam in secundo simplici et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum ; et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.*

2°. *Dispensandi super impedimento publicæ honestatis, justis ex Sponsalibus proveniente.*

3°. *Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante ; ac restituendi jus petendi debitum amissum:* de usu M.)

4°. *Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, præter levantem et levatum.*

Hæ vero dispensationes matrimoniales non concedantur nisi cum clausula : Dummodo mulier rapta non fuerit, et, si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat ; *et in dispensationibus hujusmodi declaretur expresse, illas concedi tanquam a Sedis Apostolicæ delegato, ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis ad quod fuerint concessæ ; alias nullæ sint.*

Circa primum notandum, quod vi facultatis dispensandi in tertio et quarto gradu simplici et mixto dispensare non possint Episcopi in gradu inæquali tertio vel quarto si secundum attingat, seu secundo cum tertio, aut secundo cum quarto, ut pluries declaraverunt Summi Pontifices. Possunt autem in casu duplicis cognationis aut cognationis cum affinitate mixtæ : et hic videtur esse sensus vocis *mixto* in indulto ; quo sensu eadem vox

sumitur apud Sanchez, lib. 8, disp. 24, n. 5, tum in indultis apostolicis relatis apud Caillaud, n. 333. Cfr. etiam Carrière, n. 1100.

Circa secundum : excipitur publica honestas ex Matrimonio rato, saltem in primo et secundo gradu ; nam in tertio et quarto concessa censetur facultas dispensandi, eo quod conceditur in tertio et quarto gradu affinitatis, quæ includit publicam honestatem.

Circa tertium : intelligitur de solo impedimento quod oritur ex adulterio cum promissione Matrimonii, sed sine machinatione in mortem conjugis.

Circa quartum : excipitur tantum manifeste cognatio spiritualis inter patrinum seu matrinam Baptismi et prolem baptizatam. Sed excipienda est a fortiori cognatio inter baptizantem et prolem baptizatam exorta, cum vix ipsa S. Sedes unquam in hoc impedimento dispenset.

Facultates istæ, cum sint mere personales Episcopo, de jure non transeunt ad Capitulum vel Vicarium capitularem, Sede vacante ; verumtamen inconvenientia præcaveri possunt, quandoquidem in fine quinquennalium datur etiam Episcopo facultas : *Communicandi has facultates in totum vel in parte, prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit, sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus, et præsertim tempore sui obitus, ut, Sede vacante, sint qui possint supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quam primum fieri debebit, per delegatos, aut per unum ex eis alio modo provideat.*

Præter has facultates in quinquennalibus expressas, gaudet Archiepiscopus Mechliniensis aliis facultatibus ad brevius tempus, vel ad certas vices dispensandi.

Animadvertendum tamen est, quod si cum impedimento in quo dispensare potest Episcopus, concurrat aliud impedimentum pro quo requiritur dispensatio Sanctæ Sedis, eo ipso Episcopus privatur sua potestate dispensandi in illo priori impedimento, et in casu omnium impedimentorum relaxatio a Sede Apostolica impetranda est.

2o. post Matrimonium contractum,

Secundus casus in quo Episcopus dispensare potest super impedimento dirimente est, ubi agitur de Matrimonio jam publice contracto, sed invalide ob impedimentum occultum juris ecclesiastici, tale scilicet in quo

dispensare solet Romanus Pontifex? Ita communissime auctores, cum Benedicto XIV, *De Synodo diœcesana*, lib. 9, cap. 2, n. 1 : idque fundant in spirituali necessitate fidelium et generali consuetudine, quæ ubique viget, consentiente Summo Pontifice. Monent vero unanimiter doctores, non posse Episcopum eam potestatem sibi usurpare, nisi quædam concurrant circumstantiæ, quas Benedictus XIV, loc. cit., enumerat : scilicet,

1°. Ut Matrimonium fuerit contractum in facie Ecclesiæ, præviis proclamationibus et adhibitis requisitis solemnitatibus. Ratio est, ut dicit S. Alphonsus de Ligorio, n. 1124, quia Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, cap. V, *De reformatione Matrimonii*, vult, illos spe dispensationis carere, qui solemnitates requisitas in contrahendo Matrimonio neglexerint. Si tamen proclamationes omissæ fuerint cum legitima Superioris licentia, non obstat quominus Episcopus dispensare queat, quandoquidem tum dici non potest, eas fuisse neglectas. si adsint certæ conditiones ;

2°. Ut fuerit contractum bona fide ex ignorantia juris aut facti. Unde si uterque mala fide contraxerit, communissime et verius, ut dicit S. Alphonsus de Ligorio, loc. cit., negant auctores, Episcopum dispensare posse : tum quia Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, cit. cap. V, vult, ut illi qui intra gradus prohibitos scienter Matrimonium contrahere præsumpserint, spe dispensationis consequendæ careant ; tum quia alias daretur occasio, ut sæpe spe facilioris dispensationis Matrimonium cum impedimentis dirimentibus contraherent. Sed certum est, ait idem S. Doctor, non requiri bonam fidem ex parte utriusque : sufficit itaque ut una pars bona fide contraxerit ; quia ipsa non debet arceri ab indulgentia Ecclesiæ, propter malitiam alterius.

3°. Conditio, quam Benedictus XIV cum Pyrrho Corrado aliisque exigit est, ut Matrimonium sit consummatum. Alii vero passim hanc conditionem non requirunt. Unde, si cæteræ conditiones adsint, et idem urgeat periculum vel scandali in separatione vel incontinentiæ in cohabitatione, Episcopus dispensare posse videtur, etiamsi forte Matrimonium nondum fuisset consummatum.

4°. Ut impedimentum sit occultum ; quod hic eodem sensu intelligitur, quo supra N. 98 fuit expositum.

Quando autem impedimentum est publicum, regulariter scandalum ex separatione timendum non est ; ideo communiter auctores hanc conditionem ponunt.

5°. Ut non possit facile adiri prima Sedes, seu dispensatio a Papa obtineri, ob conjugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam, aliasque similes causas. Ita Benedictus XIV, loco cit.

Circa quod notandum, vix hic occurrere posse casum, quo ob solam paupertatem aut rusticitatem oratoris Sancta Sedes adiri nequeat, cum ipse confessarius aut parochus dispensationem facile impetrare possit a sacra Pœnitentiaria per epistolam, cujus sumptus sunt valde exigui. Sed propter locorum distantiam adest ordinarie gravis necessitas spiritualis, quandoquidem regulariter per plures hebdomadas deberent conjuges responsum expectare, adeoque exponerentur magno periculo incontinentiæ, cum aliunde raro possent sine scandalo separari.

6°. Unde ordinarie etiam obtinet sexta conditio, nimirum ut non possit separatio fieri sine scandalo.

Hinc dicit Daelman : « Quandocumque ferme in hoc » Belgio tale impedimentum detegitur, tunc censetur » difficilis ad Pontificem recursus, tam propter periculum » incontinentiæ, quam ex eo quod communiter tales non » possent sine scandalo aut difficultatibus tamdiu separari, » donec Roma redierit dispensatio.... Unde Episcopi no- » stri sine ullo scrupulo in talibus impedimentis hic satis » generaliter dispensant. »

Notandum 1°. quod hæc dispensatio tantum valeat pro foro interno, ut merito advertit Benedictus XIV, loc. cit., et alii communiter ; adeoque, si impedimentum postea fiat publicum, nova pro foro externo dispensatio petenda est.

Notandum 2°. Cum hæc potestas dispensandi in præfato casu reputetur ordinaria, Episcopus eam aliis delegare potest, et, Sede vacante, competit Vicario capitulari.

Notandum 3°. quod, vi similis consuetudinis fundatæ in simili spirituali necessitate fidelium, Episcopi dispensare solent in impedimento petendi debitum ob affinitatem aut cognationem spiritualem, stante Matrimonio contractam. Hanc autem facultatem, ut supra vidimus, etiam habent vi quinquennalium.

Tertius casus concernit Matrimonium contrahendum. Communiter nimirum, contra Fagnanum et paucos alios, dicunt theologi, similiter, per epikeiam, fundatam in spirituali fidelium necessitate, Episcopos dispensare posse in occultis impedimentis, etiam ad Matrimonium contrahendum, in urgentissima necessitate, ubi Matrimonium differri non potest sine scandalo et oblocutione, aut gravi periculo famæ.

3o. pro Matrimonio contrahendo in urgenti necessitate;

De hoc casu loquens S. Alphonsus de Ligorio, lib. 6, n. 613, ait : « Communissime doctores et probabilissime » docent, in eo casu posse Episcopum dispensare; ita Sanchez, Bon. Cabass. cum Carden., qui dicit esse sententiam » moraliter certam, et Pyrrho Corrado, qui testatur ita declarasse Sixtum V... Ratio, vel quia tunc præsumendus » est Pontifex delegare Episcopo facultatem dispensandi, » quam requisitus certe ei non denegaret; vel quia, ut » ratiocinatur Sanchez, Episcopus potest in sua diœcesi, » quidquid potest Pontifex in tota Ecclesia, nisi aliquid » Pontifex sibi reservavit... Unde si Episcopus dispensare » nequeat in iis impedimentis, id ex eo provenit, quia » Pontifex reservat; sed cum reservatio fiat propter charitatem, et ob bonam reipublicæ gubernationem, non » est verisimile Pontificem dispensationem sibi reservare » in casu tantæ necessitatis, quando aliter scandala vitari » non possent; hoc enim esset contra charitatem. Ergo in » eo casu intelligitur cessare reservatio, et ideo Episcopus » ex sua potestate ordinaria potest tunc dispensare, sicut » potest in aliis legibus Pontificiis, quando aditus ad Papam non patet. »

« Et eo casu probabiliter dicunt idem Sanchez etc.... » quod Episcopi legitime possint prædictam facultatem » dispensandi delegare aliis, etiam generaliter pro omnibus casibus occurrentibus, quia hæc facultas conceditur » Episcopis ratione dignitatis; unde accipit conditionem » potestatis ordinariæ. »

Juvat hic alias quasdam auctorum sententias circa præsentem difficultatem referre. S. Alphonsus, post relata verba ita pergit : « Imo addit Pignatel., tom. 3, consult. » 33, n. 5, ibique fuse probat, quod eo casu censetur » omnino cessare lex, qua prohibetur tale conjugium contrahi. Omnis enim lex, ut ait, ordinatur ad bonum

» publicum, ut revera est commune apud omnes.... Unde » quando lex evadit perniciosa, utique non obligat, ut docet » D. Thomas, 2 2, quæst. 120, art. 1, ubi dicit, quod cum » aliquid est contra commune bonum, *malum est sequi le-* » *gem positum*...Et ideo ait Pignatellus, tunc alium inferio- » rem legislatore, posse declarare, quod lex impedimenti » cesset, et non obliget, cum in eo casu, si adhuc Pontifex » vellet legem obligare, talis voluntas respiceret malum, » quia esset causa scandali, quod non est præsumendum.»

« Unde dicit Ronc. (cujus opinionem ait auctor *In-* » *struct. pro novis confess..*, non esse rejiciendam tanquam » improbabilem et non tutam in praxi) quod si aliquando » nec etiam ad Episcopum aditus pateret, et nullo modo » aliter vitari posset gravissimum periculum infamiæ, aut » scandali, posset parochus vel alius confessarius decla- » rare, quod lex impedimenti eo casu non obligat, quia » eadem ratio, ut supra, tunc urget, nempe quod cessat » lex, quando potius est nociva quam utilis. Et licet hic » non cesset finis legis in communi, sed in particulari, » cum tamen cessat finis legis in contrarium, lex etiam » cessat, ut omnes conveniunt... »

« Notant tamen præfati auctores, quod esto tunc » permittatur contrahi Matrimonium, tamen quanto- » cius, saltem ad majorem securitatem, et ad salvandam » reverentiam legibus Ecclesiæ debitam, recurri debet » ad S. Pœnitentiariam, ut ab illa dispensatio obtinea- » tur. »

Alii auctores, præsertim canonistæ, legem quatenus irritantem cessare negant; sed admittunt tantum, in hoc casu urgentissimæ necessitatis, ubi non potest adiri Episcopus, cessare legem quatenus prohibentem, adeoque licite procedi posse ad celebrationem Matrimonii invalidi cum proposito quamprimum petendi dispensationem.

Alii tandem cum Card. de Lugo, in eodem casu, parocho et confessario facultatem dispensandi tribuunt, eadem ratione qua tribuitur Episcopis, dum non patet aditus ad Pontificem, sed huic opinioni vix quisquam hodie suffragatur.

Ulterius notandum, quod Roncaglia cum Pignatelli et Tamburini dicant, Episcopum, etiamsi impedimentum fuerit publicum, posse dispensare, quando eædem

interveniunt rationes, quæ sufficiunt ad dispensandum in impedimento occulto.

Sed huic sententiæ cum pluribus refragatur Benedictus XIV, *De Synodo,* lib. 9, cap. 2, et S. Alphonsus, n. 1122, ait : « Hanc opinionem vix unquam puto posse » habere locum in praxi, quia cum impedimentum est » publicum, cessat ratio scandali, si sponsi a tali Matrimo- » nio desistant ; imo præsertim ad vitandum scandalum » tenentur a nuptiis desistere. » Ita sane regulariter contingit.

Nihilominus Card. Gousset, *Théologie morale,* tom. 2, n. 852, opinatur, quod in casu Episcopus dispensare posset, si ab una parte sponsi processerint bona fide, ab alia vero parte, ob peculiares circumstantias, timerentur graves ordinis perturbationes ex Matrimonii dilatione, et vel maxime si tantum detegeretur impedimentum postquam jam celebratum fuit matrimonium civile. Cfr. Carrière, *Compendii* n. 227, et Caillaud, n. 317.

quid in casu faciendum parocho, si neque ad Episcopum recursus haberi possit ;

Ex dictis modo resolve, quid faciendum sit parocho aut confessario, qui pridie vel eodem die quo Matrimonium est contrahendum, in confessione vel extra eam detegit impedimentum aliquod dirimens, dum convivium nuptiale modo paratum est, amici vocati, civiles formæ adimpletæ aut ipsa die adimplendæ ; ita ut nequidem recursus haberi possit ad Episcopum. Nimirum :

1°. Si impedimentum factum sit publicum, omnino inhibere debet Matrimonium, donec dispensatio fuerit obtenta.

2°. Si vero impedimentum maneat occultum, distinguendum est : vel ipsi sponsi illud ignorant, vel non.

Si sponsis ignotum sit impedimentum et absque periculo revelari nequeat, aliquando prudenter relinquuntur in bona fide juxta dicta N. 93, et quantocius post celebrationem Matrimonii petenda est dispensatio.

Si autem sine periculo revelari possit, aut si sponsi illud jam norunt, supersedendum est celebrationi Matrimonii, casu quo sine scandalo, infamia etc. impedimentum propalari, aut sub alio aliquo prætextu Matrimonium differri possit. Casu autem quo sine scandalo, infamia etc. differri nequeat, et sit impedimentum tale in quo dispensare soleat Ecclesia, non male ageret parochus, qui, fretus auctoritate sententiarum supra

expositarum, declararet impedimentum in casu sublatum, aut saltem non obligans quatenus est prohibens, atque sponsos ad Matrimonium admitteret, quantocius petiturus dispensationem a superiore.

Attamen priusquam ad celebrationem Matrimonii procedat, monebit parochus sponsos, ut differant consummationem Matrimonii, donec obtenta fuerit dispensatio, et etiam consensus renovatus, nisi concedatur sanatio in radice. De eo monebit utramque partem, si utraque fuerit conscia impedimenti, unam vero tantum si una tantum illud noverit, et altera in bona fide relinquenda sit.

Patet quod parochus abstinentiam ab omnibus actibus extra Matrimonium illicitis ut obligatoriam urgere debebit, si declarat cessare tantum legem quatenus prohibentem.

Juxta hanc resolutionem agere poterit etiam confessarius, servatis tamen omnibus quæ ut minister Sacramenti Pœnitentiæ servare debet.

Observa tandem, ex circumstantiis dijudicandum esse an petenda sit simplex dispensatio, an vero sanatio in radice.

Legi merentur, quæ de hac difficillima quæstione habet cl. Feije, op. cit., n. 573-592.

4o. quando impedimentum est dubium.

Quartus casus, in quo dispensare potest Episcopus, tam pro Matrimonio contrahendo quam pro contracto, obtinet quoties impedimentum est dubium. Ita communissime sentiunt doctores tam antiprobabilistæ quam probabilistæ, sive sit dubium facti sive dubium juris. Ratio, quia principium est inter juristas commune, in casibus dubiis, quia frequenter occurrunt, bene posse inferiorem dispensare in lege sui superioris: vide Barbosa, Roncaglia, Elbel, Merbesium, Pichler, Continuatorem Tournely, Cabassutium etc. Idem docet S. Alphonsus de Ligorio, n. 902, § *Cæterum,* et post ipsum Scavini; Card. Gousset, n. 854, id ut certum tradit, tam pro dubio facti quam juris. Cfr. Gury, edit. cit., n. 863, et Feije, op. cit., n. 558.

An Episcopi observare debeant stylum

Nota. Episcopi, dum *jure ordinario,* adeoque in casibus secundo, tertio et quarto loco recensitis dispensant, pro valore dispensationis non solent exigere rigorosam observantiam styli Curiæ Romanæ; exponi tamen debent

substantialia impedimenti, et circumstantiæ quæ forte casum jurisdictioni Episcopi subtraherent, ut si Matrimonium esset mala fide contractum, aut impedimentum publicum etc., item exprimi debent justæ causæ dispensandi. Curiæ Romanæ in suis dispensationibus.

Quando autem Episcopus dispensat, vi facultatis apostolicæ sibi specialiter delegatæ, rigorose servandus est stylus Curiæ Romanæ, adeoque in supplica necessario exponenda sunt, quæ Romæ exponi deberent, et signanter copula incestuosa, ut notavimus N. 99, et patet ex responsione S. Pœnitentiariæ ad sequentes petitiones:

1°. *An Episcopus, quando vi specialis cujusdam indulti apostolici in impedimentis Matrimonium dirimentibus dispensat, necessario, et ad valorem dispensationis, sequi debet easdem illas regulas, quas in Curia Romana observant, ubi ipse Summus Pontifex in eodem impedimento iisdemque impedimenti gradibus dispensat?*

2°. *An copula incestuosa, quæ inter desponsandos consanguineos aut affines in tertio vel quarto gradu tantum, vel etiam inter cognatione spirituali conjunctos, intercessit, necessario et ad valorem dispensationis est exprimenda, quando in iis consanguinitatis, affinitatis vel cognationis spiritualis impedimentis, non ipse Summus Pontifex immediate, sed Episcopus vi specialis cujusdam indulti, quod a Summo Pontifice est adeptus, dispensationem impertitur?*

Sacra Pœnitentiaria, mature perpensis expositis, ad utrumque propositum dubium respondet: Affirmative. Ita legitur in responso dato 1 Junii 1858. Simul vero Officiali, qui dubia proposuerat, facultatem concessit sanandi in radice Matrimonia nulliter in sua diœcesi contracta, ob præfatum defectum in dispensationibus.

Notandum insuper, quod in dispensationibus ita vi specialis indulti concessis, necessario servare debent Episcopi clausulas a Summo Pontifice adjectas, ut quod dispensatio conceditur tanquam a Sedis Apostolicæ delegato, et dummodo mulier rapta non fuerit etc., ut supra habetur.

An dispensatio utriusque Episcopi necessaria est, quando dispensandi sunt diversarum diœcesium?

Ante responsionem notandum, quod impedimenta sive impedientia sive dirimentia sint duplicis generis: alia An requiratur

dispensatio utriusque Episcopi si sponsi sint ex diversis diœcesibus.

sunt *relativa* quæ relationem unius jungendorum ad alterum involvunt, et in utroque simul existunt, ut cognatio, affinitas, crimen etc. Alia sunt *absoluta* seu *per se stantia,* quæ nullam ejusmodi relationem involvunt, sed unum independenter ab alio afficiunt, ut Sponsalia cum tertia persona, votum etc. Hoc notato,

R. 1°. Si agatur de impedimento absoluto, et unus tantum habeat impedimentum, v. g. votum, sufficit ut ille a proprio Episcopo dispensetur. Si vero uterque habeat ejusmodi impedimentum, v. g. votum, duplex est impedimentum, et uterque a suo Episcopo dispensari debet.

2°. Si agatur de impedimento relativo, distinguendum est: Si Episcopus dispenset vi indulti apostolici, certum est sufficere dispensationem Episcopi alterutrius. Ita declaravit S. Pœnitentiaria, die 4 Septemb. 1859: *Quilibet Ordinarius, agendo cum facultate non ordinaria, sed a Sancta Sede absolute, simpliciter et absque ulla conditione delegata, dispensandi cum suis diœcesanis, potest dispensare super aliquo canonico impedimento, etiam in casu in quo una persona impedimento ligata est suæ diœcesis, altera vero alienæ; quia ea facultas a Papa procedit, et sublato impedimento ex una parte, cum qua dispensare valet, etiam pars altera libera evadit, quum ligamen non amplius inter utramque partem existat.*

Si vero Episcopus dispenset potestate ordinaria, dissentiunt theologi. Collet, Braunman etc. dicunt, utriusque Episcopi dispensationem esse necessariam, quia Episcopus sponsi v. g. potest quidem tollere impedimentum, quod obstat ne ipse valide aut licite Matrimonium contrahat, minime vero id potest quoad sponsam, et vicissim.

Alii vero cum Sanchez, Bonacina etc. oppositum tenent; quia Episcopus legitime dispensando cum suo subdito, reddit eum habilem ut cum altero Matrimonium contrahat; una autem parte habilitata, per consequens habilitatur altera, propter individuam contractus conjugalis naturam, juxta dicta supra N. 86.

Quamvis hæc sententia videatur probabilior, in praxi tamen utriusque Episcopi dispensatio petenda est pro tutiori. Equidem inter plures Episcopos Galliæ conventum

est, ut in casu sufficiat consensus Episcopi sponsæ ; alibi vero habet praxis, ut unus Episcopus non dispenset, nisi sub conditione ut alter idem faciat.

N. 102. De dispensatione in radice Matrimonii.

Jam supra N. 94 indicavimus, præter ordinarias dispensationes, de quibus modo actum est, aliam interdum concedi a Summo Pontifice, quæ *dispensatio in radice*, solet vocari. De ea agunt, inter antiquiores theologos et canonistas, Sanchez, Pontius, Pyrrhus Corradus, Barbosa, Schmalzgrueber, Rigantius etc., dein Benedictus XIV, et inter recentiores Bouvier, Carrière, Perrone, Feije etc. Ex his quæ scitu magis necessaria sunt, succincte, pro instituto nostro, trademus quatuor sequentibus quæstionibus.

Quæstio 1. *Quid est dispensatio in radice Matrimonii?*

Quid sit dispensatio in radice.

R. Est dispensatio in impedimento dirimente juris ecclesiastici, qua Matrimonium invalide contractum convalidatur, et conjuges ac proles legitimi efficiuntur, absque renovatione consensus, perinde ac si Matrimonium ab initio validum fuisset.

Dicitur, in impedimento *juris ecclesiastici,* quia in impedimentis juris naturalis aut divini dispensari non potest. Imo licet impedimentum juris naturalis cessasset, v. g. ligamen per mortem conjugis, impotentia perpetua per miraculum, consensus cum tali impedimento antea datus nunquam convalidari posset per dispensationem in radice, cum jure naturæ fuerit nullus, adeoque insanabilis ; sed necessario tunc novus consensus inter modo habiles esset emittendus.

Additur, *qua Matrimonium convalidatur,* et *absque renovatione consensus ;* ita ut consensus olim emissus, et nunc virtualiter perseverans, sublato impedimento quo inefficax erat, efficax reddatur, et inducat vinculum matrimoniale, seu Matrimonium efficiat validum, revera quidem eo momento quo datur dispensatio, sed fictione juris ab ipso momento contractus. In eo maxime differt hæc dispensatio a dispensatione ordinaria, quæ aufert tantum

impedimentum in ordine ad novum consensum præstandum.

Additur, *et conjuges ac proles legitimi efficiuntur;* quibus verbis notatur alius effectus, quem non habet dispensatio ordinaria, ut clarius ex sequentibus patebit.

Tandem dicitur, *perinde ac si Matrimonium ab initio validum fuisset.* Non quidem efficit, ut Matrimonium olim invalide contractum non fuerit, sed *fictione juris* effectus hujus dispensationis retrotrahitur ad momentum, quo consensus prius datus fuit. « Et hæc quidem fictio » juris, » ait Reiffenstuel, lib. 1 Decretal, tit. 2, § 8, n. 176 et 180, « est legis adversus veritatem in re possibili » et ex justa causa dispositio. Natura autem illius fictio- » nis in eo consistit, ut esse fingatur, quod revera non est, » quamvis esse possit, in ordine ad aliquem juris effectum » ex justa causa inducendum. Atque ita filii illegitimi » per subsequens Matrimonium legitimantur, quia sub- » sequens Matrimonium *juris fictione* retrotrahitur ad » tempus conceptionis vel nativitatis, idque favore li- » berorum. »

Idem fit, licet alia ratione, per dispensationem in radice, qua illegitimitas prolium cæterique effectus nullitatis Matrimonii de medio tolluntur, ut apposite docet Benedictus XIV, *De Synodo diœcesana,* lib. 13, cap. 21, n. 7, dicens quod hac dispensatione non fit « ut Matrimonium » nulliter contractum, non ita contractum fuerit, sed ut » e medio tollantur illi effectus, qui ob hujusmodi Ma- » trimonii nullitatem ante indultam dispensationem, ac » etiam in ipso contrahendi Matrimonii actu, producti » fuerunt. »

Hæc dispensatio vocatur etiam *sanatio Matrimonii in radice;* equidem Card. Caprara in facultatibus anno 1803 Episcopis Galliæ concessis, quas refert Moser, *De impedimentis Matrimonii,* append. n. 16, utitur utroque termino : *Dispensatio in radice Matrimonii, seu Matrimonii sanatio in radice.* Per radicem vero Matrimonii intelligitur consensus contrahentium, qui est radix et origo vinculi matrimonialis : hic autem consensus, jure naturæ quidem verus et validus, per impedimentum canonicum vero infirmus et inefficax factus, per hanc dispensationem sanatur et efficax redditur, ac effectus suos operatur.

Quæstio 2. *Quinam sunt effectus dispensationis in radice ?*

R. Primus effectus est sanatio vitii, quo propter impedimentum laborabat consensus, et inefficax reddebatur. Qui sint illius effectus.

Secundus effectus est validitas Matrimonii vi consensus antea eliciti, et nunc, sublato impedimento, operantis suum effectum.

Tertius effectus est legitimitas conjugum et prolium, et quidem per juris fictionem ab ipso momento contractus olim initi. Unde in foro ecclesiastico, et etiam in foro civili in regionibus ubi jus civile in hac re juri canonico consonat, legitimi habentur, vi talis dispensationis, conjuges et proles, non tantum *ex nunc,* sed etiam *ex tunc,* ut loquuntur canonistæ, seu ab ipso momento contracti olim Matrimonii. Ex quo sequitur, quod non tantum respectu ad præsens, sed etiam respectu ad præteritum, illis juribus fruantur, quæ solis competunt legitimis. Itaque si antea forte collatum fuerit filio beneficium quo soli legitimi frui possint, beneficium jam valide possidebit sine nova collatione, et fructus etiam antea et ab ipso momento collationis perceptos, faciet suos. Ideo hæc legitimatio *plenissima* vocari solet.

Notandum, quod aliquando hic ultimus effectus, legitimitas nimirum conjugum et prolium, unice intendatur in dispensatione in radice, uti quando conceditur post mortem unius conjugum, ut scilicet pars superstes legitimi conjugis juribus fruatur, et legitimæ ab ortu habeantur proles.

Quæstio 3. *An Summus Pontifex potest dispensare in radice ?*

R. Affirmative. Probatur I *ex praxi Summorum Pontificum, quæ a pluribus sæculis constanter perseverat.* Plura exempla citat Perrone, *De Matrimonio Christiano,* lib. 2, sect. 1, cap. 4, art. 2. Porro nefas est dubitare de potestate Pontificum Romanorum, quando ita constanter per plura sæcula ea usi sunt. Summus Pontifex dispensare potest in radice,

Probatur II *auctoritate theologorum et canonistarum :* testatur Benedictus XIV, *Quæst. canon.,* quæst. 174, ita ab ipsis communiter doceri.

Probatur III *a ratione :* certum est, Pontificem posse dispensare in impedimentis juris ecclesiastici, seu illa

abrogare in casu particulari. Atqui, hoc posito, jam 1°. nihil impedit, quominus validetur Matrimonium vi consensus antea præstiti, et virtualiter, ut supponitur, perseverantis, cujus efficaciæ, sublato impedimento, nihil amplius obstat. Hoc facile concipitur, si impedimenta juris ecclesiastici non penitus et in perpetuum destruant vim consensus, sed tantum suspendant ejus efficientiam, quamdiu et prout Ecclesia voluerit; atqui ita esse, ex ipsa agendi ratione Ecclesiæ patet.

2°. Quoad alterum effectum, seu legitimationem conjugum et prolium, quantum ad tempus futurum nulla est difficultas, cum sequatur ex ipsa convalidatione Matrimonii. Quod vero attinet tempus præteritum, pro quo fictione juris reputantur legitimi, dum revera non fuerunt, hoc fit in ordine ad quosdam legitimitatis effectus legales, qui cum a lege procedant, a legislatore tribui possunt, et eadem ratione illegitimitatis legales effectus possunt aboleri. Exemplum hujusmodi abrogationis legis, quoad effectus etiam antea productos, vide in Clementina *Quoniam, De immunitate ecclesiarum.*

non Episcopus.

Notandum, soli Romano Pontifici competere potestatem concedendi dispensationem in radice Matrimonii, ut advertit Benedictus XIV, in decreto 27 Septemb. 1755 (Bullar. edit. Mechl. tom. 11, pag. 259), et supponunt communiter auctores; ita ut nequidem in necessitate Episcopi hanc amplam et extraordinariam dispensationem ex præsumpto Pontificis consensu concedere valeant. Attamen Sancta Sedes eamdem concedendi committit aliquando potestatem Episcopo; et ita Card. Caprara, legatus a latere, auctoritate apostolica, ob necessitatem specialem ecclesiæ Gallicanæ, ad annum omnibus Galliæ Episcopis illam facultatem concessit; atque alii similiter Episcopi eam interdum obtinent.

Quæstio 4. *Quænam speciatim observanda sunt, tum in petenda, tum in exequenda dispensatione in radice?*

Observanda in petenda et exequenda tali dispensatione.

R. 1°. Adverti debet, dispensationem hanc peti aut concedi non posse, nisi conjunctio conjugum extrinsecam speciem habeat justi Matrimonii, ut ait Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. 13, cap. 21, n. 7. Unde peti aut concedi non potest ad legitimandam conjunctionem manifeste fornicariam, etiam quoad externam speciem. Ratio est,

quod tunc nullus datus fuerit consensus de se vere matrimonialis, qui sanari possit, et vi cujus Matrimonium, remoto obice, convalidetur.

Hinc quæritur, an etiam in radice sanari possit matrimonium mere civile, irritum propter vitium clandestinitatis. Ratio dubitandi est, quod non videatur habere justi Matrimonii extrinsecam speciem, ob defectum formæ ab Ecclesia præscriptæ in celebratione Matrimonii christiani, atque coram Deo et Ecclesia sit vere concubinatus. Attamen dicendum, tale matrimonium convalidari posse per dispensationem in radice, si contrahentes intenderint verum consensum matrimonialem dare, seu invicem se in conjuges accipere. Propter hunc enim matrimonialem consensum, verum et de se seu independenter a lege Ecclesiæ irritante efficacem, non habet conjunctionis manifeste fornicariæ, sed potius matrimonialis, apparentiam. Constat etiam, aliquando ex gravissima causa tali matrimonio sanationem in radice applicatam fuisse.

2°. Notandum est, dispensationem peti aut concedi non posse, quando adest impedimentum juris naturalis aut divini, cum in tali impedimento dispensari non possit, ut supra dictum fuit.

3°. In supplica exponi debent omnia quæ in aliis supplicis sive ad Datariam, sive ad Pœnitentiariam exprimenda sunt, de quibus vide N. 99.

4°. Deinde allegari debet *urgens et gravissima causa*, ut dicit Benedictus XIV, loco cit. Talis est cessatio concubinatus, quæ alia via obtineri nequit, quia una pars de nullitate Matrimonii moneri non potest, vel consensum renovare non vult.

Dispensationes in radice Matrimonii hodie frequentius et facilius in casibus peculiaribus conceduntur quam olim; unde amplius dici non posset cum Benedicto XIV, *Instit.* 87, n. 80, eas concessas non fuisse, nisi quando irrita Matrimonia confecta fuerant a magna hominum multitudine, non autem a peculiari homine.

4°. Requiritur ut consensus utriusque conjugis olim datus adhuc perseveret; si enim desierit, Matrimonium eo mediante, convalidari non potest. Censetur autem consensus perseverare, quamdiu conjuges cohabitant, et aliunde de revocatione non constat. Quandoque autem

circa hoc requisitum speciales cautelæ exiguntur in rescripto dispensationis in radice, ut de consensus continuatione positive constet; quæ tunc sane adhibendæ sunt. Ita Card. Caprara Episcopis Galliæ, in tertia instructionis parte, sequentia præscribit : *Si... pars una ad celebrationem Matrimonii... faciendam adduci nequeat, dummodo de præsenti exhibeat consensum remanendi in Matrimonio, mature perpensis urgentibus circumstantiis, et attentis servatisque conditionibus et forma inferius præscriptis, nec obstet publicitas fornicariæ copulationis et non justi Matrimonii, ad dispensationem in radice Matrimonii, seu ad Matrimonii sanationem in radice, in casibus particularibus deveniri posse judicamus; ut ita saltem innocentis partis animæ saluti, prolis legitimitati et familiarum tranquillitati omnino consultum sit, et quamprimum etiam renuentis animæ saluti provideri possit. Ordinarius uti poterit facultate, apostolica auctoritate inferius demandanda, dispensandi scilicet in radice Matrimonii, seu Matrimonium in radice sanandi, postquam tamen per indubias duorum saltem testium depositiones, aut per renuentis testimonium in scriptis exaratum, aut per ejusdem assertionem etiam oretenus factam ipsi Ordinario, sive alteri ecclesiasticæ personæ ab eo specialiter deputatæ, et in scriptis redigendam, constiterit, non solum renuentem in consensu de præsenti permanere, sed etiam hujusmodi renuentiam ab extrinseca causa ita manare, ut nihil unquam ex ea deduci aut præsumi possit contra ipsius actualis consensus permanentiam.*

5°. Ille cui executio dispensationis in radice commissa est, illius tenorem diligenter perpendere, et omnia quæ præscribuntur, accurate implere debet, prout de executione aliarum dispensationum dictum fuit N. 100.

Nulla determinata forma præscripta est ad dispensationem illam exequendam : hanc vero proponit Carrière : *Ego potestate apostolica mihi specialiter et expresse demandata, Matrimonium a te N... cum N... in consensu adhuc permanente, nulliter contractum, in radice ejus sano et consolido, prolemque susceptam et suscipiendam legitimam declaro, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

Si nullitas Matrimonii sit occulta, sanatio etiam occulte facienda est. E contra si nullitas sit publica, sanatio vel

publice facienda est, vel si occulte fiat, postea divulganda, quantum necesse est ad famam conjugum, et scandalum reparandum; vel si etiam hujusmodi evulgationi locus non sit, ob imminens aliquod periculum, exquiratur modus quo publicum scandalum removeatur, et interim magna circumspectione opus erit in admittendis conjugibus ad Sacramenta, ne ulla scandali præbeatur occasio.

Dispensans in casu nullitatis publicæ, ut postea de convalidatione Matrimonii constet, instrumentum redigit, in quo refert quæ a se peracta sunt in vim delegationis ipsi commissæ, et indicat media quæ adhibuit, ut constaret de permanente alterius partis consensu. Idem aliquando utiliter et sine inconveniente fieri potest, quando datur dispensatio super impedimento occulto extra confessionem v. g. super occulta affinitate ex copula licita.

Cum conjuges Sacramentum suscipiant, dum ita Matrimonium convalidatur, curandum est, quantum fieri potest, ut sint in statu gratiæ.

FINIS TRACTATUS DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO.

APPENDIX

AD TRACTATUM DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO.

I.

FORMULÆ SUPPLICARUM MATRIMONIALIUM.

Quia hodie omnium fere diœcesium Officiales, ad obtinendam in causis matrimonialibus majorem uniformitatem, solent ipsimet soli in iis rebus cum Sede Apostolica agere, in sequentibus formulis supponitur parochus ejusve delegatus libellum supplicem ad Ordinarium loci mittere. Hic autem agendi modus pro impedimentis publicis est pernecessarius, quum in Tribunali Datariæ Apostolicæ jam nullæ supplicæ admittantur, nisi quæ sint ab Ordinario loci vel confectæ vel saltem visæ atque signatæ.

Non opus est lectorem monere, si certæ quædam formulæ in aliqua diœcesi sint præscriptæ, eas illic ab omnibus adhibendas esse. Eæ quæ hic proponuntur, breves sunt et claræ omniaque, quæ exprimenda sunt, accurate exprimunt. Quare eas longioribus exemplis quæ in antiquis formulariis reperiuntur præferimus.

Ut in his formulis describendis naturalis aliquis ordo servetur, priori loco eas damus quæ ad impedimenta publica, hoc est, ad forum externum attinent; tum eæ sequuntur quæ spectant ad impedimenta occulta, sive ad forum internum; et quia ob diversa indulta apostolica quibus singuli fere Episcopi gaudent, frequentiores sunt casus, in quibus Ordinarius loci facultate papali dispensat, prius exaramus formulas supplicarum quibus in curia episcopali plerumque fieri possit satis, tum eas subjicimus quæ in illis causis versantur, pro quibus

singulis ubique fere singulæ ac particulares Summi Pontificis gratiæ sive Brevia aut Rescripta requiruntur.

Sive orator, vel solus vel cum oratrice, ad officialitatem mittatur, sive parochus, ipsis auditis, sola epistola rem conficiat, libellus supplex in curia episcopali offerendus, accuratissime et litteris perspicue conscriptis debet exarari. Quæ autem in eo sint declaranda, ea omnia in fine hujus tractatus, N. 99, dilucide exposita fuerunt. Ne vero parochus oratoribus facessat plus negotii aut molestiarum quam est necesse, arbitramur generatim eosdem præsertim, si sint pauperes, aut si longius ab aula episcopali absint, ad officialitatem mittendos non esse, nisi rationes quædam speciales aut graves difficultates id suadere videantur.

Monendi præterea sunt, ad obtinendam dispensationem pro qua recursus ad Sanctam Sedem est necessarius, spatium sex circiter hebdomadarum requiri, ne in indicendo Matrimonii die aut parandis nuptiis decipiantur. Si vero parochum adeant quando ob ferias officialibus Tribunalis Datariæ concessas, tantillo temporis spatio dispensatio obtineri non poterit, illud etiam ipsis est significandum. Notum est autem, ferias in illo Tribunali concedi : 1°. a die 4 Octobris ad 13 Novembris; 2°. a Nativitate Domini ad Epiphaniam ; 3°. a feria tertia Sexagesimæ ad diem Cinerum ; 4°. a feria tertia hebdomadæ sanctæ ad Dominicam in albis; 5°. a vigilia Pentecostes ad Dominicam sanctissimæ Trinitatis. Iis feriis sacra Pœnitentiaria non gaudet.

Tandem convenit omnino, ut nullæ unquam dispensationes matrimoniales, quantumvis parvi etiam sint momenti, petantur aut impertiantur nisi in scriptis, præsertim quum earum, ubi de impedimentis publicis res est, necessario facienda sit mentio in registris Matrimoniorum ; idque plane congruit statutis atque monitis quæ in plerisque Conciliis provincialibus et diœcesanis ac decretis episcopalibus occurrunt.

Prænotandum. Causæ dispensationis obtinendæ, quæ in singulis formulis allegantur, hic ponuntur tantum per modum exempli. Parochi itaque vel confessarii est videre quas causas in occurrentibus casibus in rei veritate allegare possit et debeat, etiamsi forte nulla illarum causarum in formula data occurrat.

I.

FORMULÆ

AD PETENDAS DISPENSATIONES MATRIMONIALES IN FORO EXTERNO, AB ORDINARIIS LOCORUM IMPERTIRI SOLITAS.

I. *Formula petendi dissolutionem Sponsalium.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Joannes N et Joanna N parochiani mei, die..... mensis..... anni..... Sponsalia solemnia contraxerunt. Jam vero mutuo consensu cupiunt *vel*: sponsus *aut* sponsa cupit ea rescindere. Quare humillime supplicant Illustrissimæ Dominationi Vestræ, ut ecclesiastica auctoritate dignetur ea dissolvere.

Causa est: rixæ graves et lites inter desponsatos exortæ; summa injuria vel ignominia a sponso sponsæ illata, *vel vicissim*, etc.

die..... mensis..... anni.....

N pastor parochiæ N.

Littera N quæ reperitur in omnibus supplicis, in quibus de foro externo agitur, notat, illic nomen familiæ accurate scribendum esse. Nota insuper, observari N. 80, obtenta dissolutione Sponsalium non sustolli impedimentum publicæ honestatis quod ex Sponsalibus absolutis oritur. Quare sine dispensatione sponsus Matrimonium inire non valet cum matre, sororibus et filiabus sponsæ, neque sponsa cum patre, fratribus et filiis sponsi. Vide tract. a N. 11 ad 20.

II. *Formula petendi dispensationem in proclamationibus antenuptialibus.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Joannes N et Joanna N parochiani mei, Matrimonium in facie Ecclesiæ inire cupiunt. Quia vero diutius illud differri non potest, humillime petunt ab Illustrissima Dominatione Vestra dispensationem super duabus proclamationibus.

Causa est : instans oratricis partus ; damnum grave evitandum; tempus clausum appropinquans, etc.

Oratores taxam ordinariam solvent ; *vel* : Oratores sunt pauperes.

die..... mensis..... anni.....

N pastor parochiæ N.

Si sponsi non sint ejusdem parochiæ subditi, uterque respective parochus scribat hoc modo : *Joannes N parochianus meus* vel *Joanna N parochiana mea Matrimonium inire cupit cum Joanna N* vel *cum Joanne N parochiæ N.*

Quia vero etc. ut supra.

Eadem fere formula adhiberi potest ad petendam dispensationem super tempore clauso.

Hæc supplica, mutatis mutandis, mitti etiam potest, in Diœcesi Mechliniensi, ad decanum cujusvis respective districtus. Vide Decretum Archiepiscopi de Méan, 7 April. 1829, § VI.

III. *Formula petendi licentiam celebrandi Matrimonium vagorum.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Joanna N parochiana mea, Matrimonium inire cupit cum Joanne N in Diœcesi N nato, qui, quoniam nullibi habet domicilium vel quasi-domicilium, inter vagos est habendus. Parentes oratoris, qui habitant in N consensum dederunt, nec quidquam inveni quod ejus libertati possit obstare, aut impedimentum aliquod canonicum inducere. *Vel :* Diligenti facta inquisitione, nihil inveni quod ejus libertati aut parentum consensui obstet. Quare

Illustrissimæ Dominationi Vestræ supplico, ut mihi, quid faciendum sit, significare dignetur.

die..... mensis..... anni.....

N pastor parochiæ N.

De vagis vide N. 89. Mutatio facienda, ubi sponsa est vaga, facillima est. Sæpe hic in supplica explicandum erit, ob quas causas parocho videatur, Matrimonium vagorum tuto celebrari posse, aut etiam ad vitanda innumera mala, celebrandum esse.

IV. *Formula petendi dispensationem super impedimentis consanguinitatis vel affinitatis, quæ secundum gradum non attingunt; item cognationis spiritualis, aut publicæ honestatis.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Joannes Henricus N ætatis 38 annorum, parochiæ N et Henrica Joanna N ætatis 25 annorum, parochiana mea, Matrimonium inire cupiunt. Obstat vero impedimentum : 1°. consanguinitatis tertii et quarti gradus inæqualis, lineæ collateralis ; 2°. affinitatis tertii gradus æqualis, lineæ collateralis, quia orator ducere intendit consanguineam uxoris suæ defunctæ in eodem gradu, ut ex additis schematibus constat ; 3°. cognationis spiritualis, quia oratrix prolem oratoris in Baptismo suscepit; *vel :* in Confirmatione tenuit; 4°. publicæ honestatis ortum ex justis Sponsalibus oratricis cum fratre oratoris.

Quare humillime supplicant Illustrissimæ Dominationi Vestræ, ut super iis impedimentis cum ipsis dispensare dignetur.

Causæ sunt : 1°. diuturna et publice nota conversatio, huc usque sine copula carnali; 2°. ætas puellæ, quæ 24 annum excedens huc usque paris conditionis virum, cui nubere posset, non invenit ; 3°. quod orator tribus liberis minorennibus gravatus adjutorio uxoris eget.

Testor oratores, orthodoxæ fidei cultores, hujusmodi esse fortunæ, ut in toto, circiter sex millia francorum in re, viginti autem millia in spe possideant. *Vel :* tam pauperes ac miserabiles esse, ut solo labore manuum victum et amictum sibi comparare cogantur.

die..... mensis..... anni.....

N pastor parochiæ N.

SCHEMATA.

Consanguinitatis.		Affinitatis.	
—		—	
Stipes.		Stipes.	
Petrus N.		Josephus N.	
I	I	I	I
Petrus N. —	Catharina N.	Josepha N. —	Joanna N.
II	II	II	II
Catharina N. —	Joanna N.	Petrus N. —	Josephus N.
III	III	III	III
Orator. —	Josephus N.	Josepha N, —	Oratrix.
	IV	uxor defuncta	
	Oratrix.	oratoris.	

Notandum hoc loco est id quod in tractatu, N. 99, dicitur, nimirum: pro omni dispensatione super impedimentis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, et publicæ honestatis, copulam carnalem inter oratores admissam, necessario exprimendam esse, publicam publice, occultam saltem occulte, et addendum esse, utrum cum malevola intentione ita facilius obtinendæ dispensationis fuerit perpetrata.

Copula vel separatim in particulari supplica declarari, vel potius inter causas et tanquam causa, hoc fere modo, exprimi potest: *Copula carnalis occulta ob solam vesanam libidinem admissa*, vel: *quam dolentes fatentur commissam fuisse spe facilius obtinendi dispensationem.* Quando ea copula jam publice nota est, vel prævidetur brevi manifestanda, dicitur, simpliciter *copula carnalis ob solam* etc.: quia illa expressio sine addito notat, vel incestum jam notum esse, vel certe notum iri.

Ubi oratores sunt diversarum diœcesium, id explicite est declarandum. Vide tract., N. 99.

V. *Formula petendi dispensationem in impedimento criminis publico, neutro machinante.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Joannes N 35 annorum, parochiæ N diœcesis N et Joanna N ætatis 20 annorum, parochiana mea, Matrimonium inire cupiunt. Obstat autem impedimentum criminis publicum, ortum e copula carnali inter ipsos habita, stante Matrimonio Joannis cum priori uxore, cum promissione Matrimonii data et acceptata, neutro tamen

machinante ; quod adulterium iis conditionibus perpetratum per totam meam parochiam est pervulgatum.

Quare humillime supplicant Illustrissimæ Dominationi Vestræ, ut vi facultatis apostolicæ extraordinariæ super illo impedimento cum ipsis dispensare dignetur.

Causæ sunt : 1°. concubinatus ; 2°. proles nata, et altera nascitura ; 3°. scandala reparanda et majora prævenienda.

die..... mensis..... anni.....

N pastor parochiæ N.

Ubi hoc impedimentum non est publicum, sumitur formula XIV pro dispensationibus in foro interno.

VI. *Formula petendi convalidationem in utroque foro, dispensationis a Sancta Sede impetratæ, quando bona fide oratorum reticitum fuit impedimentum in quo Ordinarius potest dispensare.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Joannes N ex diœcesi N, et Joanna N parochiana mea, in eo sunt ut Matrimonium cum dispensatione super impedimento consanguinitatis secundi gradus æqualis, lineæ collateralis, a Sancta Sede obtenta, ineant. At vero reticitum fuit bona fide oratorum, impedimentum cognationis spiritualis ortum ex eo quod sponsus sponsæ filium in Confirmatione tenuit, quod juxta stylum Curiæ Romanæ erat exprimendum, sed in quo vi indulti apostolici Dominatio Vestra potest dispensare.

Quare humillime supplicant Illustrissimæ Dominationi Vestræ, ut vi facultatis apostolicæ extraordinariæ super eo impedimento reticito dispensare dignetur, et simul dispensando in utroque foro convalidare dispensationem a Sede Apostolica expeditam.

Causæ sunt : 1°. omnia ad Matrimonium celebrandum parata ; 2°. damna aliæque molestissimæ difficultates vitandæ.

die..... mensis..... anni.....

N pastor parochiæ N.

II.

FORMULÆ

AD PETENDAS DISPENSATIONES MATRIMONIALES IN FORO EXTERNO, A SOLA SEDE APOSTOLICA CONCEDI SOLITAS.

VII. *Formula petendi a Sancta Sede per Ordinarium loci dispensationem super impedimentis consanguinitatis et affinitatis, in quibus primus vel secundus gradus intervenit.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Henricus Josephus N ætatis 28 annorum, parochiæ de N, et Josepha Henrica N ætatis 25 annorum, parochiana mea, Matrimonium inire cupiunt. Obstat vero impedimentum 1°. affinitatis primi gradus æqualis, lineæ collateralis, quia oratrix nubere intendit fratri mariti sui defuncti ; 2°. consanguinitatis tertii et secundi gradus inæqualis, lineæ collateralis, ut ex addito schemate constat; 3°. cognationis spiritualis, quia orator prolem oratricis in Baptismo suscepit, *vel* in Confirmatione tenuit.

Quare humillime supplicant Illustrissimæ Dominationi Vestræ, ut ipsis dispensatio Sanctæ Sedis super præfatis impedimentis procuretur.

Causæ sunt : 1°. diuturna et publice nota conversatio ; 2°. copula carnalis occulta ob solam vesanam libidinem admissa ; *vel :* quam oratores dolentes fatentur commissam fuisse spe dispensationis facilius obtinendæ, e qua proles creditur concepta; 3°. quod oratrix duobus liberis minorennibus gravata adjutorio viri indiget, et orator ad eos feliciter educandos maxime convenire dicitur ; 4°. scandala reparanda *vel* evitanda *vel* prævenienda; 5°. vani conatus ad eos ab hoc Matrimonii proposito avertendos ; 6°. tam grave ac continuum inter eos peccatorum periculum, ut hoc eorum Matrimonium haberi debeat unicum *vel* necessarium, *vel* peropportunum salutis remedium ; 7°. timor fundatus, ne si dispensatio negetur, formas civiles impleant ; 8°. consensus regius, ad formas civiles implendas, jam petitus, *vel* obtentus, etc.

Testor, oratores, orthodoxæ fidei cultores, ejusmodi esse fortunæ, ut in toto simul 3,000, 4,000, 10,000, 50,000, francorum circiter in re, et totidem in spe possideant. *Vel :* tam pauperes ac miserabiles esse, ut solo labore manuum viventes nullam taxam solvere possint. Solvent tamen pro expensis Romæ faciendis 12, 15, 20 francos, quos apud me deposuerunt.

die..... mensis..... anni.....

N pastor parochiæ N.

SCHEMA.

Stipes.
Catharina N.

I		I
Melania N.	—	Arnoldus N.
II		II
Henricus N.	—	Oratrix.
III		
Orator.		

In hac supplica additum est impedimentum cognationis spiritualis, in quo ipsi Ordinarii ubique fere possunt dispensare, ne e memoria excidat, omnia simul impedimenta in eodem libello supplici exprimi debere quia major ille numerus impedimentorum reddit dispensationem obtentu difficiliorem.

Quando copula carnalis inter oratores locum non habuit, illud hoc fere modo poterit inter causas declarari : *publice nota conversatio,* vel : *nimia partium familiaritas, huc usque sine copula carnali,* ne Romæ ullum dubium moveri queat de *injungenda separatione,* vel de *interdicendo quocumque tractu.*

VIII. *Formula petendi a Sancta Sede dispensationem in Matrimonio contracto, super impedimento consanguinitatis secundi gradus, vel super impedimento publico affinitatis primi vel secundi gradus, orto e copula illicita.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Joannes N parochiæ N, Diœcesis N subditus, et Joanna N parochiana mea, Matrimonium in facie Ecclesiæ

sine dispensatione contraxerunt et bona fide consummarunt; jam vero innotuit, eos esse consanguineos in secundo et tertio gradu inæquali, lineæ collateralis, ut ex adjecto schemate constat ; *vel:* jam vero ante eorum Matrimonium, notum erat omnibus fere meis parochianis, præfatam Joannam copulam fornicariam habuisse cum fratre sponsi, super quo impedimento dispensatio petita non fuit.

Quare humillime supplicant Illustrissimæ Dominationi Vestræ, ut super illo impedimento Sanctæ Sedis dispensatio procuretur.

Causæ sunt : 1°. matrimonium civile initum, propter quod jam facti sunt inseparabiles; 2°. soboles nata; 3°. damna gravia evitanda.

Testor, oratores, orthodoxæ fidei cultores, tam pauperes ac miserabiles esse, ut nullam taxam solvere possint. Pro expensis Romæ faciendis apud me depositi sunt 15 franci.

die..... mensis..... anni.....

N pastor parochiæ N.

SCHEMA.

Stipes.
Catharina N.

I	I
Henricus N.	Josepha N.
II	II
Orator.	Joannes N.
	III
	Oratrix.

Si novit parochus, Ordinarium loci obtinuisse a Sancta Sede facultatem dispensandi in utroque foro super impedimento primi, vel secundi tantum affinitatis gradus, proveniente e copula illicita, *in Matrimoniis contractis,* eadem supplica adhibeatur, sed loco : *Quare humillime* etc. dicatur : *Quare, quum in hoc casu tanta urgeat Matrimonii illius necessitas ut recursus ad Sanctam Sedem haberi non possit, humillime supplicant Illustrissimæ Dominationi Vestræ, ut vi facultatis apostolicæ extraordinariæ super illo impedimento dispensare dignetur.*

IX. *Formula petendi dispensationem a Sancta Sede super impedimento publico primi vel secundi gradus affinitatis, e copula fornicaria, pro Matrimoniis contrahendis.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Joannes N ætatis 32 annorum, parochiæ N, Diœcesis N subditus, in eo est ut Matrimonium ineat cum Joanna N ætatis 20 annorum, parochiana mea. At vero obstat impedimentum publicum affinitatis primi gradus æqualis, lineæ collateralis, ortum e copula fornicaria cum sorore sponsæ, quæ parochianis meis maximam partem est nota.

Quare humillime supplicant Dominationi Vestræ, ut super illo impedimento Sanctæ Sedis dispensatio ipsis procuretur.

Causæ sunt : 1°. copula carnalis ob solam vesanam libidinem admissa, e qua proles concepta; 2°. pax et concordia inter oratorum familias restituenda; 3°. angustia loci, in quo oratrix honestæ familiæ nata est et, æque ac orator, habitat, *vel :* in quo oratrix nata est et in quo orator habitat ; *vel :* in quo oratrix simul et orator habitant, et qui numerum 1000 incolarum non excedit ; 4°. timor fundatus, ne si dispensatio negetur, per instigationem malevolorum oratores formas civiles impleant ; *vel :* formæ civiles jam impletæ; 5°. turpis concubinatus.

Testor, oratores, orthodoxæ fidei cultores, ejusmodi esse fortunæ, ut in re solummodo 2500 francos ; in spe vero 3500 circiter possideant.

die..... mensis..... anni.....

N pastor parochiæ N.

Quum nonnullæ sint Diœceses in quibus a Sede Apostolica Ordinario loci facultas facta est pro paucis admodum et urgentissimis casibus dispensandi in *Matrimoniis contrahendis* super illo impedimento, etiam quando est publicum, propterea non sine ratione notari hic poterit, in illo casu adhibendam esse præcedentem formulam, et loco : *Quare humillime* etc.,dicendum esse: *Quum impedimentum illud sit publicum,et Matrimonii illius adeo urgeat necessitas, ut recursus ad Apostolicam Sédem haberi non queat, humillime supplicant Dominationi Vestræ, ut vi facultatis apostolicæ extraordinariæ super illo impedimento dispensare dignetur*. Simul tunc exponendæ sunt causæ, cur adsit illa urgens necessitas. De angustia loci cfr. N. 96.

X. *Formula petendi a Sancta Sede dispensationem super impedimento religionis mixtæ.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Constantia N romano-catholica, ætatis 26 annorum, parochiana mea, Matrimonium inire cupit cum Frederico N sectæ lutheranæ addicto et in suis erroribus saltem huc usque persistente.

Pars acatholica coram me, ut ex declaratione huic supplicæ addita patet, sub fide juramenti promisit, omnes utriusque sexus infantes ex illo Matrimonio nascituros, in fide romano-catholica baptizandos et educandos esse, iisque, æque ac comparti, prorsus liberum fore Religionis romano-catholicæ exercitium.

Præterea pars catholica spopondit se pro viribus curaturam, ut, quantum in ipsa erit, vir ad veram fidem convertatur.

Quare humillime supplicat Illustrissimæ Dominationi Vestræ, ut ipsi super eo impedimento Sanctæ Sedis dispensatio procuretur.

Causæ sunt : 1°. vani conatus, ut oratrix illi Matrimonii proposito renuntiet ; 2°. formæ civiles certo certius brevi adimplendæ ; 3°. spes fundata conversionis partis acatholicæ etc.

Pars catholica 25 francos pro expensis faciendis apud me deposuit.

die..... mensis..... anni.....

N pastor parochiæ N.

XI. *Formula declarationis a parte acatholica sub fide juramenti coram Officiali, vel parocho ejusve delegato, propria manu signandæ (flandrice et gallice).*

Ik ondergeteekende, wonende te N, verklaar onder eed : 1°. dat ik toelaat, dat alle mijne kinderen van beide geslachten, zullende geboren worden uit mijn Huwelijk met N roomsch-katholijke, gedoopt en opgevoed

worden in den roomsch-katholijken Godsdienst; 2°. dat ik altijd aan alle mijne kinderen en aan mijne gemelde vrouw zal toelaten van hunnen Godsdienst vrij uit te oefenen.

Gedaan te N, den.....

N.

Je soussigné, demeurant à N, déclare sous la foi du serment : 1°. que je permets que les enfants de l'un et de l'autre sexe, à naître de mon Mariage avec N, soient baptisés et élevés dans la Religion catholique-romaine ; 2°. que je permettrai toujours à ma dite épouse et à tous mes enfants le libre exercice de leur culte.

Fait à N, le.....

N.

Sunt Episcopi qui vi specialis indulti apostolici pro paucissimis aliquot et urgentissimis casibus, facultatem habent dispensandi super impedimento mixtæ religionis. Si parochus in talem fortasse incideret necessitatem, et Ordinarius simile indultum foret adeptus, eadem supplica offerri posset, sed loco : *Quare* etc. scribendum foret: *Quum periculum ita sit in mora et tam graves adsint causæ, ut per tempus non liceat adire Sanctam Sedem ; supplicat Dominationi Vestræ, ut vi specialis indulti apostolici super impedimento mixtæ religionis cum ipsa dispensare dignetur.* Ex causis a parocho allatis patere debet urgentem illam necessitatem existere.

XII. *Formula petendi a Sancta Sede, in ordine ad Matrimonium, dispensationem super tribus perpetuis votis simplicibus in aliqua congregatione religiosarum emissis.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Joanna N ætatis 27 annorum, parochiana mea, humillime exponit, se die....., in congregatione religiosarum N tria vota simplicia obedientiæ, paupertatis et castitatis publice et in perpetuum emisisse ; at vero se abhinc tribus mensibus, ultro consentiente superiorissa, et, uti oratrix testatur, consulente confessario, ex illo conventu

egressam esse ; jam vero se a viro pio in honestum Matrimonium peti.

Quare humillime supplicat Illustrissimæ Dominationi Vestræ, ut super iis votis ei a Sancta Sede dispensatio procuretur, ut Matrimonium inire et debitum conjugale petere et reddere licite valeat.

Causæ sunt : 1°. quod reditus oratricis in conventum prorsus est impossibilis ; 2°. quod, quum res jam eo devenerint, oratricis indoles et ejus vitæ ratio satis monstrare videntur statum conjugalem ejus animæ magis quam vitam monasticam, aut cælibem in mundo, salutarem fore ; 3°. quod vir a quo in uxorem petitur, est multo quidem quam ipsa pauperior, sed pius et prudens qui ejus tum animæ tum corporis bono sapienter providebit.

die..... mensis..... anni.....

N pastor parochiæ N.

III.

FORMULÆ

AD PETENDAS DISPENSATIONES MATRIMONIALES IN FORO INTERNO, AB ORDINARIIS LOCORUM CONCEDI SOLITAS.

XIII. *Formula petendi dispensationem pro restitutione juris ad petendum debitum conjugale.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius adulterium commisit cum sorore, *vel* nepte suæ uxoris. Peccati sui pœnitens humillime supplicat Illustrissimæ Dominationi Vestræ, ut ob periculum incontinentiæ, jus petendi debitum conjugale ei restituere dignetur.

die..... mensis..... anni.....

N confessarius ecclesiæ N.

XIV. *Formula petendi dispensationem super impedimento criminis occulto, neutro machinante.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Mævius et Mævia, Diœcesis Mechliniensis subditi, Matrimonium inire cupiunt. At vero obstat impedimentum criminis ortum ex copula carnali inter ipsos habita, stante Matrimonio Mævii cum priori uxore, cum promissione Matrimonii data et acceptata, neutro tamen machinante. Impedimentum est occultum, nec prævidetur manifestandum.

Quare humillime supplicant Illustrissimæ Dominationi Vestræ, ut vi facultatis apostolicæ extraordinariæ super eo impedimento cum ipsis dispensare dignetur.

Causæ sunt : 1°. omnia ad Matrimonium celebrandum parata; 2°. formæ civiles jam impletæ ; 3°. instans oratricis partus.

die..... mensis..... anni.....

N confessarius ecclesiæ N.

XV. *Formula petendi dispensationem post Matrimonium contractum super occulto impedimento criminis, admissi cum utriusque vel alterutrius oratorum machinatione.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Caius et Caia, Diœcesis Mechliniensis subditi , Matrimonium invalide contraxerunt ob impedimentum criminis ortum e copula carnali inter ipsos habita, stante Matrimonio Caiæ cum priori marito, cum promissione Matrimonii data et acceptata, et machinatione solius Caiæ in vitam mariti, quæ fuit vera causa conjugicidii. Matrimonium in facie Ecclesiæ bona fide ob ignorantiam juris contraxerunt et consummarunt. Impedimentum est occultum nec timetur manifestandum ; deinde , quum occasione missionis crimen in confessione declaraverint, petunt ut ad evitandum scandalum et gravissima mala quæ moram scribendi Romam non patiuntur, sublato statim per dispensationem impedimento, Matrimonium

occulte, renovato inter se mutuo consensu, valeant convalidare.

Quare, quum in casu evidenter adsint sex conditiones communiter juxta Benedictum XIV, *De Synodo diœcesana*, lib. 9, cap. 2, requisitæ, ut Episcopus possit pro foro conscientiæ dispensare super impedimentis in quibus ipse Summus Pontifex dispensare consuevit, humillime per me Illustrissimæ Dominationi Vestræ supplicant, ut super illo impedimento cum ipsis sine mora dispensare dignetur.

Causæ sunt : 1°. formæ civiles impletæ ; 2°. sex infantes nati ; 3°. gravissima omnis generis mala evitanda.

die..... mensis..... anni.....

N missionarius N.

N. B. Dispensatio cum sequenti inscriptione epistolæ apprime clausæ ad me mittatur : N... .

XVI. *Formula petendi dispensationem super impedimento occulto affinitatis orto e copula fornicaria.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titia, Diœcesis Mechliniensis subdita, in eo est, ut Matrimonium contrahat cum Titio. At vero obstat impedimentum omnino occultum affinitatis primi gradus æqualis, lineæ collateralis, ortum e copula fornicaria cum fratre sponsi.

Quare humillime supplicat Illustrissimæ Dominationi Vestræ, ut super eo impedimento cum ipsa vi facultatis apostolicæ extraordinariæ dispensare dignetur.

Causæ sunt : 1°. omnia ad Matrimonium parata; 2°. scandala et oblocutiones vitanda.

die..... mensis..... anni.....

N confessarius ecclesiæ N.

Si Ordinarius non gaudet indulto Sedis Apostolicæ quo possit in eo impedimento dispensare, confessarius deberet hanc supplicam ad Ordinarium vel ad Officialem mittere, eumque rogare, *ut super eo impedimento Sanctæ Sedis dispensatio procuretur.* Vel posset ipse ad Majorem Pœnitentiarium Romæ supplicam suam dare. Hæc autem in jam data supplica tunc forent mutanda :

1°. Loco : *Illustrissime* etc. scribatur : *Eminentissime ac Reverendissime Domine.*

2°. Loco : *Quare humillime* etc. scribatur : *Quare humillime supplicat Eminentiæ vestræ, ut super eo impedimento cum ipsa dispensare dignetur.*

3°. Addendum foret : *Dignetur Eminentia Vestra responsum dare ad N.* Hoc igitur loco accurate designetur superscriptio epistolæ (l'adresse).

4°. Confessarius postæ sumptus ipse solvat et ita supplicæ suæ inscriptionem conficiat : *Eminentissimo ac Reverendissimo Domino, Majori Pœnitentiario, Romam.*

XVII. *Formula petendi convalidationem dispensationis, quæ nulla est ob incestum reticitum in precibus, aut patratum vel iteratum post missas preces et ante dispensationis executionem, vel ob falso allegatam copulam carnalem absque culpa oratorum, vel ob reticitam bona fide oratorum malitiosam intentionem qua incestus fuit admissus.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Títius et Titia, Diœcesis nostræ subditi, Matrimonium in facie Ecclesiæ inire cupiunt cum obtenta dispensatione in impedimento consanguinitatis, *vel* affinitatis ex copula matrimoniali, (hic exprimitur gradus), publicæ honestatis, *vel* cognationis spiritualis. At vero impetrata dispensatio nulla est ob incestum reticitum in precibus ; *vel :* ob incestum patratum vel iteratum post missas preces et ante dispensationis executionem ; *vel :* ob falso allegatam copulam carnalem absque culpa oratorum ; *vel :* ob reticitam bona fide oratorum malitiosam intentionem qua incestus fuit admissus.

Quare humillime supplicant Dominationi Vestræ, ut vi facultatis apostolicæ extraordinariæ dispensationem modo fulminatam convalidare dignetur.

Causæ sunt : 1°. infamatio oratorum vitanda; 2°. scandala prævenienda.

die..... mensis..... anni.....

N confessarius ecclesiæ N.

Si dispensatio obtenta sit super impedimento in quo Ordinarius loci dispensare non potest, et si ipse eam convalidandi facultate Sedis Apostolicæ extraordinaria non gaudeat, recurritur ad sacram

Pœnitentiariam, h. e. ad Majorem Pœnitentiarium, pro *perinde valere*, quod confessarius vel per seipsum facere potest, vel per Ordinarium sive Officialem loci, uti jam supra dictum est.

IV.

FORMULÆ

AD PETENDAS DISPENSATIONES MATRIMONIALES IN FORO INTERNO, A SANCTA SEDE CONCEDI SOLITAS.

XVIII. *Formula petendi dispensationis convalidationem per* Perinde Valere.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius et Titia, Diœcesis nostræ subditi, Matrimonium inire intendunt, cum obtenta et jam fulminata Sanctæ Sedis dispensatione super impedimento consanguinitatis secundi gradus æqualis lineæ collateralis ; *vel :* affinitatis primi gradus æqualis, lineæ collateralis. At vero obtenta dispensatio nulla est ob impedimentum omnino occultum et nullatenus manifestandum, proveniens e copula illicita Titii cum sorore Titiæ, super quo dispensatio petita non fuit ; *vel :* ob incestum reticitum in precibus ; *vel :* ob incestum patratum aut iteratum post missas preces et ante dispensationis executionem ; *vel* : ob falso allegatam copulam absque culpa oratorum ; *vel :* ob reticitam bona fide oratorum malitiosam intentionem qua incestus commissus fuit.

Quare humillime supplicat Titius Illustrissimæ Dominationi Vestræ, ut super illo impedimento dispensationem a sacra Pœnitentiaria, et simul pro jam impetrata, sed invalide, Sanctæ Sedis dispensatione *Perinde Valere* procurare dignetur.

Vel : Quare humillime supplicant Dominationi Vestræ, ut pro impetrata, sed invalide, illa dispensatione gratiam *Perinde Valere* ipsis procurare dignetur.

Causa est : Scandala et gravissima mala præscindenda.

die..... mensis..... anni.....

N confessarius ecclesiæ N.

XIX. *Altera formula petendi dispensationis convalidationem per* Perinde Valere.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius et Titia, Diœcesis nostræ subditi, Matrimonium inire intendunt, cum obtenta dispensatione fori interni. At vero nulla est illa dispensatio, quia simul existebat impedimentum publicum affinitatis secundi gradus æqualis, lineæ collateralis, ortum e copula fornicaria Titii cum consanguinea Titiæ in eodem gradu, quæ quampluribus est nota.

Quare, quia jam ab Apostolica Dataria dispensatio petita est super illo impedimento publico, humillime supplicant Illustrissimæ Dominationi Vestræ, ut pro impetrata, sed invalide, fori interni dispensatione, a sacra Pœnitentiaria gratiam *Perinde Valere,* ipsis procurare dignetur.

Causa est : Fundatus timor, ne formas civiles impleant.

die..... mensis..... anni.....

N pastor parochiæ N.

XX. *Formula petendi in ordine ad Matrimonium dispensationem super voto simplici perpetuæ castitatis, vel super voto ingrediendi in religionem approbatam.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titia, Diœcesis nostræ subdita, olim votum perpetuæ castitatis, *vel :* ingrediendi in religionem approbatam, emisit. Jam vero prudenter judicatur, statum conjugalem, cujus opportuna occasio sese offert, ipsi futurum esse magis salutarem.

Quare humillime supplicat Illustrissimæ Dominationi Vestræ ut dispensationem Sanctæ Sedis super præfato voto procurare ipsi dignetur, ut Matrimonium inire et debitum conjugale licite petere ac reddere valeat.

Causa est : 1°. quod nisi nubat, in certo periculo salutis versatur ; 2°. quod ad negotia gerenda, jam viro carere non potest ; 3°. quod, quum sit pauperrima, hoc

Matrimonio melius vitæ sine egestate transigendæ consulit ; 4°. quod oratrix ob ingentes stimulos carnis, se posse continenter vivere diffidit, etc.

die..... mensis..... anni.....

N confessarius ecclesiæ N.

Pro masculis eadem supplica, assumpto genere masculino, usurpari potest.

XXI. *Formula petendi convalidationem Matrimonii per dispensationem seu sanationem in radice.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius et Titia, Diœcesis nostræ subditi, cum vero et sincero Titiæ consensu, qui asseritur adhuc perseverare, Matrimonium in facie Ecclesiæ contraxerunt et consummarunt. At vero Matrimonium eorum est invalidum ob copulam fornicariam Titii cum sorore Titiæ, cujus impedimenti Titia est prorsus inscia. Impedimentum est omnino occultum nec timetur manifestandum, sed super eo nulla dispensatio petita fuit. Orator pœnitens fundate timet, ne si qualicumque modo consensus renovatio a putativa uxore petatur, eam ipsa vel recuset, vel si non abnuat consensum renovare, pax domestica ob violentas suspiciones ; *vel :* acerbissimos mores compartis gravissime inde turbetur.

Quare, quia orator optat in gratiam Dei redire, compartem gratiarum Matrimonii participem reddere et numerosam sobolem legitimare, humillime supplicat Illustrissimæ Dominationi Vestræ, ut dispensatione in radice præfati Matrimonii sanationem a sacra Pœnitentiaria ipsi procurare dignetur.

die..... mensis..... anni.....

N confessarius ecclesiæ N.

Si confessarius ipse malit Romam scribere, id facere poterit, servatis, quæ in supplica XVI dicta sunt, servandis ; quod etiam notandum est pro formulis XVIII, XIX et XX.

II.

Decretum Eminentissimi ac Reverendissimi Domini ENGELBERTI S. R. E. Presb. Card. STERCKX, Archiepiscopi Mechliniensis.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

(In Congr. Decanorum anni 1851).

Cum christianæ æque ac civilis societatis magnopere intersit ut, juxta monitum Apostoli, I Thess. IV, 4, nuptiæ in *sanctificatione et honore* habeantur, parochi, confessarii ac concionatores, quæ in hac re officii sui sunt, cum omni diligentia servare debent ; qualia præcipue sunt quæ sequuntur.

1. Inprimis cum Catechismo Romano diligenter animadvertant *tum sanctum Paulum, tum Apostolorum Principem, quæ non solum ad dignitatem, sed etiam ad officia Matrimonii pertinebant, pluribus locis accurate scripta reliquisse. Divino enim Spiritu afflati optime intelligebant quanta et quam multa commoda ad christianam societatem pervenire possent, si fideles Matrimonii sanctitatem cognitam haberent et inviolatam servarent ; contra vero ea ignorata vel neglecta, plurimas maximasque calamitates et detrimenta in Ecclesiam importari.* (Parte 2, *De Matrimonii Sacramento,* n. 2). Quare valde solliciti sint ut quæ de hoc Sacramento fidelibus scitu necessaria sint, accurate in catechismis et concionibus doceant et explicent, scilicet :

1°. Non omnes posse inire Matrimonium, sed qui a Deo vocati sunt, et requisitis ad graves istius status obligationes adimplendas qualitatibus prædíti sunt ; imo per se melius ac salutarius esse manere in virginitate aut cælibatu, quam jungi Matrimonio ; *Nihil enim beatius,* ait idem Catechismus, *in hac vita fidelibus potest contingere, quam ut animus nulla mundi cura distractus, sedata et restincta omni carnis libidine, in uno pietatis studio et cœlestium rerum contemplatione conquiescat* (Ibid., n. 1). Addant tamen votum perpetuæ castitatis inconsiderate, præcipue a junioribus, emitti non posse.

2°. Explicandum est, quæ sit ipsius Sacramenti dignitas et præstantia, et quas gratias conferat si digne suscipiatur, ut ita nupturientes intelligant se non humanam aliquam rem, sed divinam aggredi, ac ea qua par est mentis puritate et pietate ad Sacramentum accedant. Addendum etiam horrendum divinæ ultionis exemplum, quod, Tob. III, 8, refertur, ac monita quæ Archangelus Raphael juniori Tobiæ dedit, ibid. VI, 16. Atque inde concludendum, quod antequam de ineundis nuptiis statuatur, divina voluntas exploranda sit, ac propterea assidue preces fundendæ, ad Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ accedendum, ac omnia sedulo exeutienda sint, ut discernatur an status ipsaque persona quacum nuptiæ ineundæ sunt, conveniant. Speciatim vero inculcandum est, in delectu compartis non tam divitias, corporales dotes, aliasve temporales circumstantias attendi debere, quam morum honestatem, prudentiam, pietatem, ipsamque salutis operandæ facilitatem.

3°. Neque omittant parochi vocem attollere in illos qui, insciis aut etiam invitis parentibus, ad Matrimonium ineundum se adstringunt : licet enim ejusmodi Matrimonia valida sint, gravissima tamen inde dissidia, aliaque mala in familias redundare solent. Puellas præcipue moneant ne sine parentum consilio se obligent, ut in re tanti momenti caute omnino se gerant, famam illibatam custodiant, pudori prospiciant, neque ullis pollicitationibus se illaqueari sinant.

4°. Doceant servanda esse quæ de Matrimonio lege civili præscripta sunt, ne conjuges et proles effectibus civilibus priventur. Addant vero, ex lege Dei et Ecclesiæ nullum esse Matrimonium nisi coram parocho et duobus testibus contrahatur ; atque adeo tanquam publice concubinarios habendos esse, qui, solis civilibus formis adimpletis, simul cohabitant.

5°. Annuntient etiam, ex lege Ecclesiæ ad Sponsalia admitti non posse qui ignorant rudimenta fidei, adeoque ab illis qui Matrimonium inire cogitant, tempestive circa præcipua Catechismi capita memoriam refricandam esse, ut interrogati a parocho respondere valeant.

6°. Moneant, ex Concilii Tridentini præscripto curandum esse ut nuptiæ ea qua decet modestia et honestate

celebrentur ; adeoque in conviviis, si quæ fiant, evitandum esse quidquid christianos dedecet. Si qui in hac re publici abusus irrepserint, publice quoque reprehendantur nihilque intentatum relinquatur ut penitus extirpentur.

7°. Semel saltem in anno parochi de conjugatorum officiis concionem aut instructionem faciant. Nunquam vero cessent eos monere de gravissima obligatione educandi filios in timore Domini, adeoque curandi ut sanctissimis Evangelii præceptis a teneris annis imbuantur, et pro cujusque status conditione, litteris, scientiis, arte vel opificio instituantur.

8°. Doceant ab Ecclesia in Concilio Tridentino merito damnatam esse hæresim illorum qui prætenderunt Matrimonium legitime coram Ecclesia initum, ob hæresim, molestam cohabitationem, affectatam absentiam, aut adulterium dissolvi posse ; et vivente comparte aliud Matrimonium posse contrahi ; illumque errorem hodie a fidei inimicis frustra renovari, cum scriptum sit : *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

9°. De impedimentis Matrimonii sæpius occurrentibus similiter instruendi sunt fideles, necnon de obligatione ea denuntiandi, si quæ inter conjungendos existere noscantur, prout indicatur in Catechismo diœcesano.

10°. Tandem docendum, parentes pro iis quibus erga proles tenentur officiis, de statu ab ipsis eligendo maxime sollicitos esse oportere ; ipsosque adeo invigilare debere ne nuptias saluti nocivas contrahant.

II. Cum valde utile sit ut Sponsalia solemnia Matrimonio præmittantur, et Pastorale nostrum dicat : *Matrimonii Sacramentum justas ob causas ex Ecclesiæ consuetudine præcedere debent Sponsalia ;* hinc ea semper celebrentur in locis ubi in usu sunt, nisi ob necessitatem dispensatio obtenta fuerit.

III. Caveant diligenter parochi, ne ad Sponsalia admittant nisi quos sibi subditos esse indubitate noverint ; et si quidem, ut in famulantibus contingere natum est, ante Matrimonii celebrationem parochiam corpore et animo deserant, eorum Matrimonio non assistant, nisi ex speciali delegatione parochi ad quem transmigrarunt.

IV. Priusquam sponsi ad Sponsalia et proclamationes admittantur, parochus seorsim et diligenter illos examinet circa sequentia, nisi aliunde ea certo noverit : 1°. An sponte ac libere sese ad Sponsalia præsentent, nec alteri sint adstricti. 2°. An parentes Matrimonio consentiant. 3°. An nullum inter ipsos intercedat impedimentum. 4°. An in parochia verum domicilium habeant et habituri sint donec Matrimonium contraxerint. 5°. An circa fidei rudimenta ac ipsas conjugatorum obligationes debite sint instructi.

Si quis in necessariis ignorans deprehendatur, ad Sponsalia non admittatur nisi illa prius didicerit, aut ante Matrimonium discere et novum examen subire paratus sit.

V. Si sponsi sint diversarum parochiarum, præfata a proprio utriusque parocho explorari debent; Sponsalia vero et Matrimonium pro more celebrentur coram parocho sponsæ. Unde parochus sponsi litteras testimoniales conscribat, quibus alteri constet, ad Sponsalia, proclamationes vel Matrimonium procedi posse. Nullus vero parochus Matrimonio assistat, nisi legitimo testimonio alterius parochi a quo proclamationes fieri debent, constet nullum impedimentum detectum fuisse.

Contractis Sponsalibus, parochus moneat desponsatos ut ad ipsum Matrimonii Sacramentum sancte suscipiendum se præparent ; et stricte injungat ut triduo saltem ante illud sua peccata confiteantur ; hoc enim intervallo confessarius sæpe indiget ut dispensationi eorum aut impedimentis, si quæ detegat, providere possit.

VI. Ad evitanda gravium malorum pericula quæ ex frequenti sponsorum consuetudine ante Matrimonii celebrationem exoriri solent, occasione Sponsalium etiam serio monendi sunt ne secreta colloquia inter se, semotis arbitris, habeant; et stricte ipsis nomine Ecclesiæ injungendum est, ut ante contractum Matrimonium sub eodem tecto simul habitare non præsumant. Parentes pariter ac cæteri quibus vigilantiæ cura incumbit, monendi sunt de officio suo ac ratione quam pro prole reddituri sunt.

VII. Quia nuptiæ coactæ tristem plerumque exitum habent, parochus Sponsalia nullatenus excipiat, si alteruter contrahentium dicat se minis aut importunis precibus fuisse inductum, aut de eis fundata suboriatur suspicio.

Idem esto si alteruter parentum justa de causa Matrimonio se opponat. Si vero consensum irrationabiliter recuset, casus Amplissimo Domino Officiali exponendus est, ut consensus suppleatur.

VIII. Inhærentes decretis Concilii Tridentini et Synodorum nostrarum provincialium anni 1570 et 1607, sub pœna suspensionis parochis interdicimus ne quem vagum et ignotum ad Sponsalia aut Matrimonium admittant, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint et, re ad Officialitatem nostram delata, ab ea licentiam id faciendi obtinuerint.

IX. Antequam sponsi ad Matrimonium contrahendum admittantur, tribus continuis dominicis aut festivis diebus a proprio contrahentium pastore, ejusve delegato sacerdote, publice denuntientur.

Si sponsi ex diversis parochiis sint, in utraque proclamationes fiant ; si vero infra sex menses aliam parochiam deseruerint, in ea etiam proclamationes fieri oportet.

Quod si infra tres menses post factas proclamationes Matrimonium non contrahatur, proclamationes erunt repetendæ, nisi dispensatio obtenta fuerit, quæ in duabus dumtaxat concedetur.

Prohibemus ne eo ipso die quo ultima proclamatio facta fuerit, Matrimonium contrahatur.

Si post contracta Sponsalia sponsa vel etiam sponsus in aliam parochiam transmigraverint, ibidem sine novis proclamationibus ad Matrimonium admitti possunt, dummodo proclamationum a priore parocho factarum testimonium adferant.

X. Quandocumque parocho innotuerit impedimentum canonicum, illud statim per litteras Nobis exponat, neque ulterius procedat, priusquam legitime sublatum fuerit.

Si celebrationi Matrimonii fiat oppositio quæ attentionem mereatur, pastor rem componere conetur; si vero opponens persistat, casus ad Officialitatem deferatur, aut ipse opponens ad eam cum litteris remittatur ; neque ad celebrationem Matrimonii procedatur, nisi oppositioni renuntiaverit, aut judex ecclesiasticus eam irritam declaraverit.

XI. Non sinant parochi ut qui legitime coram Ecclesia Sponsalia contraxerunt, se mutuo propria auctoritate

liberent; sed si Matrimonio renuntient, rationes Amplissimo Officiali nostro exponant, ut auctoritate nostra Sponsalia dissoluta declarentur; decet enim ut quæ Ecclesia acceptavit et approbavit, leviter, ipsaque inconsulta, non dissolvantur.

XII. Tempus clausum a Concilio Tridentino præscriptum, quantum fieri potest, observetur. Si vero ex legitima causa in eo dispensatum fuerit, conjuges a nuptialibus conviviis abstinere jubeantur, proclamationes vero antenuptiales pro more fiant.

XIII. *Munus interessendi Matrimoniis celebrandis,* inquit Benedictus XIV, Constit. NISIIAM LICENTIAM, *per sese ipse parochus, nisi legitima gravissimaque de causa impeditus, obire teneatur.* Non itaque facile illud munus vicario committat: contracto autem Matrimonio, brevibus ac gravibus verbis conjuges moneat ut christiane et pacifice cohabitent, et sui status officia rite adimpleant.

Si justa causa requirat ut Matrimonium in alia parochia celebretur, commissio scripto detur, et quidem ad unum determinatum parochum aliumve sacerdotem, qui parochum proprium de contracto Matrimonio certiorem faciat, ut illud in registro annotetur, juxta dicenda art. XVII.

Nemo sibi non subditi Matrimonio assistere præsumat, nisi a parocho illius aut a Nobis specialem facultatem acceperit; quo casu curetur ut Matrimonium annotetur in registro parochiæ in qua sponsa domicilium habet.

XIV. Cum longa conjugis absentia non adferat certitudinem de ejus morte, et in ordine ad novas nuptias mors non præsumatur sed probanda sit, nullus ad secundas nuptias admittatur, nisi certo constet de morte prioris conjugis.

XV. Circa peccatores Matrimonium inire cupientes, observent parochi et confessarii quæ in decretis *De Sacramentis in genere* dicta sunt, et insuper attendant ad sequens monitum decreti Archiepiscopi et Episcoporum Belgii de die 23 Aprilis 1697:

Circa administrationem Matrimonii similiter viam ineant mediam et discretam, ex una parte considerantes illud habere rationem Sacramenti: proindeque conentur suscipientes, quantum Domino juvante poterunt, ad illius gratiam

suscipiendam disponere, nec (sepositis extraordinariis Nobisque inconsultis), officium suum impendant, ubi saltem alterutra pars nosceretur ad hanc gratiam indisposita. Ex alia vero parte attendant idem habere rationem contractus, respicere bonum commune prolis et familiorum : ideoque præterquam quod ex notitia confessionis sacramentalis nullo modo hic extra tribunal conscientiæ procedere liceat, ne quidem facile hoc Sacramentum differatur notabilibus cum incommodis, prætextu præmittendi pœnitentiæ opera, vel reparandi scandali aut tollendi occasionem proximam, quando ipsummet scandalum per subsequens Matrimonium reparatur, et occasio proxima per idem tollitur. Et sicut parochi Matrimoniis peccatorum illorum publicorum, de quibus agit Pastorale, non possunt assistere, nisi per Nos, aut Officiales nostros, declaratum fuerit tales satisfecisse; ita contra dum existimabunt se tales peccatores publicos habere, qui desiderant Matrimonium contrahere, non poterunt propria authoritate iis differre, sed debebunt ad Nos vel Officiales nostros quantocius recurrere et judicium nostrum desuper audire. (In *Synod. Belgic.*, tom. 1, pag. 623).

XVI. Cum Pastorale nostrum sub gravi præcipiat ut Matrimonium in ecclesia celebretur, quæ Sacramentorum proprius locus est, prohibemus ne sine speciali licentia nostra alibi id fiat. Magnopere autem commendamus ut quotiescumque fieri potest, Missa subsequatur, cui conjugati ac testes interesse valeant. Semper vero celebretur ante meridiem, nisi necessitas aliter requirat.

Meminerint parochi aliique sacerdotes lege civili sub mulcta aliisque pœnis prohibitum esse Matrimonio assistere, nisi scripta magistratus civilis testificatione constet actum civilem Matrimonii a conjungendis præstitum fuisse.

XVII. Statim ac Matrimonium fuerit contractum, parochus accurate illud in registro describat, annotando nomina et prænomina, locum natalem et ætatem conjugum, et nomina et prænomina testium. Si vero alius sacerdos a pastore, a Nobis aut Officiali nostro delegatus Matrimonio adstiterit, illius quoque nomen inscribatur. Unaquæque vero inscriptio a pastore subsignetur.

Si per contractum Matrimonium proles legitimetur, curet parochus ut in registro baptizatorum, ubi Baptismus prolis describitur, celebratio Matrimonii annotetur.

Si Matrimonium contractum sit cum dispensatione in impedimento dirimente, quod publicum censeri debet, aut in tempore clauso vel proclamationibus, illius quoque mentio fiat in registro.

XVIII. Quod in decreto 24 Decembris 1790 monebat Eminentissimus Prædecessor noster Joannes Henricus, Cardinalis de Franckenberg, rem scilicet esse plenam periculi, et ecclesiastico regimini ac ipsi animarum saluti nocivam, verbotenus impetrare ullas facultates, id vel maxime in petendis dispensationibus matrimonialibus obtinet. Quapropter parochi, etiam cum oratorem mittunt, in litteris impedimentum ac rationes quæ pro dispensatione impetranda militant, accurate describant, adjecta etiam, ubi de consanguinitate aut affinitate agitur, arbore genealogiæ.

In petendis vero dispensationibus non sint nimis faciles nec nimis difficiles. *Legi enim insistere, cum observantia infert præjudicium, crudelitatem sapit,* inquit Symmachus Papa ; et Concilium Tridentinum, Sess. XXV, cap. XVIII, *de reform.* merito ait : *Sicut publice expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, evenientibus casibus et necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat ; sic frequentius legem solvere, exemploque potius quam certo personarum rerumque delectu petentibus indulgere, nihil aliud est quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire.*

XIX. Dum contingit conjugatos in dissidiis vivere aut etiam separatos degere, parochus omni modo conetur eos ad concordiam et cohabitationem revocare. Si obtemperare nolint, et spes sit fore ut nostro nomine moniti resipiscant, res ad Officialem deferatur, qui, si reconciliationis media frustra tentaverit, nostra authoritate permittet ut sub debitis conditionibus fiat mutua thori et habitationis separatio.

Actum Mechliniæ in Congregatione Adm. RR. DD. Archipresbyterorum, die 20 Maji 1851.

† ENGELBERTUS, Card. Archiep. Mechl.

De mandato Eminentiæ suæ.
A. Genneré, Secret.

50.

INDEX

TRACTATUS DE SACRAMENTO ORDINIS, DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO.

Approbationes primæ Editionis. v

TRACTATUS DE ORDINE.

Proœmium. 1
Decretum Concilii Florentini. 2
Canones Concilii Tridentini. 3

DE ORDINE GENERATIM SUMPTO.

N. 1. *De notione vocabuli Ordinis.* 5

DE ORDINE SUMPTO PRO ORDINE HIERARCHICO.

N. 2. *De Hierarchia ecclesiastica.* 6
N. 3. *De Hierarchia Ordinis.* 15

DE ORDINE SUMPTO PRO ORDINATIONE GENERATIM.

N. 4. *De numero, divisione et officiis Ordinum.* 36
N. 5. *De Sacramento Ordinis.* 41

DE DIVERSIS ORDINIBUS IN SPECIE ET DE TONSURA.

N. 6. *De Episcopatu.* 48
N. 7. *De Presbyteratu.* 55
N. 8. *De Diaconatu.* 64
N. 9. *De Subdiaconatu.* 71
N. 10. *De quatuor Ordinibus minoribus.* 77
N. 11. *De Tonsura clericali.* 82

DE ATTACTU MATERIÆ REMOTÆ ET EFFECTIBUS SACRAMENTI ORDINIS.

N. 12. *De attactu materiæ remotæ.* 88
N. 13. *De effectibus Sacramenti Ordinis.* 91

DE SUBJECTO ORDINUM.

N. 14. *De subjecto Sacramenti Ordinis.* 96
N. 15. *De requisitis ad licitam susceptionem Tonsuræ et Ordinum. Vocatio divina ;* 100
Confirmatio ; Ætas legitima ; 104
Debita scientia ; 105
Probitas vitæ ; 106
Status gratiæ ; Recta intentio ; 108
Immunitas ab impedimentis canonicis ; Subjectio Episcopo ordinanti ; Titulus sacræ ordinationis ; 109
Ordinibus prærequiritur Tonsura, et Ordini superiori Ordo inferior ; 116
Interstitia ; 117
Locus et tempus debitum. 119

DE MINISTRO ORDINUM.

N. 16. *De ministro ordinario Ordinum.* 120
N. 17. *De ministro extraordinario Ordinum.* 130

DE CÆLIBATU.

N. 18. *De cœlibatu ecclesiastico.* 132

APPENDIX.

I. *Decretum Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Engelberti S. R. E. Presb. Card. Sterckx, Archiepiscopi Mechliniensis, de Sacramento Ordinis.* 142
II. *Decretum ejusdem Archiepiscopi circa proclamationes ordinandorum a parochis faciendas.* 145

TRACTATUS DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO.

Proœmium. 147
Decretum Concilii Florentini. 149

Canones Concilii Tridentini. 149

DE SPONSALIBUS.

DE EORUM NATURA ET ADJUNCTIS.

N. 1. *De nomine, definitione et divisione Sponsalium.* 151
N. 2. *De consensu requisito ad Sponsalia.* 153
N. 3. *De signis consensus sponsalitii.* 157
N. 4. *Quinam sint habiles ad contrahendum Sponsalia et de ætate requisita.* 159
N. 5. *De Sponsalibus clandestinis.* 161
N. 6. *De adjunctis Sponsalium : juramento, conditione apposita, copula superveniente, arrha aut pœna addita.* 162

DE EFFECTIBUS ET NECESSITATE SPONSALIUM.

N. 7. *De effectibus Sponsalium.* 166
N. 8. *De necessitate Sponsalium solemnium, et de loco ac cæremoniis eorum.* 167

DE IMPEDIMENTIS SPONSALIUM.

N. 9. *De iis quæ Sponsalia prohibent aut irritant.* 169
N. 10. *De consensu parentum requisito ad Sponsalia et Matrimonium.* 173

DE DISSOLUTIONE SPONSALIUM.

N. 11. *Quibus modis Sponsalia dissolvi possint.* 177
N. 12. *De dissolutione Sponsalium per consensum contrahentium.* 178
N. 13. *De dissolutione Sponsalium per superveniens impedimentum Matrimonii.* 179
N. 14. *De dissolutione Sponsalium per subsequens Matrimonium aut Sponsalia cum alia.* 181
N. 15. *De dissolutione Sponsalium per votum.* 182
N. 16. *De dissolutione Sponsalium propter mutationem supervenientem, aut defectum innotescentem.* 186

N. 17. *De dissolutione Sponsalium propter fornicationem cum tertia persona.* 188
N. 18. *An sponsi teneantur sibi mutuo occultos defectus revelare.* 190
N. 19. *De dissolutione Sponsalium propter lapsum temporis, aut discessum alterutrius.* 191
N. 20. *An et quando requiratur auctoritas judicis ad solvenda Sponsalia.* 193

DE PROCLAMATIONIBUS ET OFFICIO PAROCHI ERGA NUPTURIENTES.

N. 21. *De proclamationibus antenuptialibus.* 195
N. 22. *De officio parochi circa eos qui petunt admitti ad Sponsalia et Matrimonium.* 204

DE MATRIMONIO.

DE EJUS NATURA, INSTITUTIONE, HONESTATE ETC.

N. 23. *De nomine, definitione et essentia Matrimonii, ut est in officium naturæ.* 210
N. 24. *De institutione et fine Matrimonii.* 216
N. 25. *De honestate Matrimonii ; an sit præceptum, aut virginitati præferendum.* 218

DE MATRIMONII SACRAMENTO.

N. 26. *An Matrimonium sit Sacramentum.* 222
N. 27. *De ministro Sacramenti Matrimonii.* 235
N. 28. *De materia, forma et cæremoniis Sacramenti Matrimonii.* 242
N. 29. *De dispositionibus requisitis ad valide et fructuose suscipiendum Matrimonii Sacramentum.* 245

DE EFFECTIBUS ET SEPARABILITATE CONTRACTUS ET SACRAMENTI.

N. 30. *De effectibus Matrimonii.* 248

N. 31. *An Matrimonium potest esse validum in ratione contractus, non in ratione Sacramenti; et an potest claudicare.* 249
N. 32. *An Matrimonium validum in ratione contractus, non Sacramenti, postea fieri possit Sacramentum.* 252
N. 33. *De Matrimonio inter absentes per procuratores, et an sit Sacramentum.* 253

DE CONSENSU MATRIMONIALI ET CONDITIONIBUS APPOSITIS.

N. 34. *De consensu matrimoniali.* 255
N. 35. *De conditionibus consensui appositis : de præterito, de præsenti, de futuro.* 258
N. 36. *De conditione impossibili, aut turpi, aut repugnante substantiæ Matrimonii.* 261
N. 37. *De conditione castitatis servandæ.* 264
N. 38. *De conditione educandi prolem in infidelitate, vel in hæresi.* 266

DE FINE CONTRAHENDI ET BONIS MATRIMONII.

N. 39. *De intentione et finibus contrahendi Matrimonii.* 267
N. 40. *De bonis Matrimonii in genere.* 269

BONUM PROLIS.

N. 41. *De bono prolis et obligationibus ad illud pertinentibus.* 271

BONUM FIDEI ET DEBITUM CONJUGALE.

N. 42. *De bono fidei et obligationibus ad illud pertinentibus.* 272
N. 43. *De obligatione reddendi debitum conjugale.* 275
N. 44. *Ob quas causas liceat negare debitum conjugale.* 276
N. 45. *Quando illicita sit petitio aut redditio debiti.* 278

N. 46. *De voto, affinitate et cognatione spirituali in ordine ad petitionem et redditionem debiti.* 285
N. 47. *An in dubio circa valorem Matrimonii liceat petere aut reddere debitum.* 291
N. 48. *Ob quos fines actus conjugalis exerceri possit.* 296
N. 49. *De peccatis carnalibus conjugum inter se.* 300

BONUM SACRAMENTI ET INDISSOLUBILITAS.

N. 50. *De bono sacramenti seu Matrimonii indissolubilitate.* 303
N. 51. *An Matrimonium quoad vinculum dissolvi possit propter adulterium ; aut propter hæresim, molestam cohabitationem, vel longam absentiam.* 309
N. 52. *De dissolutione Matrimonii rati non consummati per professionem religiosam.* 316
N. 53. *De dissolutione Matrimonii rati non consummati per dispensationem Summi Pontificis.* 318
N. 54. *De Matrimonii ante Baptismum contracti dissolutione, signanter in casu Apostoli.* 320
N. 55. *De dissolutione Matrimonii per libellum repudii.* 324

DE DIVORTIO ET POLYGAMIA.

N. 56. *De divortio, seu separatione conjugum quoad thorum et habitationem.* 327
N. 57. *De unitate Matrimonii et polygamia.* 336

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII ET POTESTATE EA CONDENDI.

N. 58. *De impedimentis Matrimonii in genere.* 342
N. 59. *De potestate Ecclesiæ constituendi impedimenta dirimentia Matrimonii.* 343
N. 60. *An principi sæculari competat potestas statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia.* 355

DE IMPEDIMENTIS IMPEDIENTIBUS.

N. 61. *De impedimentis impedientibus in generali.* 366
N. 62. *De Ecclesiæ vetito.* 367
N. 63. *De tempore feriato.* 369
N. 64. *De Sponsalibus, ut impedimento Matrimonii.* 371
N. 65. *De impedimento voti impediente tantum.* 372

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

N. 66. *De impedimentis dirimentibus in generali, et an prohibeant specialiter peccata luxuriæ.* 374

ERROR, CONDITIO, AMENTIA, VIS.

N. 67. *De impedimentis erroris et conditionis.* 382
N. 68. *De impedimento amentiæ.* 386
N. 69. *De impedimento vis seu metus.* 387

LIGAMEN, IMPOTENTIA, ÆTAS.

N. 70. *De impedimento ligaminis.* 397
N. 71. *De impedimento impotentiæ.* 399
N. 72. *De impedimento ætatis.* 402

VOTUM ET ORDO.

N. 73. *De impedimento voti dirimente.* 404
N. 74. *De impedimento Ordinis.* 407

COGNATIO, AFFINITAS, HONESTAS.

N. 75. *De cognatione carnali, seu consanguinitate.* 409
N. 76. *In quibus gradibus et quo jure consanguinitas dirimat Matrimonium.* 413
N. 77. *De impedimento cognationis spiritualis.* 417
N. 78. *De impedimento cognationis legalis.* 420
N. 79. *De impedimento affinitatis.* 423
N. 80. *De impedimento publicæ honestatis.* 430

CRIMEN ET RAPTUS.

N. 81. *De impedimento criminis.* 435
N. 82. *Quando oriatur impedimentum ex adulterio sine homicidio.* 437
N. 83. *Quandonam oriatur impedimentum ex homicidio sine adulterio.* 440
N. 84. *Quandonam impedimentum oriatur ex adulterio et homicidio simul.* 441
N. 85. *De impedimento raptus.* 443

CLANDESTINITAS.

N. 86. *De impedimento clandestinitatis: ubi et quosnam obliget.* 445
N. 87. *An hæretici degentes in locis, ubi publicata est lex Tridentina, ea obligentur.* 452
N. 88. *De parocho coram quo Matrimonium est contrahendum.* 459
N. 89. *De habitatione parochiali.* 464
N. 90. *Quales esse debeant testes Matrimonii et qualis eorum ac parochi præsentia requiratur.* 473
N. 91. *Quando sit validum Matrimonium clandestinum, et de Matrimoniis conscientiæ.* 476

CULTUS DISPARITAS.

N. 92. *De impedimento disparitatis cultus et de Matrimoniis mixtis.* 478

DE CONVALIDATIONE MATRIMONII.

N. 93. *De officio parochi et confessarii in casu Matrimonii invalide contracti.* 483
N. 94. *De convalidatione Matrimonii nulliter contracti.* 486

DE DISPENSATIONE IN IMPEDIMENTIS.

N. 95. *De potestate dispensandi in impedimentis Matrimonii.* 498

N. 96. *De justis causis dispensandi in impedimentis Matrimonii.* 500
N. 97. *Quomodo distinguendæ causæ dispensationis, et de vitio obreptionis.* 504
N. 98. *Qua via dispensatio Romana impetranda sit.* 507
N. 99. *De iis quæ in libello supplici exprimenda sunt, seu de stylo Curiæ Romanæ.* 514
N. 100. *De executione rescriptorum Datariæ Apostolicæ et sacræ Pœnitentiariæ.* 526
N. 101. *In quibus casibus possint Episcopi dispensare super impedimentis Matrimonii.* 538
N. 102. *De dispensatione in radice Matrimonii.* 549

APPENDIX.

I. *Formulæ supplicarum matrimonialium.* 556
II. *Decretum Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Engelberti S. R. E. Presb. Card. Sterckx, Archiepiscopi Mechliniensis, de Sacramento Matrimonii.* 576

FINIS INDICIS.

Reimprimatur.

Mechliniæ, 7 Martii 1872.

J. B. LAUWERS, Vic. Gen.

THEOLOGIA

AD USUM

SEMINARII MECHLINIENSIS.

Déposé.

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO ORDINIS

OLIM A PROFESSORIBUS SEMINARII MECHLINIENSIS DICTATUS,
ET DEINDE, SUB NOMINE P. DENS, TYPIS EDITUS,

NUNC VERO IN PLURIBUS EMENDATUS, POSTERIORIBUS SUMMORUM PONTIFICUM
DECRETIS ET STATUTIS DIOECESANIS ACCOMMODATUS, AC RECENTIORUM
AUCTORUM ANIMADVERSIONIBUS LOCUPLETATUS.

MECHLINIÆ,

H. DESSAIN, SUMMI PONTIFICIS, S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA
FIDE ET ARCHIEP. MECHL. TYPOGRAPHUS.

MDCCCLXVIII.

Cum duo præcipue in sacerdote et animarum pastore requirantur, probitas videlicet et doctrina, earum utraque in Seminario est comparanda.

S. CAROLUS BORROMÆUS, INSTIT. SEMINARII, PART. 3, CAP. 1.

In signum authenticitatis.

VICTOR-AUGUSTUS-ISIDORUS

DECHAMPS,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPUS MECHLINIENSIS,
PRIMAS BELGII, SANCTITATIS SUÆ PRÆLATUS DOMESTICUS
ET SOLIO PONTIFICIO ASSISTENS,

Alumnis Seminarii nostri et universo Clero Diœcesis salutem in Domino.

Vix opus est ut vobis commendemus hunc tractatum de Sacramento Ordinis, quo in re sacramentaria complentur volumina ab Emo fel. rec. prædecessore nostro Cardinali Sterckx, cooperantibus Seminarii professoribus, edita. Reperietis enim hic quidquid conducere potest ad ea cognoscenda, a clericis sine dedecore non ignoranda, quæ ipsum statum ecclesiasticum spectant, quæque adeo nata sunt vos impellere ad magnam

vocationis vestræ æstimationem concipiendam, ac vobis addere stimulum, ut sancte et vocatione vestra digne ambuletis.

Multum igitur in Domino hortamur vos, ut hunc librum diligenter pervolvatis, et quæ ad sacerdotalem scientiam ac virtutes faciunt, inde sedulo haurire studeatis.

Datum Mechliniæ, die 17 junii 1868.

† VICTOR-AUGUSTUS, Arch. Mechl.

De mandato Illmi ac Rmi Domini Archiep.

P. L. Goossens, Secret.

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO ORDINIS.

PROOEMIUM.

Absolutis tractatibus de quinque prioribus Sacramentis, quæ pro omnibus Christi fidelibus instituta sunt, reliquum est ut agamus de Sacramentis Ordinis et Matrimonii, quæ nonnisi ad certas fidelium classes spectant et præcipue ad bonum publicum Ecclesiæ referuntur. Ordo namque prospicit regimini Reipublicæ Christianæ per ministrorum consecrationem; Matrimonium vero ejusdem Reipublicæ propagationi, gratias conjugibus procurando, ut prolem ex legitimo connubio susceptam, sancte et christiane educent. Primum de Ordine utpote nobiliori, juxta theologorum morem, sermo erit.

Quantum viri ecclesiastici Sacramentum Ordinis revereri et honorare debeant, ex eo patet, quod omnis illorum excellentia et dignitas, ac pleræque gratiæ, quas ad sua officia rite explenda a Deo obtinent, ex isto Sacramento tanquam ex fonte profluant. Omnes igitur hunc tractatum libenter legere et ruminare debent, ut ex perfectiori omnium veritatum traditarum intelligentia sublimitatem status sui magis magisque æstimare discant. Sicut enim ignoti nulla cupido est, ita, quo optimæ quæque res melius cognoscuntur, eo magis æstimantur et diliguntur.

S. Thomas de hoc Sacramento agit in Supplemento Summæ theologicæ a quæst. 34 usque ad quæst. 40, inclusive. Ipsius principiis insistentes tractabimus :

A N. 1 usque ad 3, *de notione Ordinis* et *de Ordine sumpto pro Ordine hierarchico,* seu *de Hierarchia ecclesiastica,* speciatim vero *de Hierarchia Ordinis ;*

A N. 4, *de Ordine sumpto pro ritu sacro* agemus, et quidem primum *de numero, divisione et officiis Ordinum ;* dein N. 5, *de Sacramento Ordinis in genere ;*

A N. 6 usque ad 11, *de Ordinibus in specie* et *de Tonsura,* quæ est præparatio ad Ordines;

N. 12, *de attactu materiæ remotæ ;*

N. 13, *de effectibus Sacramenti Ordinis ;*

N. 14 et 15, *de requisitis in subjecto, sive ad validitatem Sacramenti, sive ad liceitatem susceptionis Tonsuræ et Ordinum ;*

N. 16 et 17, *de ministro Ordinum tum ordinario, tum extraordinario ;*

Tandem N. 18, *de cælibatu ecclesiastico.*

Pro more præmittimus decretum Concilii Florentini et canones Concilii Tridentini de materia pertractanda.

Summa doctrinæ catholicæ de Ordine ex Conciliis Florentino et Tridentino.

Decretum Concilii Florentini.

Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo: sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane traditionem; Diaconatus vero per libri Evangeliorum datione m; Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem; et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma Sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis et pro mortuis in nomine Patris,

et Filii, et Spiritus Sancti ; et sic de aliorum Ordinum formis , prout in Pontificali Romano late continetur. Ordinarius minister hujus Sacramenti est Episcopus. Effectus, augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus minister.

Canones Concilii Tridentini.

Sess. XXIII. De Sacramento Ordinis.

I. Si quis dixerit, non esse in novo Testamento Sacerdotium visibile et externum ; vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum Corpus et Sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi : sed officium tantum, et nudum ministerium prædicandi Evangelium ; vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse Sacerdotes ; anathema sit.

II. Si quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, et majores et minores, per quos, velut per gradus quosdam , in Sacerdotium tendatur ; anathema sit.

III. Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram ordinationem, non esse vere et proprie Sacramentum , a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis ; aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei, et Sacramentorum ; anathema sit.

IV. Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum , ac proinde frustra Episcopos dicere, Accipe Spiritum Sanctum ; aut per eam non imprimi characterem ; vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse ; anathema sit.

V. Si quis dixerit, sacram Unctionem, qua Ecclesia in sancta ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam et perniciosam esse ; similiter et alias Ordinis cæremonias ; anathema sit.

VI. Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, et ministris ; anathema sit.

VII. Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores , vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi ; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris

communem; vel Ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis sæcularis consensu, aut vocatione, irritos esse; aut eos, qui nec ab Ecclesiastica et Canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et Sacramentorum ministros; anathema sit.

VIII. Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros Episcopos, sed figmentum humanum; anathema sit.

Sess. XXIV. De Sacramento Matrimonii.

IX. Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege Ecclesiastica, vel voto; et oppositum nil aliud esse, quam damnare matrimonium; posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; anathema sit: cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari.

X. Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu, quam jungi matrimonio; anathema sit.

N. 1. De notione vocabuli Ordinis.

Vocabulum *Ordo* in sensu obvio, est *apta rerum inter se et ad aliquem finem dispositio.* Hoc sensu ab Augustino, lib. 19, *De Civit. Dei*, cap. 13, ordo dicitur *parium dispariumque rerum, sua cuique loca tribuens dispositio*, et Catech. Rom., part. 2, tit. *De Ordin. Sacram.* n. 19, sic habet: *Est.... Ordo, si propriam ejus vim et notionem accipiamus, dispositio superiorum et inferiorum rerum, quæ inter se ita aptatæ sunt, ut una ad alteram referatur.* Ordo duplici sensu accipitur;

A theologis duplex præsertim significatio vocis *Ordo* attenditur: et quidem

1°. *Ordo* sumitur pro *Ordine hierarchico* seu *ecclesiastica Hierarchia*, idque juxta nativam vocis significationem; tunc enim designat mirabilem illum ordinem personarum, quæ Deo consecratæ, secundum varios gradus superiores et inferiores, sacram potestatem aut ecclesiasticas functiones in Ecclesia exercent. 1°. pro Ordine hierarchico,

2°. *Ordo* apud theologos sumitur pro *ritu sacro*, quo ministri Ecclesiæ ad officia ecclesiastica deputantur. Hoc sensu a Latinis etiam *ordinatio* vocatur, seu *sacra ordinatio*, item, præsertim antiquitus, *Manuum impositio*; a Græcis vero χειροτονία, quod proprie manuum extensionem seu porrectionem, et χειροθεσία, quod ad litteram manuum impositionem significat. Χειροτονία, vi nominis potius ministrorum *electionem*, et χειροθεσία eorumdem *consecrationem* designat; at utrumque vocabulum a Patribus promiscue pro sacra ordinatione usurpatur. Cfr. Wirceburgen., tract. *De Sacram. Ordinis*, n. 5 et 6; et Vuitasse, eod. tract. part. 1, quæst. 1, art. 1. 2°. pro sacra ordinatione.

Secundum hanc duplicem Ordinis notionem, in hoc tractatu primum de Ordine hierarchico, deinde de Ordine sumpto pro sacra ordinatione agetur.

N. 2. De Hierarchia ecclesiastica.

S. Thomas, Supplem. quæst. 34, art. 1.

Quid est Ordo hierarchicus seu Hierarchia ecclesiastica ?

Hierarchia ecclesiastica definitur.

R. *Hierarchia ecclesiastica*, quæ juxta vocis etymologiam idem sonat ac sacer principatus (*ἱερὰ ἀρχή*), dicitur *ordo ille personarum, quæ Deo consecratæ sunt, et secundum diversos gradus Ecclesiæ præsunt aut in ea certa ministeria obeunt.*

Notandum tamen, quandoque per Hierarchiam ecclesiasticam intelligi ipsam ecclesiasticam potestatem, prout in Ecclesia a personis sacris secundum varios ipsarum gradus exercetur.

Personæ Hierarchiam constituentes dicuntur *Deo consecratæ;* quia membra Ecclesiæ ad Ordinem hierarchicum pertinentia speciali modo addicta sunt Dei servitio, et Deum ipsum sibi in partem et hæreditatem elegerunt, unde et vocantur *clerici*, *clerus* seu *ordo clericorum;* et iidem clerici dicuntur *secundum diversos gradus Ecclesiæ præesse, aut in ea certa ministeria obire;* quia soli in Ecclesia secundum diversos hierarchicos gradus potestatem ecclesiasticam exercent et res sacras administrant; unde ordo clericorum distinguitur a *laicis*, qui etiam simpliciter *fideles* vel *populus christianus* vocantur, nec ulla auctoritate in Ecclesia pollent, sed in rebus ad ecclesiasticum regimen pertinentibus clericis subjiciuntur.

An Ordo hierarchicus in Ecclesia est institutionis divinæ ?

Hierarchia ecclesiastica, prout ab ordine laicorum distinguitur,

Prænot. Duplex hic exurgit quæstio : spectari enim potest Ordo hierarchicus 1°. prout ordo clericorum distinguitur a laicis, 2°. prout in ipsa Hierarchia varii sunt gradus. Si quæstio intelligatur in priori sensu, petitur utrum hierarchicus Ordo in Ecclesia sit ab ordine laicorum distinctus ex jure divino, seu ex Christi instituentis voluntate ; si intelligatur in posteriori sensu, petitur utrum sit ex instituto divino, quod varii Hierarchiæ

gradus sint inter se distincti, et unus altero superior. De hac secunda quæstione agitur N°. seq., et in tractatu *De Ecclesia;* ad priorem vero hoc loco

R. Hierarchia ecclesiastica, prout distinguitur a statu laicorum, est institutionis divinæ : quinimo hoc de fide est, ut patet ex can. VI, Sess. XXIII Concilii Tridentini, qui sic sonat : *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et ministris, anathema sit.* est institutionis divinæ.

Quinam præ cæteris impugnarunt doctrinam Ecclesiæ circa originem divinam Hierarchiæ?

R. Jam a tempore Tertulliani fuerunt hæretici, qui clericorum et laicorum ordinem confunderent, ut liquet ex ipsius opere *De præscriptionibus*, cap. 41; errorem illum renovarunt plerique protestantes, qui distinctionem inter clericos et laicos ex Christi ordinatione in Ecclesia ortum habuisse negant, conformiter ad suum systema, a Luthero invectum, nimirum : Ecclesiam esse *societatem* sive *collegium æqualium*, cui sacra potestas a Christo in communi concessa est. Hinc juxta ipsos communitati fidelium competit omnis potestas et jurisdictio ecclesiastica; et si quæ existat distinctio clerum inter et populum, talis distinctio ab humana institutione repetenda est : etenim ministri Ecclesiæ a populo, imo a principe, qui populum repræsentat, omnem potestatem accipiunt, eamque de consensu tantum et nomine populi exercent; quod si munere suo exuantur, iterum ad laicorum ordinem rediguntur. Varii adversarii.

Ad hoc protestantium systema proxime accedunt illi, qui cum Edmundo Richerio, in opere *De ecclesiastica et politica potestate*, docent totam ecclesiasticam potestatem primario, proprie et essentialiter Ecclesiæ convenire; Romano autem Pontifici atque Episcopis instrumentaliter, ministerialiter, et quoad executionem tantum; unde et Romanum Pontificem vocant *caput ministeriale* Ecclesiæ. Errores suos Richerius retractavit; sed multos habuit doctrinæ sectatores, inter quos numerandus videtur Quesnellus, cujus propositio 90ª inter damnatas a Clemente XI per Bullam Unigenitus

hæc est : *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores, de consensu saltem præsumpto totius corporis.*

Similem errorem docuerunt Pistorienses, ut constat ex propositionibus 2ª et 3ª a Pio VI per Bullam Auctorem fidei notatis. Sufficiat hic priorem cum propria censura referre : « Propositio, *quæ statuit potestatem a* » *Deo datam Ecclesiæ, ut communicaretur pastoribus, qui* » *sunt ejus ministri pro salute animarum;* sic intellecta » ut a communitate fidelium in pastores derivetur eccle- » siastici ministerii ac regiminis potestas, *Hæretica.* »

Proba Ordinem Hierarchicum ministrorum Ecclesiæ jure divino a laicorum statu esse distinctum.

Veritas catholica prob. I, ex Scriptura; R. Probatur I. *Ex Scriptura sacra;* tum *ex facto institutionis Christi,* tum *ex factis Apostolorum,* tum *ex doctrina Apostolorum.*

1°. ex facto institutionis Christi, 1°. *Ex facto institutionis Christi.* Scripturæ N. T. nos edocent Christum Ecclesiæ fundatorem, Hierarchiæ quoque auctorem fuisse ; quod sequenti conficitur ratiocinio. Christus est auctor Hierarchiæ, si ipse *determinatos viros elegit*, quibus *solis*, *immediate* sacram potestatem, successoribus *in perpetuum* transmittendam, contulit. Atqui ita est. Ergo.

Prob. min. Christus, Luc. VI, 13, legitur Apostolos elegisse : *Cum dies factus esset, vocavit discipulos suos: et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit ;* et Joan. XV, 16, ad eos ait : *Non vos me elegistis: sed ego elegi vos.* — Dein *solis* Apostolis potestatem contulit ; sic legimus eum solis Apostolis claves regni cœlorum tradidisse, Matth. XVIII, 18 : *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo;* contulit *solis* Apostolis potestatem Eucharistiam conficiendi, ut constat ex Matth. XXVI, 26 et seqq. coll. cum I Cor. XI, 23 et seqq.; *solis* Apostolis, Matth. XXVIII, 19 et seq., et Marc. XVI, 15, dedit potestatem docendi, ministrandi et regendi. — Insuper sacram potestatem Christus *immediate* contulit Apostolis suis eadem ratione, qua ipse eam consecutus erat a Patre suo. Etenim, Matth. XXVIII, 18 et seq., præmiserat Christus : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in*

terra. Euntes ergo docete, etc.; ac Joan. XX, 21 et seq., cum Apostolis concessurus esset potestatem dimittendi peccata, ita loquitur : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit : et dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum*, etc. — Tandem hæc potestas Apostolis concessa erat perpetua, adeoque eorum successoribus *in perpetuum* transmittenda, ut constat ex Matth. XXVIII, 20, ubi promisit Christus se cum ipsis futurum usque ad consummationem sæculi ; necnon ex XVI, 18, aliisque textibus, quibus Ecclesiæ perpetuitas probatur.

Ex his omnibus concludimus Christum omnem sacram potestatem in Ecclesia sua, non populo aut principibus, qui eam dein Evangelii ministris communicarent, sed unice suis Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus immediate contulisse, adeoque ab ipso Christo distinctionem inter clerum et populum, inter clericos et laicos inductam fuisse.

2°. *Ex factis Apostolorum.* Scriptura testatur quod Apostoli a primordiis Ecclesiæ non tantum exercuerint potestatem a Christo ipsis traditam, sed insuper pro adjunctis illam communicaverint aliis. Quod Apostoli ipsi sacram potestatem exercuerint ex libro Actuum et ex Epistolis Apostolorum abunde constat, signanter ex gestis in Concilio Hierosolymitano, Act. XV. Aperte se dicunt *ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*, I Cor. IV, 1, et *ministros Novi Testamenti*, II Cor. III, 6. Incestuosum Corinthium Paulus, I Cor. V, tradit satanæ, illumque, II Cor. II, in gratiam recipit, ac deinde, X, potestatem suam apostolicam egregie vindicat. — Quod autem Apostoli sacram potestatem delectis a se viris communicaverint, ex iisdem Scripturis clare evincitur. Ita, Act. VI, Apostoli septem diaconos ritu sacro initiant ; Act. XIV, 22, Paulus et Barnabas constituunt presbyteros per plures ecclesias ; Apostolus præficit Timotheum ecclesiæ Ephesinæ, I Tim. I, 3, atque ecclesiæ Cretensi Titum, cui mandat, Tit. I, 5, ut *constituat per civitates presbyteros*. Dein speciali ritu impositionis manuum ministri consecrabantur, ut patet ex I Tim. IV, 14 : *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii*. Item, ex II Tim. I, 6 : *Admoneo te, ut resus-*

2°. ex factis Apostolorum,

cites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.

Ex his omnibus evidens est, Apostolos vi potestatis a Christo acceptæ per seipsos elegisse ministros Ecclesiæ; quæ conclusio eo firmior est, quod adversarii nullum locum allegare valeant, ubi mentio fiat alicujus delegationis potestatis a parte populi.

3°. ex doctrina Apostolorum.

3°. *Ex doctrina Apostolorum.* Non tantum Apostoli sacram potestatem a Christo acceptam exercuerunt, aliisque communicarunt, quos a laicorum cœtu segregabant, sed distinctionem inter clerum et plebem esse institutionis divinæ disertis verbis docuerunt. Ita Paulus non solum pluribus in locis sese vocat Apostolum *per voluntatem Dei*, sed, Gal. I, 1, se etiam dicit Apostolum *non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem;* et Act. XX, 28, alloquens majores natu ecclesiæ Ephesinæ, ait: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei;* idemque Apostolus, Eph. IV, 11 et seq., distinctionem inter ministros sacros ac plebem aperte a Deo repetit, dicens: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Similiter, I Cor. XII, 28 et seq., legitur: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores...;* dein enumeratis donis gratis datis, subditur: *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores?*

Unde liquet Apostolorum et Doctorum officia non esse omnibus aut singulis communia, sed tantum quibusdam a Deo, non autem a plebe commissa. Quare Concilium Tridentinum, Sess. XXIII, cap. IV, merito dicit: *Si quis omnes christianos promiscue Novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet; nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam Hierarchiam, quæ est ut castrorum acies ordinata, confundere; perinde ac si contra beati Pauli doctrinam omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Evangelistæ, omnes Pastores, omnes sint Doctores.*

Probatur II. *Ex Traditione.* Prob. II, ex Traditione.

Antiquissimi Patres et scriptores testantur Ordinem hierarchicum ministrorum Ecclesiæ a laicis distinctum, ab apostolicis temporibus extitisse et a Christo institutum fuisse. Ita S. Clemens Romanus, qui sæculo I Ecclesiæ præfuit, in *Epist. I ad Corinthios*, cap. 40, ait : *Summo Sacerdoti sua munia tributa sunt; et Sacerdotibus locus proprius assignatus est; et Levitis sua ministeria incumbunt; homo laicus præceptis laicis constringitur;* quibus verbis ostendit se admittere distinctionem inter clericos et laicos. Ordinem vero hierarchicum a Christi institutione repetendum esse, docet idem S. Pater in eadem Epistola, cap. 42, his verbis : *Apostoli nobis evangelizaverunt a Domino Jesu Christo; Jesus Christus a Deo. Missus est igitur Christus a Deo, et Apostoli a Christo; et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis...., in Episcopos et Diaconos eorum, qui crediturі erant, constituerunt. Neque hoc nove; a multis enim temporibus de Episcopis et Diaconis scriptum fuerat; sic enim alicubi dicit Scriptura: constituam Episcopos eorum in justitia, et Diaconos in fide.*

Similia SS. Patrum testimonia pro sequentibus sæculis afferri possent, ut S. Ignatii Martyris, Origenis, Tertulliani et aliorum, quæ occurrunt apud Tournely, *De Sacram. Ordinis*, quæst. 1 ; Wirceburgen., loc. cit. cap. 1, art. 2, aliosque.

Tandem *confirmatur* proposita thesis probabili argumento, desumpto ex Veteri Lege. Cum enim Deus tribum Levi a reliquo populo segregaverit, ut sacris inserviret, et in ea Ordinem hierarchicum constituerit ; Nova vero Lex contineat mysteria multo perfectiora, quorum figuræ erant Veteris Legis cæremoniæ; multo magis conveniens fuit, et, attenta Ecclesiæ Christi universali diffusione, quodammodo necessarium, ut ministri Ecclesiæ a reliquis fidelibus divina ordinatione distinguerentur. Confirmatur ex V.T.

Objicitur 1°. contra argumenta ex Scriptura. Ecclesia est societas æqualium, in qua nulla personarum distinctio, in qua nemo divinitus accepit potestatem ; imo omnem dominationem excludunt verba Christi, Matth. Objectiones. 1°. ex Scriptura,

XX, 25 et seqq. : *Principes gentium dominantur eorum : et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos : sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister : et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* Simili modo Petrus Seniores alloquitur, I Epist. V, 2 et seq. : *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum : neque turpis lucri gratia, sed voluntarie : neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo ;* ubi tota Ecclesia *clerus* vocatur. Demum perfectam æqualitatem inter Ecclesiæ membra requirit Paulus, Gal. III, 28, scribens : *Non est Judæus, neque Græcus : non est servus, neque liber : non est masculus, neque fœmina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* Ergo, juxta doctrinam Christi et Apostolorum, omnia Ecclesiæ membra sunt inter se æqualia, nec ulli competit vera auctoritas in alios fideles, et consequenter nulla jure divino existere potest Hierarchia.

R. dist. antec. Per citata verba Christus et Apostoli commendant Ecclesiæ superioribus humilitatem et suavitatem in regimine exercendo, ac omnibus Ecclesiæ membris mutuam charitatem inculcant, concedo ; per illa verba docent nullam esse divinitus institutam distinctionem inter clerum et fideles, nego. Et quoad Matth. XX, Christus illis verbis sacram potestatem minime excludit ; sed modum præscribit, quo hæc exerceri debet, quod evidenter patet tum ex collatione hujus loci cum Luc. XXII, 25 et seqq., ubi dicit Christus : *Qui major est in vobis, fiat sicut minor ;* tum ex allatis in probatione locis, ubi Christus veram potestatem Apostolis concedit. — Idem humilitatis et mansuetudinis exemplum Ecclesiæ pastoribus commendat Petrus loco ab adversariis citato ; et profecto Apostolorum Princeps veram potestatem admittit, cum eodem loco ait : *Pascite gregem Dei* ; quod vocabulum *pascere* verum imperium significat, ut passim observant auctores (Cfr. Perrone, *De locis theologicis*, part. 1, n. 449, et not. ibid.); et *clerum* in illo textu Ecclesiam significare, negat S. Hieronymus, *Epist. ad Nepotianum*, n. 7 ; atque etiamsi ita intelligeretur, nihil inde juvarentur adversarii. — Tandem Paulus in textu allegato

docet populum fidelem unum esse debere unitate fidei et consensione animorum, absque distinctione originis, conditionis, sexus, etc.

Obj. 2°. contra facta Apostolorum. Act. I, 23, Barsabas et Matthias ad Apostolatum et, ibid. VI, 3 et seqq., septem discipuli ad Diaconatum a populo eliguntur. Ergo sacra potestas a populo delegatur ministris, et consequenter Hierarchia est institutionis humanæ. 2°. contra facta Apostolorum,

R. Neg. conseq. Etsi Apostoli, ex peculiari quadam et prudenti œconomia, in duplici hoc casu plebem rogarunt ut personas designaret, communicatio tamen sacræ potestatis facta est per Apostolos, et quidem ritu sacro, ut notatur in secundo casu, his verbis : *Et orantes imposuerunt eis manus.* Minime vero essentialis erat plebis electio, nec præter ista duo facta, ullum aliud occurrit in Scripturis hujusmodi electionis exemplum. Idem dicendum de electionibus, quarum aliquando meminerunt Concilia et Patres.

Obj. 3°. cum Boehmero aliisque protestantibus. Christi et Apostolorum tempore Ecclesia erat societas inæqualis, quoniam Apostoli a Christo potestatem sacram acceperant, et sic a reliquo populo distinguebantur ; at ille status Ecclesiæ erat *extraordinarius ;* post mortem autem Apostolorum incipit status *ordinarius*, et Ecclesia facta est collegium æqualium ; tunc enim ad communitatem transivit omnis potestas, ministris deinde deleganda ; atque ita ob communicatæ potestatis usum ministri a plebe distinguuntur, sed, ut patet, jure humano. 3°. ex doctrina protestantium.

R. 1°. Argumento ad hominem. Cum protestantes non aliam fidei regulam admittant quam Scripturam, ostendant ubinam hujusmodi regiminis mutatio, post mortem Apostolorum in Ecclesia introducenda, in sacris Litteris indicetur : cum autem Scriptura sileat, ipsorum systema nullo fundamento innixum recte dicitur.

2°. Neg. assertum. Non tantum Scriptura silet, sed docet distinctionem inter clerum et populum divina ordinatione introductam fuisse, eamque in perpetuum perseveraturam esse in Ecclesia, uti ex supra probatis constat.

Tandem protestantes objiciunt quædam SS. Patrum

loca, sed ea ad alienum sensum detorquent; ut videri potest apud auctores citatos.

Quotuplex distinguitur Hierarchia ecclesiastica?

Hierarchia duplex; alia Ordinis, alia jurisdictionis.

R. Cum omnis potestas in Ecclesia acquiratur vel per sacram ordinationem, vel per canonicam institutionem, eadem potestas ecclesiastica a theologis et canonistis duplex distingui solet, *Ordinis* scilicet et *Jurisdictionis*. Inde quoque duplex statuitur ecclesiastica Hierarchia; *Hierarchia* nempe *Ordinis* et *Hierarchia Jurisdictionis*. Ad priorem pertinent clerici, quibus per sacram ordinationem potestas Ordinis fuit collata; ad posteriorem autem illi, quibus per institutionem canonicam potestas jurisdictionis competit; per collationem enim spiritualis potestatis clerici Hierarchiæ incorporantur, ita ut duplex potestas sit duplicis Hierarchiæ fundamentum. Potestas Ordinis versatur circa Sacramenta conficienda vel ministranda, maxime circa Eucharistiam seu Corpus Christi *reale;* potestas jurisdictionis ad fideles seu Corpus Christi *mysticum* regendum ordinatur.

Inter ipsos, qui in utralibet Hierarchia potestatem spiritualem acceperunt, alii sunt aliis superiores. Sic in Hierarchia Ordinis, aliis superiores sunt illi, qui magis proxime ad Eucharistiam conficiendam et ministrandam deputantur.

Varii gradus in Hierarchia jurisdictionis.

Hujus Hierarchiæ gradus N°. 3 enumerabimus; Hierarchiæ autem jurisdictionis, de qua postea non redibit sermo, præcipuos gradus hic referemus.

In ea primo loco est *Romanus Pontifex*, cui tanquam Christi Vicario et Ecclesiæ Capiti visibili competit plenitudo jurisdictionis. Secundo loco veniunt *S. R. E. Cardinales*, qui constituunt senatum Romani Pontificis et in regenda universali Ecclesia ipsius consiliarii et adjutores existunt. Sequuntur Episcopi, qui sub Romano Pontifice partem gregis Christi sibi concreditam pascunt; et inter eos servatur hic ordo: *Patriarchæ*, *Primates*, *Archiepiscopi*, *Episcopi*. Tandem accedunt *Presbyteri* cæterique clerici, qui sub Romano Pontifice et Episcopis Christi fideles regunt, ac inter illos etiam varii sunt gradus. Vide Bouvier, tract. *De Ordine*, cap. 7, art. 2, sect. 4, edit. 1859.

Omnes autem hierarchici gradus originem habent

vel ex ordinatione divina, vel ex institutione Ecclesiæ.

De Hierarchia jurisdictionis potissimum agunt canonistæ, necnon theologi in tractatu *De Ecclesia* et alibi; ad præsens institutum pertinet tractare de Hierarchia Ordinis.

N. 3. De Hierarchia Ordinis.

S. Thom., Supplem. quæst. 34, art. 1, et quæst. 40, art. 4.

Quid intelligitur per Hierarchiam Ordinis?

R. Hierarchia Ordinis definiri potest : *status clericorum, qui, potestate sibi per sacram ordinationem collata, in gradibus sibi propriis dispensant Sacramenta aut alia munia spiritualia exercent.* Hierarchia Ordinis definitur :

Dicitur, *status clericorum; status,* id est stabilis vitæ conditio; nam qui sacram ordinationem susceperunt, Dei et Ecclesiæ servitio dicantur, adeoque a reliquis fidelibus segregantur; *clericorum,* quia Ecclesia nemini Ordines, nequidem minores, conferri vult, nisi prius per Tonsuram a laicis segregatus et clero adscriptus fuerit. status clerico-rum,

Additur, *qui potestate sibi collata* etc., quia per collationem sacræ potestatis, quilibet minister Ecclesiæ in suo gradu constituitur, adeoque ipsa sacra potestas est fundamentum Hierarchiæ. qui, potestate sibi

Dicitur, *per sacram ordinationem collata,* quibus verbis indicatur modus, quo spiritualis potestas Ordinis acquiritur, nimirum per ordinationem sacram, in quo differt a potestate jurisdictionis, quæ ex missione procedit. per sacram ordinationem collata,

Subjungitur, *dispensant Sacramenta,* quia sacra Ordinis potestas circa Sacramenta, maxime Eucharistiam versatur, et additur, *aut alia munia spiritualia exercent,* ne excludantur ab Hierarchia Ordinis illi gradus hierarchici, quibus tantum competit ministrare illis qui Sacramenta conficiunt. dispensant Sacramenta aut alia munia spiritualia exercent

Tandem dicitur, *in gradibus sibi propriis,* quia inter eos, qui potestatem spiritualem acceperunt, alii sunt aliis superiores, uti supra observatum fuit. in gradibus sibi propriis.

Quibus gradibus constat Hierarchia Ordinis ?

Hierarchiæ Ordinis gradus enumerantur.

R. Cum in Hierarchia Ordinis aliis superiores sint qui præcipue et propius ad Eucharistiam conficiendam et ministrandam deputantur, profecto in ea primum locum occupant *Sacerdotes*, quibus per sacram ordinationem præ aliis collata fuit potestas Eucharistiam consecrandi. Sed in ipso Sacerdotio duplex gradus distinguitur : nam inter Sacerdotes reliquis superiores sunt *Episcopi*, qui potestatem acceperunt Eucharistiam conficiendi et administrandi, hancque potestatem aliis communicandi; unde summi Sacerdotes et Pontifices vocantur : cæteri vero Sacerdotes, qui *Presbyteri* seu simplices Sacerdotes dicuntur, Eucharistiam conficiunt et administrant, sed potestatem qua gaudent, aliis transmittere non valent. Post Sacerdotes sequuntur *Diaconi* et *Subdiaconi*, qui Sacerdotibus Eucharistiam conficientibus proxime ministrant. Tandem veniunt *Acolythi*, *Exorcistæ*, *Lectores et Ostiarii*, qui remotius ministrant.

Ministrorum gradus ad Sacerdotium referuntur.

Ex dictis patet, quod, sicut sacra Ordinis potestas præcipue versatur circa Corpus Christi reale seu sacram Eucharistiam, ita quoque Hierarchia Ordinis illos complectitur hierarchicos gradus, quibus annexa est potestas offerendi Sacrificium Eucharisticum aut in ejus oblatione proxime vel remote ministrandi. Tota igitur Hierarchia Ordinis præcipue ad Sacrificium refertur, et varii ministrorum gradus omnes ad *Sacerdotium*, utpote sublimiorem, ordinantur. Ea de causa hoc loco quædam de Sacerdotio dicenda sunt.

Quid de Sacerdotio Novæ Legis hic asserendum est ?

Christus instituit verum Sacerdotium visibile et externum, quod solis Apostolis eorumque successoribus in perpetuum commisit.

R. De fide est existere in Novo Testamento visibile et externum Sacerdotium. Ita enim definivit Concilium Tridentinum, Sess. XXIII, can. I : *Si quis dixerit, non esse in Novo Testamento Sacerdotium visibile et externum ; vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum Corpus et Sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi : sed officium tantum, et nudum ministerium prædicandi Evangelium ; vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse Sacerdotes ; anathema sit.*

Pariter fide tenendum est Christum contulisse Apostolis Sacerdotium, nam idem Concilium, Sess. XXII, can. II, definivit : *Si quis dixerit, illis verbis : Hoc facite*

in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus et Sanguinem suum; anathema sit.

Similiter, Sess. XXIII, cap. I, docet Synodus Tridentina, Sacerdotium Novæ Legis a Christo Domino institutum, et Apostolis eorumque successoribus commissum fuisse.

Ex his liquet Christum in Ecclesia instituisse Sacerdotium Novæ Legis visibile et externum, proprium scilicet Apostolorum eorumque successorum in perpetuum; quod hoc loco probandum est.

Quinam sunt præcipui oppugnatores doctrinæ catholicæ de Sacerdotio Novæ Legis?

R. Sacerdotium proprie dictum negarunt Lutherus aliique reformatores, qui cum ipso asserunt omnes christianos esse Sacerdotes; item omnes illi hæretici, qui, ut Calvinistæ, Zwingliani, Sociniani, Methodistæ et Rationalistæ, realem Christi præsentiam in Eucharistia rejiciunt, adeoque Sacrificii Eucharistici veritatem de medio tollunt; vide tractatum *De Sacrificio Missæ*, N°. 3. Neque recte de Sacerdotio perpetuo a Christo in Ecclesia instituto sentiunt, qui populi delegationem vel consensum requirunt, ut quis Hierarchiæ ecclesiasticæ incorporetur. Cfr. N. præc. Adversarii indicantur.

Proba Christum instituisse in Nova Lege Sacerdotium proprie dictum, visibile nempe et externum, quod commisit solis Apostolis eorumque successoribus in perpetuum.

R. Probatur I. *Ex Scriptura sacra,* duplici præsertim argumento. Probatur dogma catholicum: I, ex Scriptura;

Arg. prius. *Ex ipsa Christi voluntate.* 1°. ex voluntate Christi,

1°. *Christus instituit verum et proprie dictum Sacerdotium,* si verum et proprie dictum instituit Novæ Legis Sacrificium. Atqui ex Scriptura constat Christum instituisse verum et proprie dictum Sacrificium. Ergo.

Prob. maj. Necessaria et intima connexio est inter Sacrificium et Sacerdotium; talis enim habetur inter utrumque relatio, ut nunquam unum sine altero extiterit. Ita tempore Legis naturæ principes familiarum simul erant sacerdotes; et in Lege Mosaica, ipse Deus

elegit familiam Aaron ad offerenda Sacrificia. Relationem istam inter Sacrificium et Sacerdotium exprimit Apostolus his verbis, Heb. V, 1: *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis.*

Minor constat ex eo, quod Christus instituerit Eucharistiam ut verum et proprie dictum Sacrificium Novæ Legis; quod probatur ex Scriptura, præsertim ex verbis institutionis, relatis Matth. XXVI, Marc. XIV, Luc. XXII et I Cor. XI, ut ex professo traditur cit. N°. 3 tractatus *De Sacrificio Missæ.*

2°. *Christus constituit Sacerdotes non omnes christianos, sed solos Apostolos et successores eorum in perpetuum.* Ex Scriptura liquet omnia Sacerdotis officia a Christo solis Apostolis fuisse commissa. Sufficiat hic duo commemorasse; scilicet, inter alia Sacerdotibus propria sunt Sacrificium offerre, et peccata remittere. At hæc duo solis Apostolis commisit Christus. Ergo ipsi soli a Christo instituti sunt Sacerdotes.

Quoad primum, potestatem Eucharistiam conficiendi et Sacrificium offerendi Apostoli acceperunt per verba: *Hoc facite in meam commemorationem,* de quo vide tract. *De Sacramento Eucharistiæ,* N°. 29, et *De Sacrificio Missæ,* N°. 5. Sed solis Apostolis hoc dictum est, cum ipsi soli mensæ Eucharisticæ participes fuerint, ut constat ex Matth. XXVI, Marc. XIV et Luc. XXII. Idem ex Scriptura conficitur quoad potestatem Sacerdotibus propriam dimittendi et retinendi peccata; nam verba Christi, Joan. XX, 22 et seq.: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt,* ad solos Apostolos diriguntur. Cfr. tract. *De Sacramento Pœnitentiæ,* N°. 65.

Tandem Sacerdotium in Ecclesia esse perpetuum, adeoque fore ut tum in Apostolis tum in eorum successoribus perpetuo vigeat, patet 1°. ex perpetuitate Sacrificii, 2°. ex perpetua necessitate peccata remittendi, 3°. ex ipsa Ecclesiæ perpetuitate.

2°. ex factis Apostolorum.

Arg. posterius. *Ex factis Apostolorum.*

Apostoli constituerunt Sacerdotes per manuum impositionem; sic Act. XIV, 22, Paulus et Barnabas con-

stituebant per varias ecclesias presbyteros; Paulus constituit Timotheum Episcopum ecclesiæ Ephesinæ, Titum Cretensium Episcopum creavit, atque huic, Tit. I, 5, mandavit, ut constitueret *per civitates presbyteros;* Timotheo vero, I Tim. V, 22, scribit : *Manus cito nemini imposueris;* ex quibus elucet, Apostolos, a Magistro suo Sacerdotes constitutos, discipulis suis idem Sacerdotium transmisisse. Atqui hoc ipsorum factum probat Christum instituisse Sacerdotium successoribus Apostolorum transmittendum. Ergo, etc.

Idem probatur II. *Ex Traditione.*

Prob. II, ex Traditione ;

1°. *Ex constanti et publico usu Ecclesiæ*, quæ nunquam admisit ad functiones sacerdotales, nisi illos qui certo ordine et ritu, ex traditione apostolica acceptis, Sacerdotio initiati essent, ut constat ex libris liturgicis Ecclesiæ tum Orientalis, tum Occidentalis.

1°. ex constanti et publico usu Ecclesiæ,

2°. *Ex doctrina SS. Patrum,* quæ adeo constans est, ut nullum dubium ea de re extare possit; et integri, ut ait Perrone, exscribendi essent tractatus, qui hanc veritatem confirmant. Sufficiant hic duo testimonia. S. Joannes Chrysostomus conscripsit opus *De Sacerdotio*, in quo lib. 3, cap. 4, hæc habet : *Sacerdotium in terra peragitur, sed cœlestium ordinum classem obtinet; et jure quidem merito. Non enim homo, non Angelus, non Archangelus, non alia quæpiam creata potestas; sed ipse Paracletus hoc officium ordinavit, qui manentibus in carne auctor fuit ut Angelorum ministerium animo conciperent.* S. Ephrem, serm. *De Sacerdotio*, sic ait : *O tremendum Sacerdotii mysterium spiritale ac sanctum, venerandum et irreprehensibile, quod Christus in hunc mundum veniens, etiam indignis impertitus est... Non desisto, fratres, laudare et glorificare illius dignitatis profunditatem, quam Adæ filiis Sancta elargita est Trinitas.*

2°. ex SS. Patribus.

Cum igitur Sacerdotii origo divina tum ex Scriptura, tum ex Traditione luculentissime probetur, jure merito docet Concilium Tridentinum, Sess. XXIII, cap. I : *Sacrificium et Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit. Cum igitur in Novo Testamento sanctum Eucharistiæ Sacrificium visibile ex Domini institutione Catholica Ecclesia acceperit ; fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile et externum Sa-*

Confirmatur ex doctrina Concilii Tridentini.

cerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis, eorumque successoribus in Sacerdotio, potestatem traditam consecrandi, offerendi, et ministrandi Corpus et Sanguinem ejus, nec non et peccata dimittendi et retinendi, sacræ Litteræ ostendunt, et Catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit.

Objectiones. 1°. ex Scriptura. Solus Christus est Sacerdos in N. L.

Objicitur 1°. Christus, juxta Apostolum, Hebr. VII, 24, *eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium;* et in seqq. a S. Paulo excluditur quodcumque sacerdotium, præter illud Christi Domini; porro ibid., 28, discrimen inter Sacerdotium Veteris Legis et Sacerdotium Novæ Legis indicatur his verbis: *Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.* Ergo præter Christum non sunt in Nova Lege Sacerdotes.

R. Neg. conseq. Apostolus citato illo capite totus in eo est, ut ostendat quantum præstet Sacerdotium sempiternum Christi Sacerdotio Aaronico Veteris Legis, et rationem inter alias hanc adducit, quod sub Lege Mosaica *plures facti sint sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere,* Christus autem *eo quod maneat in æternum, sempiternum habeat sacerdotium.* Unde excludit Apostolus Sacerdotes, qui Christo in Sacerdotio succederent, uti Sacerdotes sub Lege Mosaica sibi invicem successerant; etenim in Nova Lege Christus ipse est minister principalis Sacrificii Eucharistici. Sed Apostolus non excludit Sacerdotes, qui Christi vices gerunt, et post ipsum sunt veri et proprii ministri Sacrificii Novæ Legis. Cfr. tractatus *De Sacrificio Missæ*, N°. 5.

Obj. 2°. ex Scriptura. Omnes christiani sunt sacerdotes.

Obj. 2°. In variis Scripturæ locis omnes christiani dicuntur esse Sacerdotes; inter alia, I Pet. II, 9: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium,* et Apoc. V, 10: *Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes.* Ergo non solis Apostolis Christus contulit Sacerdotium.

R. Dist. antec. Scriptura his in locis loquitur de Sacerdotio proprie dicto, nego; loquitur de Sacerdotio improprie dicto, concedo. Prædicta enim et alia similia Scripturæ loca intelligenda sunt de Sacerdotio sumpto

in sensu latiori; omnes nempe fideles dici possunt Sacerdotes, quatenus offerre tenentur Deo *spirituales hostias*, ut monet S. Petrus, ibid., 5; id est, bona opera, præcipue vero laudes et preces. Sacerdotium autem in sensu strictiori Scriptura nullibi laicis attribuit. Sub quo respectu omnes fideles insuper dici possint Sacerdotes, vide tract. *De Sacrificio Missæ*, N°. 5.

Plurimas alias objectiones, præsertim contra doctrinam SS. Patrum, solvit Perrone, *De Ordine*, cap. 2.

An in Hierarchia Ordinis præter Sacerdotium alii gradus sunt institutionis divinæ?

Jure divino Hierarchia Ordinis constat Episcopis, Presbyteris et saltem Diaconis.

R. Certum est quod Hierarchia Ordinis ex jure divino constet *Episcopis*, *Presbyteris* et *Diaconis*. Utrum vero Subdiaconatus et reliqui inferiores gradus sint institutionis divinæ, inter theologos controvertitur. Hoc loco de illis tantum Hierarchiæ Ordinis gradibus agendum est, qui, consentientibus omnibus Catholicis, sunt institutionis divinæ. Quo circa notandum:

1°. Concilium Tridentinum, Sess. XXIII, can. VI, definivit: *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, et ministris; anathema sit.* Proin de fide est distinctionem inter gradus Episcopatus, Presbyteratus et saltem Diaconatus existere in Ecclesia ex jure divino. Dicitur *saltem Diaconatus*, quia Concilium utens vocabulo *ministris*, non quidem determinavit quinam hac generali denominatione veniant; sed voce *ministris* saltem intelligendos esse Diaconos, liquet ex eo quod Diaconi inter ministros Presbyteris inferiores primum locum obtineant.

Episcopi sunt superiores Presbyteris,

2°. Pariter fide certum est, Episcopos esse Presbyteris superiores, cum Concilium Tridentinum, eadem Sess., can. VII, statuerit: *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem;... anathema sit.*

idque jure divino.

3°. De fide non est, stricte loquendo, Episcoporum super Presbyteros superioritatem esse ex jure divino, cum Tridentinum noluerit illud expresse definire. Vid. Pallavicini, *Historia Concilii Tridentini*, lib. 18, cap. 14. Attamen est sententia certa ab omnibus Catholicis ad-

missa; et argumenta, quibus Episcoporum supra Presbyteros superioritas ostenditur, superioritatem istam ex ordinatione divina ortum habere simul demonstrant, ut ex probatione patebit.

Recense præcipuos adversarios, qui ortam ex jure divino distinctionem inter gradus hierarchicos impugnarunt.

Doctrinæ catholicæ impugnatores recensentur.

R. Jam sæculo IV, Aerius presbyter, prout testantur S. Augustinus, *De Hæresibus*, n. 53, et S. Epiphanius, *Hæres.* 75, n. 3, docuit nullum esse discrimen inter Episcopum et Presbyterum.

Sæculo XIV, Wiclef asseruit, ut refert Thomas Waldensis, Apostolorum tempore duos tantummodo Ordines clericorum extitisse, nimirum Sacerdotum et Diaconorum, quum illo tempore, ut dicebat, Presbyter idem fuerit ac Episcopus. Similis error Waldensibus quoque adscribitur.

Quod spectat ad Novatores sæculi XVI, omnes, si Anglicani excipiantur, institutionem divinam Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum impugnant. Cum enim, ut N°. præc. dictum est, nullum ex institutione divina discrimen inter clerum et populum admittant, consequens est, ipsos omnem Hierarchiam a Christo institutam rejicere; præsertim vero Episcopos Presbyteris jure divino superiores esse negant, et omnes, qui officio docendi et ministrandi, a communitate accepto, funguntur, ad eumdem ordinem *seniorum*, variis licet nominibus designatorum, pertinere affirmant. Ita Lutherani, etsi apud ipsos inveniantur qui Episcopi dicuntur, eos tantum ex institutione humana, non autem jure divino cæteris clericis superiores esse contendunt. Calvinus vero, lib. 4, Instit., Episcopis et Presbyteris eamdem potestatem adscribit; et inter ipsius sectatores eumdem errorem obstinate retinuerunt, qui Presbyteriani vel Puritani vocantur. Cum autem negari nequeat, ab antiquissimis temporibus in Ecclesia majorem Episcopis tributam fuisse potestatem quam Presbyteris, plures, ut Blondellus, Salmasius aliique affirmant, Apostolorum tempore omnes Sacerdotes fuisse æquales, et postea tantum, scilicet versus medium sæculi II, mutationem in forma regiminis Ecclesiæ introductam fuisse, quo factum est ut in qualibet ecclesia inter Sacerdotes unus

præesset summus Sacerdos, qui solus nomen Episcopi retinuit, cum antea vocabula *Episcopus* et *Presbyter* promiscue usurparentur, ad designandos quotquot pertinebant ad ordinem Sacerdotum, inter quos tunc nulla erat distinctio.

E contra Anglicani, qui episcopales vocantur, Hierarchiam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et Diaconis, admittunt eamque strenue defendunt. At, uti observat Liebermann, *De vera Christi Ecclesia*, cap. 2, art. 4, §. 1, « Ex ipsa sua Hierarchia nihil aliud » retinuerunt, quam quod necessarium erat, ut pin- » guiores reditus et bonorum ac dignitatum gradus in » tuto collocarentur... cum... missionem suam, et sta- » tuta, et fidei articulos a Rege accipiant, cui tanquam » supremo capiti subjecti sunt, a quo solo habere se » profitentur omnem, quam exercent, spiritualem po- » testatem. »

Tandem Presbyterorum jura, in Episcoporum jurium detrimentum, nimium exaggerarunt Pistorienses, ut constat ex Bulla Pii VI Auctorem fidei, per quam propositione 9ª, *Doctrina, quæ statuit, reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in synodis diœcesanis ab Episcopo, et Parochis æqualiter pendere, ac stabiliri debere: ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus, et jussionibus Episcoporum,* damnata fuit, ut *falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis læsiva, regiminis hierarchici subversiva, favens hæresi Arianæ a Calvino innovatæ;* et propositione 10ª, *Doctrina, qua Parochi aliive Sacerdotes in synodo congregati pronuntiantur una cum Episcopo judices fidei, et simul innuitur judicium in causis fidei ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto,* item fuit damnata, ut *falsa, temeraria, Ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum judiciorumve dogmaticorum Ecclesiæ, ad minus erronea.*

Contra hos omnes probandum est distinctionem inter Episcopos, Presbyteros et Diaconos in Ecclesia existere ex ordinatione divina, speciatim vero Presbyteris superiores esse Episcopos pariter ex jure divino. Cum autem supra jam probatum fuerit, Christum Dominum in Ecclesia sua instituisse verum et proprie dictum Sacerdo-

tium, tota res hoc loco absolvi potest duabus propositionibus stabiliendis :

1ª. Jure divino in Ecclesia duplex distinguitur gradus in Sacerdotio, Episcoporum nempe et Presbyterorum, et Presbyteris superiores sunt Episcopi.

2ª. Jure divino in Ecclesia Diaconi gradum sacrum habent distinctum a Presbyteratu.

Proba Episcopos in Ecclesia ex institutione divina habere gradum distinctum a Presbyterorum gradu, illumque hoc superiorem.

Episcopos jure divino distingui a Presbyteris, hisque superiores esse probatur

R. Prænotandum. 1°. Episcopi dicuntur superiores Presbyteris, tum quoad potestatem Ordinis, tum quoad potestatem jurisdictionis. 2°. Episcopos esse superiores Presbyteris jure divino, adeoque distinctum ab his gradum obtinere sequitur ex eo, quod ab Apostolis introducta fuerit ipsorum super Presbyteros superioritas ; hæc enim Apostolorum agendi ratio in re tanti momenti certissimum est voluntatis divinæ argumentum, ut merito docent theologi. Sufficit igitur ostendere, hanc distinctionem omni ætate, inde a temporibus apostolicis, in Ecclesia extitisse, quod

f, ex Scriptura.

Probatur I. *Ex Scriptura sacra.*

Ipsi Apostoli majorem tribuerunt potestatem tum Ordinis, tum jurisdictionis, iis quos constituerunt in particularibus ecclesiis summos Sacerdotes. Ergo, etc.

Prob. antec. S. Paulus scribit ad discipulum suum Titum, quem ecclesiæ Cretensi præfecerat, Tit. I, 5 : *Reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Item ad Timotheum, quem Ephesinæ ecclesiæ Episcopum creaverat, I Tim. V, 22 : *Manus cito nemini imposueris.* Et ad eumdem, ibid., 19 : *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* In primo et secundo ex citatis locis, Apostolus discipulis suis, quos Episcopos fuisse nemo negat, potestatem agnoscit constituendi Presbyteros, et ex primo satis constat, ecclesias una cum Presbyteris sub Titi auctoritate fuisse, sicut ex tertio apparet, Timotheum Presbyteris fuisse superiorem. In hæc verba ita S. Epiphanius, *Hær.* 75, n. 6 : *Non alicui ex Presbyteris præcepit, ut accusationem contra Episcopum non admitteret*, etc.

Ergo quoad potestatem Ordinis et jurisdictionis Apostolus Timotheum et Titum tamquam Presbyteris superiores habet.

Probatur II. *Ex Traditione.* Prob. II, ex Traditione ; 1°. ex SS. Patribus,

1°. Validissima ad propositionem probandam in *SS. Patrum scriptis* inveniuntur argumenta, quæ omnia ad triplicem classem breviter reduci possunt.

Prima classis argumentorum complectitur illa SS. Patrum testimonia, ex quibus constat diversa ab initio Ecclesiæ fuisse Episcoporum et Presbyterorum officia. Ita ordinandi potestas semper in Ecclesia solis Episcopis propria fuit. Testes sunt inter alios S. Hieronymus, *Epist. ad Evangelum ;* S. Joannes Chrysostomus, *Comm. in Ep. ad Philipp.;* S. Epiphanius, qui loco supra citato, n. 4, contra Aerium disputans scribit : *Enimvero totum illud stoliditatis esse plenissimum prudens quisque facile perspicit, velut cum Episcopum ac Presbyterum adæquare conatur. Hoc enim constare qui potest? Siquidem Episcoporum ordo ad gignendos patres præcipue pertinet. Hujus enim est patrum in Ecclesia propagatio. Alter, cum patres non possit, filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit, non tamen patres aut magistros.* Similiter semper solis Episcopis proprium fuit officium conferendi Spiritum Sanctum per manuum impositionem, prout ostendit Hieronymus, in *Dialogo contra Luciferianos*, n. 9, additque : *Disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit;* ex quibus verbis patet Hieronymum istam Episcopi potestatem a jure divino repetere.

Secundam classem argumentorum ex Patribus, constituunt testimonia, quibus Patres affirmant officia illa, quæ et Episcopis et Presbyteris communia sunt, ab Episcopis exerceri potestate libera tamquam a summis Sacerdotibus, a Presbyteris vero nonnisi annuente aut jubente Episcopo. Inter alios sic testatur S. Ignatius Martyr, *Epist. ad Smyrnæos,* cap. 8 : *Separatim ab Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam spectant.... Non licet sine Episcopo neque baptizare, neque agapen celebrare.* Fere idem scribit Tertullianus, *De Baptismo*, cap. 17 : *Dandi quidem*

(Baptismi) *habet jus summus Sacerdos, qui est Episcopus : de hinc Presbyteri et Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate.* Inde illa encomia quibus SS. Patres passim dignitatem et excellentiam Episcoporum extollunt, sicut laudatus S. Ignatius, *Ad Trallianos*, cap. 2 : *Necessarium itaque est, quemadmodum facitis, ut sine Episcopo nihil agatis.* Et ibid., cap. 3 : *Cuncti similiter revereantur Diaconos ut mandatum Jesu Christi, et Episcopum ut Jesum Christum, Filium Patris, et Presbyteros ut Senatum Dei et Concilium Apostolorum.* Et *Epist. ad Smyrnæos,* loco supra citato : *Omnes Episcopo obtemperate, ut Jesus Christus Patri; et Presbyterio ut Apostolis ; Diaconos autem revereamini ut Dei mandatum.... Ubi comparuerit Episcopus, ibi et multitudo sit : quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi Catholica est Ecclesia.*

Ad tertiam denique classem argumentorum ex Patribus deductorum pertinent illa testimonia, ex quibus patet ab Apostolorum tempore singulis ecclesiis præfuisse unum summum Sacerdotem, quod probatur vel ex eo, quoniam series Episcoporum sibi invicem succedentium, in iisdem ecclesiis studiose conservabatur. Ista Episcoporum successio in unaquaque ecclesia deducebatur usque ad Apostolos, et sub eo respectu Episcopi speciali quodam modo vocabantur Apostolorum successores. Has Episcoporum successiones pro Ecclesiis Romana, Hierosolymitana et Corinthiaca confecit Hegesippus, apud Eusebium, *Histor. ecclesiast.*, lib. 4, cap. 22. Similes successiones commemorat S. Irenæus, *Contra hæreses,* lib. 3, cap. 3 : *Habemus,* inquit, *annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi, et successores eorum usque ad nos.* De successionibus Episcoporum etiam loquitur Tertullianus, *De Præscriptionibus*, cap. 32, hæreticos sui temporis his verbis redarguens : *Edant,* inquit, *origines ecclesiarum suarum ; evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem.*

Ex his omnibus clarissimis testimoniis apparet,

SS. Patres Episcoporum super Presbyteros excellentiam et dignitatem non aliunde quam ab Apostolorum institutione deducere; adeoque Episcopos ex voluntate Christi superiores esse Presbyteris, demonstratur.

Plura SS. Patrum testimonia, uti et Conciliorum, habet Vuitasse, *De Ordine*, part. 2, quæst. 1, art. 2, sect. 2.

2°. Alia quoque argumenta solida ad eamdem doctrinam stabiliendam Traditio subministrat. Nam *libri antiquissimi rituales* Ecclesiæ, tum Occidentalis, tum Orientalis, indubia hujus veritatis documenta exhibent; imo, in hac materia *consentientes cum Catholica Ecclesia sectæ hæreticæ Orientis*, etsi jam prioribus Ecclesiæ sæculis ab unitate Catholica avulsæ, eamdem doctrinam quam Catholici profitentur. De quo cfr. Martene, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, lib. 1, part. 2, cap. 8, art. 11; Goar, *Euchologion*, pag. 302 et seqq.; Renaudotius, *Perpétuité de la foi*, tom. 5, lib. 5, cap. 10; Morinus, *De sacris ordinationibus*, part. 2.

2°. ex libris liturgicis antiquissimis et ex consensu hæreticorum Orientis.

Probatur III. Argumento *præscriptionis*.

Etenim, cum impugnatores doctrinæ catholicæ contendant primis Ecclesiæ temporibus nullum extitisse discrimen inter Episcopos et Presbyteros, ipsorum est assignare tempus, quo introducta sit illa distinctio, quam hodiedum in universali Ecclesia inter hos duos hierarchicos gradus ab omnibus admissam conspicimus. Ast nulla epocha ab ipsis assignari potest; annales enim ecclesiastici nullum ipsis suppeditant monumentum factæ hujusmodi mutationis in Ecclesiæ regimine, quæ mutatio, si revera aliquando locum habuisset in re tanti momenti, certe non absque commotione aliqua inter illius temporis christianos introducta fuisset, et proinde aliquod sui vestigium in historia reliquisset. E contra omnia monumenta historica de existente jam distinctione inter duos istos gradus, et de Episcoporum super Presbyteros præstantia loquuntur, uti ex præcedentibus constat. Dein, qui aliquam epocham assignare tentant, qua introductam asserunt præfatam distinctionem, ut Salmasius, qui initium vel medium sæculi secundi statuit, et Blondellus, qui eam post annum 136um introductam dicit, statim falsitatis ar-

Prob. III, argumento præscriptionis.

guuntur, quoniam Patres antiquiores, ut Clemens Romanus et Hermas, qui primo sæculo, ac Ignatius Martyr et Polycarpus, qui initio secundi sæculi floruerunt, sæpe dictam distinctionem commemorant. Ergo, cum ab initio Ecclesiæ, monumenta ecclesiastica testentur jam tunc Episcopos Presbyteris superiores fuisse, nec tempus indicari possit quo hæc Episcoporum super Presbyteros præstantia fuisset introducta, merito concluditur eam ab ipsis Apostolis institutam, adeoque ex ipsa Christi voluntate originem duxisse.

Confirmatur ex doctrina Concilii Tridentini.

Sapientissime igitur Synodus Tridentina, Sess. XXIII, cap. IV, docet : *Sacrosancta Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum Ordinem præcipue pertinere; et positos, sicut idem Apostolus* (Paulus) *ait, a Spiritu Sancto, regere Ecclesiam Dei; eosque Presbyteris superiores esse : ac Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse : quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent.*

Objicitur 1°. ex Scriptura,

Objicitur 1°. Ex Scriptura. S. Paulus duos tantum hierarchicos gradus admittit, scilicet Episcopos, qui iidem sunt ac Presbyteri, et Diaconos. Ita, Philipp. I, 1, salutat *episcopos* et *diaconos;* I Tim. III, dotes in Episcopis et Diaconis requisitas enumerat, de Presbyteris vero silet. In illis autem locis, ubi Apostolus vocem *Presbyteri* adhibet, non Presbyteros, sed proprie dictos Episcopos intelligit. Ita cum, Act. XX, 17, *A Mileto.... mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ* (πρεσβυτέρους), vocati sunt Episcopi; nam, ibid., 28, ipsos alloquens, dicit : *Vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Similiter quando, Tit. I, 5, scribit : *Reliqui te Cretæ, ut.... constituas per civitates presbyteros,* hac voce designat Episcopos; nam, ibid., 7, exponens quales oporteat esse hos Presbyteros, ait : *Oportet enim episcopum sine crimine esse,* etc. Ergo secundum doctrinam S. Pauli iidem sunt Episcopi qui Presbyteri.

R. I. Neg. conseq. Omnia argumenta ab adver-

sariis proposita sunt mere negativa, nimirum ex eo deducta, quod S. Paulus juxta ipsos in citatis textibus non commemoret Presbyteros. Jam vero hæc argumenta negativa contra firma argumenta positiva, in probatione allata, nihil valent.

II. Ut difficultates ex objectis locis motas dilucident, SS. Patres et theologi in diversas abeunt sententias, quarum præcipuæ sunt sequentes :

1°. S. Joannes Chrysostomus, *Homilia I in Epist. ad Philipp.*, cum pluribus aliis docet, primis Ecclesiæ temporibus vocabula *Episcopus* et *Presbyter* promiscue usurpata fuisse ad designandos tum summos Sacerdotes seu Episcopos, tum simplices Sacerdotes seu Presbyteros.

2°. Theodoretus, *Comm. in cap. I Epist. ad Philipp.*, putat a Paulo per voces *Episcopus* et *Presbyter* indicari solos Presbyteros; summum autem Sacerdotem seu Episcopum ab ipso vocari *Apostolum*.

3°. S. Epiphanius, *Hær.* 75, n. 5, voce *Episcopus* nunquam nisi solos Episcopos designari contendit; at juxta ipsum in initio Ecclesiæ Apostoli non in omni loco constituebant simul Episcopum, Presbyteros et Diaconos; sed, prout circumstantiæ ferebant, modo constituebant in particulari quadam ecclesia Episcopum cum Diaconis, modo Presbyteros cum Diaconis, modo Episcopum, Presbyteros et Diaconos.

4°. Tandem aliam hæc Scripturæ loca exponendi viam init Petavius, qui *Dissertat. ecclesiast.*, lib. 1, cap. 2, et *De ecclesiastica Hierarchia*, lib. 1, cap. 4, sententiam suam aperit. Existimat ille, « Primis Ecclesiæ temporibus, quæ, quod ad formam et disciplinam attinet, quædam illius infantia dici queunt, Presbyteros vel omnes, vel eorum plerosque, sic ordinatos esse, ut Episcopi pariter, ac Presbyteri gradum obtinerent. Id eo fieri solitum esse verisimile est, quod..... opus fuit paratam esse copiam Episcoporum, qui ad urbes et provincias Christiano partas nomini cum potestate mitterentur; ut ea quæ ab solis Episcopis administrabantur, præstare possent : cujusmodi sunt clericorum ordinatio per manuum impositionem, Confirmationis

» Sacramentum, et alia quædam, quæ simplices Pres-
» byteri non attingebant. Hac de causa videntur
» plures in eadem ecclesia, velut Ephesina, Episcopi
» fuisse; qui Apostolis, tamquam majoris gradus
» Pontificibus, adeoque summis, obsequebantur.....
» Posteaquam vero pristina illa charitas, et imitandi
» Christi, amplectendæque modestiæ et humilitatis
» refrixit amor; tum, quod Hieronymus scribit, ad
» tollendas simultates, et in schismatis remedium,
» unum aliquem e turba Presbyterorum eligi pla-
» cuit, qui præesset reliquis : atque ita desiere pari
» non solum dignitate, sed etiam ordine ac pote-
» state plures creari, translata in unum tam honoris,
» quam functionis prærogativa. Quocirca nunquam
» non fuit in Ecclesia potestatum graduumque discri-
» men, hoc est Episcopatus, et Presbyteratus simpli-
» cis; sed in eadem capita passim ambo confere-
» bantur. »

Hoc systema a Petavio propugnatum, aliis ut Mamachio, *Origines et antiquitates christianæ*, lib. 4, pag. 337, valde probatur, et a cl. Perrone dicitur aptissima via ad omnia objecta loca explananda.

Quælibet ex allatis sententiis ad solvendas difficultates inservire potest.

2o. ex Patribus,

Obj. 2°. Patres sæpius duplicem tantum gradum in Hierarchia commemorant, Episcoporum nimirum et Diaconorum, vel Presbyterorum et Diaconorum. Sic inter alios S. Polycarpus, *Epist. ad Philipp.*, cap. 5 : *Oportet..... subjici..... Presbyteris et Diaconis tanquam Deo et Christo.* Et S. Clemens Romanus, loco citato pag. 11: (Apostoli) *prædicantes... per regiones et urbes... in Episcopos et Diaconos eorum, qui crediturі erant, constituerunt.* Ergo Patres videntur duplicem tantum gradum admittere, Sacerdotes et Diaconos, illosque modo Episcopos, modo Presbyteros vocant, cum nullum illis temporibus esset discrimen inter Episcopum et Presbyterum.

R. Neg. conseq. Etenim ad pleraque argumenta ex SS. Patribus ab adversariis deprompta, ut Episcoporum et Presbyterorum æqualitatem propugnent, diluenda, sufficit sequentia notasse :

1°. Pleraque loca, in quibus vel solos Episcopos cum Diaconis, vel solos Presbyteros cum Diaconis commemorant Patres, exponi possunt eodem modo ac in præcedentibus verba Apostoli explicata fuerunt, recurrendo nimirum ad sententiam vel S. Joannis Chrysostomi, vel S. Epiphanii, vel Petavii, etc.

2°. Patres, si duplicem tantum gradum commemorant, sæpissime respiciunt ad Sacerdotium in genere, sub quo Episcopos et Presbyteros intelligunt, præsertim cum potestatem conficiendi sacram Eucharistiam, qua potestate excellentior dari nequit, eamdem habeant Episcopi et Presbyteri.

3°. Sæpe iidem Patres, quos allegant adversarii ad Episcoporum super Presbyteros præstantiam impugnandam, aliis in locis aperte distinguunt Episcopos a Presbyteris.

4°. Tandem plura loca objici solent ex auctoribus obscuris et ignotis, quales sunt Ambrosiaster, Auctor *Quæstionum in Novum et Vetus Testamentum*, aliique.

Obj. 3°. Saltem de S. Hieronymo nequit negari, quod Episcoporum superioritati in Presbyteros contrarius sit. Etenim, *Epist. ad Evangelum*, necnon *Comment. in cap. I Epist. ad Philipp.*, quasi ex professo probare conatur, primis Ecclesiæ temporibus Episcopos non fuisse distinctos a Presbyteris, eamque distinctionem tantum postea inductam fuisse. Sic in priori opere citato, apertis verbis id affirmat, scribens : *Cum Apostolus perspicue doceat eosdem esse Presbyteros, quos Episcopos.....;* et in posteriori inter alia affirmare non dubitat, Episcoporum super Presbyteros præcellentiam consuetudine inductam fuisse : *Episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis dominicæ veritate Presbyteris esse majores.* Ergo secundum Hieronymum superioritas Episcoporum in Presbyteros non ex voluntate Christi, sed ex sola institutione Ecclesiæ originem ducit. 3°. ex S. Hieronymo.

R. Neg. conseq. Etenim S. Hieronymus pluribus in locis Episcoporum excellentiam et super Presbyteros auctoritatem extollit. Sic alicubi, Episcopos similes dicit Moysi, Presbyteros vero septuaginta senioribus a Moyse

electis; et alio loco comparationem instituit Aaronem inter et Episcopum, simulque Presbyteros filiis Aaronis, et Diaconos Levitis assimilat. Dein, in eadem *Epistola ad Evangelum,* diserte potestatem ordinandi solis Episcopis propriam asserit ; et ibidem institutionem Episcoporum atque Presbyterorum ad apostolicas Traditiones refert; sicut, *Comment. in cap. XXV Matthæi,* claris verbis dicit, Apostolos per singulas provincias constituisse Presbyteros et Episcopos. Tandem, in *Dialogo contra Luciferianos,* n. 9, pronuntiat salutem Ecclesiæ pendere in dignitate summi Sacerdotis, cui quædam eminens data est potestas. Ex his omnibus constat, quod Hieronymus Episcopos Presbyteris superiores agnoscat, idque jure divino , ut ex allatis apparet ; et consequenter ipsius verba objecta, sensu alio, ab illo quem innuunt adversarii , intelligi debeant.

At si quæritur qua ratione intelligenda sint verba S. Hieronymi, non conveniunt theologi, sed diversas tuentur sententias ; quarum præcipuæ hic breviter subjiciuntur.

1°. Aliqui, distinguentes superioritatem Episcoporum in Presbyteros ratione Ordinis et ratione jurisdictionis, putant Hieronymi fuisse sententiam , quod Episcopus habeat super Presbyteros potestatem jurisdictionis ex institutione humana, potestatem vero Ordinis ex jure divino. Ita Vasquez, disput. 240; Becanus, *Summa theologica,* part. 5, cap. 26 ; et Bellarminus, *Controv. de membris Ecclesiæ,* lib. 1, cap. 15, qui tamen notat, Hieronymum non adeo constantem in sua sententia videri ; sed potius dubium et ancipitem fuisse.

2°. Morinus, opere jam citato, part. 3, exercit. 3, cap. 3, opinatur Hieronymum in ea fuisse persuasione, quod ante schisma Corinthiacum, de quo S. Paulus, I Cor., nullus fuerit ab Apostolis ordinatus Episcopus, sed tantum Presbyteri cum Diaconis constituti ; postmodum vero , occasione hujus schismatis, unus ex Presbyteris fuerit cæteris præpositus et electus Episcopus; quo sensu præstantia Episcoporum ab Hieronymo sub certo respectu dici potuit ex in-

stitutione humana, etsi absolute loquendo etiam in hac opinione sit ex jure divino, utpote ab ipsis Apostolis peracta. Sed cum a parte rei ante schisma Corinthiacum extiterint Episcopi in Ecclesia, uti Jacobus Hierosolymis et Marcus Alexandriæ, ista interpretatio aliis non placet; et ipse Morinus notat, Hieronymum in disputationis fervore rhetoricis amplificationibus et hyperbolis plurimum indulgere.

3°. Quidam dicunt ex Hieronymi sententia initio Ecclesiæ nullos fuisse simplices Presbyteros, sed omnes seu saltem plerosque Presbyteros simul fuisse Episcopos. Hanc explicationem Joannis Delphini probabilem habet Petavius, *Dissertat. ecclesiast.*, lib. 1, cap. 3.

4°. Tandem aliqui asseruerunt, objecta Hieronymi loca ab hæreticis fuisse corrupta et vitiata, quod ut gratis assertum rejiciunt plerique cum Perrone. Alii rursus alio modo Hieronymum interpretantur; illud tamen omnino rejiciendum est, quod asserit Michael de Medina, scilicet S. Doctorem in hac materia cum Aerianis sensisse.

Præcipuas theologorum interpretationes hic breviter retulimus; qui plura desiderat, adeat auctores in decursu citatos.

Proba Diaconos habere in Ecclesia gradum sacrum, jure divino a Presbyteratu distinctum.

R. Probatur I. *Ex Scriptura Sacra,* ex qua elucet primos Diaconos ad officium sacrum et peculiare fuisse deputatos ab Apostolis, quod factum Apostolorum in re tanti momenti certissimum est institutionis divinæ argumentum, uti modo de Episcoporum eminentia supra Presbyteros observatum fuit. Diaconos jure divino distingui a Presbyteris, et habere gradum sacrum prob. I, ex Scriptura.

Diaconorum institutio refertur Act. VI, ubi narratur Apostolos occasione murmuris Græcorum assumpsisse sibi septem viros, quibus a ministrandi officio *Diaconorum* nomen datum fuit. Nec dici potest Diaconos unice ad mensarum ministerium aut eleemosynarum elargitionem fuisse electos, sed ipsos etiam ad proprie dictum ministerium sacrum, distinctum tamen a Sacerdotio, destinatos fuisse ex Scriptura eruitur. Ad ministerium sacrum electos fuisse indicant: 1°. Egregiæ dotes, quas ad officium Diaconi

requirunt Apostoli, cum, Act. VI, 3, volunt eligi viros *plenos Spiritu Sancto et sapientia.* 2°. Sacra cæremonia, qua completa fuit Diaconorum inauguratio, ibid., 6 : *Et orantes imposuerunt eis manus.* 3°. Positiva Scripturæ testimonia. Sic, Act. eodem cap. VI, Stephanus plenus gratia et fortitudine, cum tanto successu Evangelium annuntiat, ut nemo posset *resistere sapientiæ et Spiritui, qui loquebatur;* et, VIII, Philippus Diaconus *descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum,* conversosque baptizabat; hoc speciatim de eunucho reginæ Æthiopum refertur. Idem confirmat Apostolus, Philipp. I, 1, salutans omnes sanctos, qui sunt Philippis *cum episcopis et diaconibus.*

Diaconos autem semper fuisse a Presbyteris distinctos vel ex eo patet, quod Scriptura, dum de illis mentio occurrit, commonstret ipsos in inferiori gradu ministrasse.

Prob. II, ex SS. Patribus.

Probatur II. Scripturæ sacræ auctoritati suffragatur *SS. Patrum doctrina.* Sufficiant sequentia ex ipsorum scriptis desumpta verba, quibus manifestum fit, et Diaconos habere gradum sacrum, et esse a Presbyteris distinctos, idque jure divino. S. Ignatius, *Epist. ad Trallianos,* cap. 2, habet : *Necessarium itaque est, quemadmodum facitis, ut sine Episcopo nihil agatis. Sed et Presbyterio subditi sitis, ut Apostolis Jesu Christi..... Oportet autem et Diaconos, qui sunt Diaconi mysteriorum Jesu Christi, omni modo omnibus placere. Non enim ciborum et potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei ministri.* Vide verba ejusdem S. Patris, *Ad Trallianos,* supra pag. 26 : *Cuncti similiter revereantur Diaconos ut mandatum Jesu Christi,...* Et, *Ad Smyrnæos*, ead. pag.: .... *Diaconos autem revereamini ut Dei mandatum.* Vide etiam verba Tertulliani supra citata, pag. 25. Tandem notatu digna sunt verba S. Clementis Romani, *Epist.* 1 *ad Corinthios*, N°. præc. citata, pag. 11, quibus docet Diaconos habere ministerium sacrum sibi proprium, eosque per Apostolos constitutos fuisse.

Objectiones solvuntur.

Objicitur. Diaconorum officium, de quo Act. VI, non erat ministerium sacrum, sed officium mere profanum, quod solummodo ad mensarum communium ministrationem institutum erat; nam, ibid., 2 et seqq.,

Apostoli dicunt : *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem...., quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi, et ministerio verbi instantes erimus.* Hæc est quoque sententia S. Hieronymi, qui, *Epist. ad Evangelum,* in Diaconos invehens, hæc habet : *Quid patitur mensarum et viduarum minister, ut super eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi Corpus Sanguisque conficitur?..... Sciant, quare Diaconi constituti sint. Legant Acta Apostolorum, recordentur conditionis suæ,* etc.

R. 1°. Generatim, distinguendo. Ad mensarum et viduarum ministerium deputati sunt Diaconi ab Apostolis, concedo ; unice ad hoc officium destinati fuerunt, nego. Etenim, quamvis, ut narratur Act. VI, occasione murmuris Græcorum, Apostoli mensarum et pauperum curam in Diaconos delegarunt, non tamen unice ad hoc officium præstandum ab Apostolis instituti sunt ; sed etiam ad ministerium quoddam sacrum sub Apostolorum et deinceps Episcoporum auctoritate exercendum, ut liquet ex ipsa Scriptura, quæ ministerium sacrum a Stephano et Philippo Diaconis peractum testatur, prout supra observatum fuit. Inter munia sacra Diaconis tributa fuisse antiquitus illud deferendi fidelibus sacram synaxin, SS. Patres testantur, præ cæteris Justinus Martyr, *Apologia* 1, n. 67.

2°. Speciatim ad verba S. Hieronymi. Verba allata minime Diaconorum sacrum ministerium excludunt. Hoc unum intendit in citata Epistola S. Doctor, ut redarguat Diaconorum quorumdam superbiam, qui se supra Sacerdotes efferebant; et hac occasione humiliora quædam Diaconorum officia commemorat; sed non negat Diaconos insuper ad ministerium sacrum destinatos, cum in hac eadem Epistola affirmet, Diaconos vindicare sibi in Ecclesia id, quod Levitæ fuerant in templo ; et aliis in locis Diaconos inter ministros ad Ecclesiæ et templi ministerium constitutos enumeret.

Cum igitur, ut hoc N°. probatum fuit, Christus instituerit Sacerdotium, in quo juxta eamdem Christi institutionem distinguuntur Episcopi seu summi Sacer- Conclusio.

dotes et Presbyteri seu simplices Sacerdotes, et cum pariter de Christi mandato Apostoli constituerint Diaconos ad ministerium sacrum deputatos, concludimus saltem tres esse gradus in Hierarchia Ordinis, qui sunt institutionis divinæ, Episcoporum scilicet, Presbyterorum et Diaconorum.

N. 4. De numero, divisione et officiis Ordinum.

S. Thom., Supplem. quæst. 37.

Hucusque de Ordine, sumpto pro Ordine hierarchico, egimus; sed, uti initio tractatus monuimus, Ordo sumitur etiam pro *ritu sacro* seu *sacra ordinatione*. De Ordine sic considerato variæ a theologis proponi solent quæstiones, quas præsenti ac subsequentibus numeris expendemus.

An plures Ordines existunt in Ecclesia?

Plures existunt in Ecclesia Ordines,

R. Affirmative; etenim Concilium Tridentinum, Sess. XXIII, can. II, definivit præter Sacerdotium, esse alios Ordines nimirum majores et minores, per quos velut per gradus quosdam ad Sacerdotium tendatur.

An et cur convenit plures esse Ordines?

hocque convenit.

R. Ordinum pluralitas convenientissime inducta est ob maximam dignitatem Eucharistiæ, cujus consecratio cum oblatione Sacrificii Novæ Legis, præcipuum Sacerdotii officium constituit. Cum enim Eucharistia sit res excellentissima, decet ut plures ministri ei cooperentur; nec convenit ut homines laici immediate ad Sacerdotium provehantur. Hanc congruentiam sic optime explicat Conc. Trid., Sess. XXIII, cap. II: *Cum autem divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium; consentaneum fuit, quo dignius et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent; ita distributi, ut, qui jam clericali Tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solum de Sacerdotibus, sed et de Diaconis sacræ Litteræ*

apertam mentionem faciunt ; et quæ maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent ; et ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris et Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam Subdiaconatus ad majores Ordines a Patribus, et sacris Conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus.

Quot et quinam sunt Ordines ?

R. Observandum, quod Ecclesia circa hanc quæstionem nihil definiverit, et ideo in tuto reliquerit theologorum et canonistarum opiniones, quæ discrepant ; scilicet

Apud Latinos septem Ordines recensentur.

1°. Latini septem Ordines numerant innixi præsertim doctrinæ Concilii Tridentini. Hæc enim sancta Synodus, in supracitato cap. II, quod inscribitur *De septem Ordinibus*, loquens de ministrorum Ordinibus, qui Sacerdotio ex officio deserviunt, nominat Diaconos, Subdiaconos, Acolythos, Exorcistas, Lectores et Ostiarios; ita ut, juxta ipsam, præter Sacerdotium, uti Ordines habeantur Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus et Ostiariatus. Sub generali *Sacerdotii* nomine comprehenduntur Episcopatus et Presbyteratus. Utrum vero Episcopatus sit Ordo reapse distinctus a Presbyteratu, dicetur N°. 6. Tonsuram, quam antiquiores quidam canonistæ inter Ordines numerant, Concilium Tridentinum ab ipsis distinguit ; et Catech. Rom., n. 27, *De sacr. Ord.*, Tonsuram quamdam præparationem esse dicit ad Ordines suscipiendos ; de quo cfr. N. 11.

2°. Græci quatuor tantum Ordines agnoscunt, Sacerdotium, Diaconatum, Subdiaconatum et Lectoratum. Constat ex ipsorum Euchologiis necnon ex can. 5 Concilii Constantinopolitani IV, generalis VIII, anno 869 adversus Photium coacti. Juxta Renaudotium, opere cit., tom. 5, lib. 5, cap. 6, alii Orientales, etiam Nestoriani et Jacobitæ in Ordinum numero cum Græcis consentiunt.

An olim, in quibusdam saltem ecclesiis, plures vel pauciores enumeratis Ordinibus viguerint, quæstio est

ad eruditos pertinens. Hi examinant præsertim utrum Cantores, Fossarii, Custodes Martyrum aliique, quorum nomina in antiquis monumentis reperiuntur, Ordines a præfatis distinctos suscepissent, an vero essent clerici qui, aliquo ex supradictis minoribus Ordinibus initiati, ob diversa officia sibi commissa, variis nominibus vocarentur. Consuli possunt Morinus, opere citato, part. 3, exercit. 11, cap. 1; Benedictus XIV, *De synodo diœc.*, lib. 8, cap. 9. « Cæterum in Ecclesia Romana, ait Per- » rone, constans ac perpetuus fuit septenarius Ordinum » numerus, qui ab initio in ea viguit atque ad nos » usque pervenit. »

Rationes congruentiæ.

S. Thomas, Supplem. quæst. 37, art. 2, perspicue explicat quomodo septem Ordines congrue instituti sint, juxta relationem quam habent ad Eucharistiam, ponendo hanc conclusionem : *Juxta numerum ministeriorum quæ ad Eucharistiæ consecrationem, decentemque ejus tractationem opus erant, recte septem Ordines sunt instituti, videlicet Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolythorum, Lectorum, Exorcistarum et Ostiariorum ;* quod, rejectis aliis quibusdam explicationibus, sic probat : *Ordinis Sacramentum ad Sacramentum Eucharistiæ ordinatur, quod est Sacramentum Sacramentorum...; et ideo distinctio Ordinum est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam, quia potestas Ordinis aut est ad consecrationem ipsius Eucharistiæ, aut ad aliquod ministerium ordinatum ad hoc Sacramentum Eucharistiæ. Si primo modo, sic est Ordo Sacerdotum;.... cooperatio ministrorum est vel in ordine ad ipsum Sacramentum, vel in ordine ad suscipientes. Si primo modo, sic est tripliciter : Primo enim, est ministerium quo minister cooperatur Sacerdoti in ipso Sacramento, quantum ad dispensationem, sed non quantum ad consecrationem, quam solus Sacerdos facit ; et hoc pertinet ad Diaconum... Secundo, est ministerium ordinatum ad materiam Sacramenti ordinandam in sacris vasis ipsius Sacramenti ; et hoc pertinet ad Subdiaconum.... Tertio, est ministerium ordinatum ad præsentandam materiam Sacramenti ; et hoc competit Acolytho ; ipse enim.... urceolum cum vino et aqua præparat.... Sed ministerium ad præparationem recipientium ordinatum non potest esse nisi super immun-*

dos, quia qui mundi sunt, jam sunt ad Sacramenta percipienda idonei. Triplex autem est genus immundorum... Quidam enim sunt omnino infideles, credere nolentes ; et hi totaliter etiam a visione divinorum et a cœtu fidelium arcendi sunt ; et hoc pertinet ad Ostiarios. Quidam autem sunt volentes credere, sed nondum instructi, scilicet catechumeni ; et ad horum instructionem ordinatur Ordo Lectorum.... Quidam vero sunt fideles et instructi, sed impedimentum habentes ex dæmonis potestate, scilicet energumeni : et ad hoc ministerium est Exorcistarum. Et sic patet ratio et numeri et gradus Ordinum.

Quomodo Ordines dividuntur ?

R. In *majores* seu *sacros* et in *minores* seu *non sacros*. Majores seu sacri sunt Sacerdotium, Diaconatus et Subdiaconatus : ita vocantur, quia illis initiati majorem in Corpus Christi habent potestatem, propius Sacrificio cooperantur, sacra vasa tangunt, atque majoris sanctitatis causa, ad continentiam et horas canonicas obligantur. Ordines dividuntur in majores et minores.

Minores seu non sacri sunt Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus et Ostiariatus. Hoc nomine designantur, non quasi vilis pretii et profani forent, sed relative ad priores : sunt enim et ipsi suo modo magnopere sacri ; imo quæstio movetur, an Sacramenti rationem non habeant ; et ab iis etiam qui minus probabile ducunt, minores Ordines esse Sacramenta, inter præcipua Sacramentalia recensentur. Cfr. N. 10.

Græci Subdiaconatum inter Ordines minores numerant.

Quænam sunt singulorum Ordinum officia ?

R. 1°. De Sacerdotum officiis sic loquitur Pontificale Romanum : *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, baptizare.* In ordinatione ipsi accipiunt potestatem *offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis*, necnon constituuntur ad remittendum ac retinendum peccata. Deinde Sacerdotibus defertur cæterorum Sacramentorum administratio, excepta Confirmatione et Ordine. Hæc duo Sacramenta ministrare spectat ad Episcopos tamquam summos Sacerdotes, quos *oportet*, ut verbis Pontificalis utamur, *judicare, interpretari, consecrare,* Singuli Ordines habent sua officia.

ordinare... et confirmare. De his Episcoporum muniis copiose agit Conc. Trid., Sess. V, VI, XXII, XXIII et XXIV, *de reform.*

Notetur, quod in supradictis simplices Sacerdotes seu Presbyteri subjaceant Episcopis suis, quatenus ad officia illa legitime obeunda jurisdictione vel licentia indigent.

2°. *Diaconum*, ut loquitur Pontificale, *oportet ministrare ad altare, baptizare* et *prædicare;* et in ordinatione confertur ei potestas *legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis quam pro defunctis.* Diaconus est minister extraordinarius tum Baptismi solemnis tum etiam Eucharistiæ. Ad licitam autem horum Sacramentorum ministrationem necnon ad prædicandum, aliqua delegatione indiget. Cfr. tractatus *De Baptismo,* N°. 12; et *De Eucharistia,* N°. 30.

3°. Subdiaconi, juxta idem Pontificale, munus est, *aquam ad ministerium altaris præparare; Diacono ministrare; pallas altaris, et corporalia abluere; calicem et patenam in usum Sacrificii eidem offerre.* Ipse etiam habet *potestatem legendi Epistolas in Ecclesia sancta Dei tam pro vivis quam pro defunctis.*

4°. Quatuor minorum Ordinum officia in eodem Pontificali describuntur his verbis:

Acolythum oportet ceroferarium ferre; luminaria ecclesiæ accendere; vinum et aquam ad Eucharistiam ministrare.

Exorcistam oportet abjicere dæmones; et dicere populo, ut, qui non communicat, det locum; et aquam in ministerio fundere.

Lectorem oportet legere ea, quæ prædicat; et lectiones cantare; et benedicere panem, et omnes fructus novos.

Ostiarium oportet percutere cymbalum et campanam; aperire ecclesiam et sacrarium; et librum aperire ei qui prædicat.

Ad hæc omnia officia peragenda minoribus Ordinibus insigniti peculiarem habent potestatem. In ipsorum tamen defectu, aliqua etiam a tonsuratis, imo et a laicis exercentur.

N. 5. De Sacramento Ordinis.

S. Thom., Supplem. quæst. 34, art. 2 et 3.

Quid est Sacramentum Ordinis?

R. *Est Sacramentum Novæ Legis, quo spiritualis potestas confertur et gratia, ad ecclesiastica munia rite decenterque obeunda.* Sacramenti Ordinis definitio.

Data definitio convenit omnibus Ordinibus Sacramenti rationem habentibus ; quinam vero illi sint, postea inquiretur. S. Thomas, art. 2, definitionem sequentem, a Magistro Sententiarum traditam, approbat: *Ordo est signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur ordinato.* In ea, juxta S. Doctorem, vox *signaculum* accipitur pro signo exteriori seu sensibili, vocabula autem *spiritualis potestas* significant effectum interiorem. Revera definitio sic intellecta non differt a priori, et Sacramento Ordinis optime convenit, quandoquidem designat tum illud quod hoc Sacramentum habet commune cum aliis, scilicet *signaculum* seu signum sensibile, tum discrimen quod inter hoc et cætera Sacramenta intercedit, nimirum *spiritualis potestas.*

Quinam negarunt existere in Ecclesia Christi verum Ordinis Sacramentum?

R. Ordinem esse Novæ Legis Sacramentum negavit Lutherus, docens quod sola fidelium electione minister Evangelii constituatur. Calvinus in plerisque suis scriptis duo tantum ponit Sacramenta, Baptismum et Cœnam. Attamen, lib. 4 *Instit.*, cap. 14, fatetur Ordinem esse verum Sacramentum ; et addit se aliis in locis Ordinem non commemorasse, quia in illis agebat de Sacramentis, quæ sunt omnibus fidelibus communia. Anglicani etiam admittunt hoc Sacramentum ; nihilominus, valde agitatur quæstio circa validitatem ordinationum, quæ apud eos fiunt, ut infra, N°. 16, exponetur. Errores hæreticorum.

Quoad alios nostri ævi sectarios, nonnulli, uti Quakeri, omnem ordinationis ritum respuunt ; plerique autem quemdam ritum retinent, ita tamen ut generatim

nullam in ipso virtutem divinam agnoscant. Plura de his legi possunt apud Ill. Kenrick, *Theologia dogmatica*, tom. 3.

Contra præfatos hæreticos, Catholici uno ore profitentur in Ecclesia Christi existere verum Ordinis Sacramentum ; quam doctrinam tamquam fidei dogma definivit Conc. Trid., Sess. XXIII, can. III, his verbis: *Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram ordinationem, non esse vere et proprie Sacramentum, a Christo Domino institutum....; anathema sit.*

Proba in Ecclesia Christi verum et proprium existere Ordinis seu sacræ ordinationis Sacramentum.

Ordinem esse Sacramentum prob. 1, ex Scriptura.

R. Probatur I. *Ex Scriptura sacra*, quæ nobis exhibet sacram ordinationem cum omnibus characteribus qui, hæreticorum etiam consensu, ad Sacramentum Novæ Legis constituendum, requiruntur ; suntque 1°. ritus externus, 2°. gratia huic annexa et 3°. divina institutio.

1°. Ordinatio describitur uti ritus externus seu signum visibile consistens in impositione manuum. Legimus, Act. VI, 6, ordinatos fuisse ab Apostolis septem Diaconos per orationem et manuum impositionem : *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum : et orantes imposuerunt eis manus.* Pariter de ordinatione Pauli et Barnabæ, ibid. XIII, 3, legitur : *Tunc jejunantes, et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Et XIV, 22, refertur de Paulo et Barnaba, quod *constituissent* per singulas ecclesias *presbyteros :* hoc autem factum fuisse per manuum extensionem seu impositionem, patet ex textu græco ubi habetur : χειροτονήσαντες πρεσβυτέρους.

2°. Ordinatio habet vim conferendi gratiam proprie dictam, externo ritui annexam. Hoc indicat Apostolus, I Tim. IV, 14 : *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* Item, II Tim. I, 6 : *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

3°. Ordinatio est divinitus instituta. Etenim solus Deus potest ejusmodi ritum constituere, qui non solum significandæ sed et conferendæ gratiæ vim habet. Cum autem certum sit ritum externum ab Apostolis fuisse adhibitum, cui annexa erat gratia, liquet eos,

Dei nomine, tam sublime ministerium exercuisse, et in hunc finem mandatum a Christo Domino accepisse. Unde etiam ab Apostolis per manuum impositionem præfecti Ecclesiæ, ab ipso Spiritu Sancto præfecti esse dicuntur. Porro *Spiritus Sanctus* dicitur jussisse sibi segregari Paulum et Barnabam in opus ad quod assumpserat eos, Act. XIII, 2; legiturque posuisse Episcopos regere Ecclesiam Dei, Act. XX, 28; atque dedisse quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, Eph. IV, 11 et 12. Ex his omnibus concluditur sacræ ordinationi nihil eorum deesse, quæ ad constituendum veri nominis Sacramentum, necessaria sunt. Ergo.

Probatur II. *Ex constanti Traditione* totius Ecclesiæ, quæ Ordinem inter septem Sacramenta semper numeravit, ut testantur SS. Patres, Concilia et theologi. Prob. II, ex Traditione; 1°. ex Patribus,

1°. Perspicuo modo loquuntur *Patres*, quos citant Bellarminus, Vuitasse aliique fusiores theologi. Duos tantum textus seligimus. Ita S. Gregorius Nyssenus scribit, *Orat. in Baptismum Christi: Eadem Verbi* (Christi) *vis etiam Sacerdotem augustum ac honorandum facit, novitate benedictionis a communitate vulgi segregatum. Cum enim heri ac tempore superiori, unus e multitudine ac plebe esset, repente redditur præceptor, præses, doctor pietatis, mysteriorum latentium præsul; eaque contingunt ei, cum nihil vel corpore, vel forma mutatus, sed quod ad speciem externam attinet, ille sit, qui erat, invisibili quadam vi ac gratia, invisibilem animam in melius transformatam gerens.* Legenti patet Sacramenti characteres hic adesse et Ordini applicari. A S. Augustino, lib. 2 *Contra Epist. Parmeniani*, cap. 13, ordinatio vocatur Sacramentum, et quidem tam proprie ac ipse Baptismus, a novatoribus receptus. En illius verba: *Ipsi* (Donatistæ) *explicent quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, et Sacramentum ordinati possit amitti... Si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur et istud amittitur? neutri Sacramento injuria facienda est.*

2°. Quod *Concilia* attinet, ex antiquioribus citari potest Concilium Chalcedonense œcumenicum, anno 451 2°. ex Conciliis,

celebratum, can. 2, damnans eos qui venalem habent gratiam Spiritus Sancti ordinationi annexam. *Si quis Episcopus*, inquit, *propter pecunias ordinationem fecerit et non venalem gratiam vendiderit..., de proprio gradu in periculum veniat.* At si ordinatio habet pro effectu gratiam, procul dubio inter Sacramenta recensetur. Aliæ Synodi idem testantur.

3°. ex doctrina theologorum.

3.° Eamdem doctrinam summa cum religione custodiunt et profitentur omnes, qui umquam floruerunt *theologi*. Loco omnium affertur testimonium S. Thomæ, quem deinceps omnes scholæ secutæ sunt, et qui, *In IV Sent.*, dist. 24, quæst. 1, art. 1, pronuntiat : *Ordo ab omnibus enumeratur inter septem Sacramenta Ecclesiæ.*

Conclusio.

Igitur conclusioni accommode inserviunt verba Conc. Trid., Sess. XXIII, cap. III : *Cum Scripturæ testimonio, Apostolica traditione, et Patrum unanimi consensu perspicuum sit ; per sacram ordinationem, quæ verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis.*

Objectiones.

Objicitur 1°. Christus, quando ordinavit Apostolos ac Ordinem instituit, manuum impositionem non usurpavit. Ergo desideratur signum sensibile a Christo institutum, et proinde Ordo Novæ Legis Sacramentum dici nequit.

R. Trans. antec. Illud enim Scriptura nec affirmat nec negat ; et aliunde certum est multa a Christo facta esse, quæ non fuerunt scripta.

Neg. conseq. Nam probavimus ex Scriptura sacra et Traditione, Christum Dominum instituisse ut nemini sacra Ordinis potestas conferatur, nisi adhibito ritu externo, cui insita est gratiæ conferendæ virtus. Neque thesim sic propositam sufficienterque stabilitam ullatenus infirmat modus quo ipse Christus ordinationes perfecit: potuit enim præcipere ut sacræ ordinationes per manuum impositionem conferrentur, licet ipse eamdem non usurpaverit. Ratio est, quia Christi potestas nulli ritui externo est alligata; et quo ipse vult modo, gratiam confert : sic etiam delicta mulieris peccatricis non adhibita absolutione sacramentali remisit.

Obj. 2°. Impositio manuum, de qua loquitur S. Paulus in locis allegatis, non est nisi cæremonia Hebræis

familiaris, qua bona apprecabantur præsertim infirmis; hac etiam usi sunt Christus, dum parvulis, Marc. X, 16, et Apostoli, dum ægris manus imposuerunt, Marc. XVI, 18. Frustra hic quæris ritum sacramentalem; et consequenter ex citatis textibus non probatur Ordinem esse Sacramentum.

R. Neg. antec. Apostolum enim non agere de communi et profana manuum impositione, sed de ritu speciali et sacro, ex eo manifestum est quod huic attribuat vim producendi gratiam. Accedit quod Apostolus de illa impositione scribens, in eadem Epist. I Tim. V, 22, dicat: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Jamvero ista verba de communi impositione seu bonorum apprecatione intelligi nequeunt, cum hæc minime prohiberi possit nec periculum alienis peccatis communicandi involvat. Deinde nonne vulgares apud Judæos erant ablutiones, quas Christus et Apostoli usurparunt? Hoc tamen non impedivit quominus ipsi adversarii ablutionem baptismalem pro vero Sacramento haberent; quia nimirum gratiæ conferendæ virtus divinitus ei erat annexa. Simili modo Christum Dominum egisse quoad manuum impositionem, supra in theseos evolutione ostendimus.

Obj. 3°. Gratia, quam Apostolus asserit Timotheo esse collatam per manuum impositionem, non est gratia gratum faciens, sed est gratia gratis data, ad aliorum scilicet utilitatem. Etenim dicit Apostolus eam datam esse per *prophetiam*, quæ inter gratias gratis datas numeratur. Insuper græce hæc gratia vocatur χάρισμα, ad distinctionem gratiæ sanctificantis, quæ ab Apostolo plerumque designatur vocabulo χάρις. Ergo ex istis S. Pauli verbis probari non potest impositionem manuum, de qua agit, esse Sacramentum.

R. Neg. antec. Quod Apostolus loquatur de gratia gratum faciente, patet ex verbis, quæ scribit, II Tim. I, 27: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris; sed virtutis et dilectionis.* Hæc dona sane signa sunt ac proprietates gratiæ sanctificantis seu charitatis, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Verba autem *per prophetiam* significare possunt *secundum prophetiam;* ita ut juxta hunc interpretandi

modum, qui apud auctores probabilior est, Apostolus doceat, se ex divina revelatione Timotheum ordinasse, ita ut hunc propter ejus juventutem non ordinasset, nisi divinitus compertum habuisset, Timotheum Ecclesiæ utilem fore. Hic sensus ab ipso Calvino propugnatur et optime concordat cum iis quæ Apostolus ad discipulum scribit, I Tim. I, 18 : *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias*, id est, secundum revelationes de te factas. Et tandem, dato etiam, quod Timotheo in ordinatione sua collatum fuerit donum prophetiæ seu gratia gratis data, minime sequeretur ipsi concessam non fuisse gratiam gratum facientem ; cum utriusque gratiæ simultanea collatio nullam repugnantiam involvat, imo, primis Ecclesiæ temporibus, miro modo ad fidei propagationem et fidelium sanctificationem procul dubio inservierit. Quantum ad vocem χάρισμα, licet ordinarie ab Apostolo usurpetur pro gratia gratis data, tamen adhibetur etiam ad designandam gratiam sanctificantem ; exempli causa, Rom. V, 15 : *Sed non sicut delictum, ita et donum* (χάρισμα). *Si enim unius delicto multi mortui sunt : multo magis gratia* (χάρις) *Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.*

Reliquas objectiones vide apud Wirceburgenses, Berti et alios auctores, qui ea quæ ad dogmata pertinent, latius tradunt.

Quandonam Sacramentum Ordinis a Christo Domino institutum fuit ?

Sacramentum Ordinis in ultima Cœna fuit institutum.

R. In ultima Cœna dum, consecrato Eucharistiæ Sacramento et oblato incruento Sacrificio, Salvator Apostolis suis dixit : *Hoc facite in meam commemorationem.* Tunc enim eos Sacerdotes constituit, ut docet Tridentinum, Sess. XXII, cap. I, præceptum ac potestatem eis tribuens illud faciendi quod ipse fecerat, scilicet consecrandi et Sacrificium offerendi. Quinimo Apostolos simul fecit summos Sacerdotes seu Episcopos, cum munere et potestate alios in ipsorum successores ordinandi; ut ita Sacerdotium ac Novæ Legis Sacrificium ad finem usque mundi in Ecclesia perseveraret. Apostolis vero summum Sacerdotium in ultima Cœna conferendo, Christus Dominus, vi divinæ qua pollet auctoritatis,

alios etiam Ordines contulit, utpote in illo eminenter contentos. Advertit autem S. Bonaventura, *In IV Sent.*, dist. 24, part. 2, art. 2, quæst. 1, in primitiva Ecclesia plures Ordines implicite collatos fuisse in impositione manuum ; sensim vero usus invaluit ut nonnisi separatim et gradatim darentur.

An sacræ ordinationes, seu ritus quibus varii Ordines ecclesiastici conferuntur, Sacramenti rationem habent ?

An singuli Ordines sint Sacramenta controvertitur.

R. Licet in Conc. Trid. definitum sit, Ordinem sive sacram ordinationem esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, inde non sequitur omnes ac singulos, qui recensentur Ordines, veram ac propriam habere rationem Sacramenti ; neque de hoc inter Catholicos constat.

Sacerdotium, in quo plenitudo Ordinis continetur, esse verum Novæ Legis Sacramentum, de fide est ex Conc. Trid., Sess. XXIII, can. III. Diaconatus, juxta communem et certam theologorum sententiam, habet rationem Sacramenti ; quod tamen non est de fide. Utrum Subdiaconatus et quatuor minores Ordines inter Sacramenta computentur, disputatur apud theologos. Quæstionis status hic solum indicatur : in decursu fusius expendemus quid de unoquoque Ordine sub præsenti respectu statui possit.

Quænam est materia, quænam forma Sacramenti Ordinis universim sumpti ?

Materia et forma Sacramenti Ordinis.

R. Circa hanc quæstionem non conveniunt Latini cum Græcis, nec apud Latinos consentiunt theologi. Celebriores sententias breviter hic referimus, postea accuratius pro singulis Ordinibus rem pertractaturi.

Prima sententia solam manuum impositionem pro materia, et solam orationem, huic impositioni respondentem, pro forma essentiali Sacramenti Ordinis assignat.

Secunda non aliam agnoscit essentialem materiam ordinationis, quam traditionem instrumentorum, nec aliam formam quam verba sub quibus hæc traditio fit.

Tertia denique sententia eorum est, qui admittunt tum impositionem manuum tum traditionem instrumentorum esse materiam essentialem, et verba quæ pronuntiantur, tum in impositione manuum, tum in traditione instrumentorum, esse formam Sacramenti Ordinis.

N. 6. De Episcopatu.

S. Thom., Supplem. quæst. 40, art. 4 et 5.

Vocabuli Episcopi significatio etymologica.

Substantivum *Episcopus*, græce ἐπισκοπὸς, ab ἐπὶ *super*, et σκοπεῖν, *intendere*, idem significat ac latine *superintendens*, *superinspector*, de quo sic loquitur S. Augustinus, *De Civit. Dei*, lib. 19, cap. 19 : (Episcopatus) *nomen est operis, non honoris. Græcum est enim, atque inde ductum vocabulum, quod ille qui præficitur, eis quibus præficitur superintendit, curam eorum scilicet gerens.*

Episcoporum dignitas.

Episcoporum dignitas semper maximo in honore habita fuit a Patribus ideoque condecorata titulis honorificentissimis. Sic ab ipsis Episcopi vocantur *Successores Apostolorum, Patres Patrum, Principes Ecclesiæ, summi Sacerdotes, Christi Vicarii*, et *Ecclesiæ Angeli.*

Quibus potissimum ritibus episcopalis consecratio perficitur?

Ritus consecrationis episcopalis describuntur.

R. Episcopi ordinatio seu consecratio variis iisque gravissimis ritibus completur, quorum præcipuos ex Pontificali Romano hic breviter damus :

1°. Præter Episcopum consecratorem adesse debent *duo ad minus Episcopi assistentes*, ut statuit idem Pontificale. Vid. infra N°. 16.

2°. Consecrator, adjuvantibus Episcopis assistentibus, librum Evangeliorum imponit super cervicem et scapulas electi, nihil dicens.

3°. Consecrator et assistentes Episcopi ambabus manibus caput consecrandi tangunt dicentes : *Accipe Spiritum Sanctum.* Quo facto Episcopus consecrator orat, dicens : *Propitiare, Domine*, etc.

4°. Consecrator caput electi inungit sancto chrismate, dicens : *Ungatur et consecretur caput tuum, cœlesti benedictione, in ordine Pontificali*, etc. Ungit pariter ambas manus, dicens : *Ungantur manus istæ*, etc.

5°. Consecrator tradit consecrato baculum pastoralem, annulum, librum Evangeliorum, mitram et chirothecas pronuntiando verba præscripta.

An Episcopatus est Ordo et Sacramentum a Presbyteratu distinctum ?

An Episcopatus sit Ordo et Sacramentum a Presbyteratu distinctum.

R. Prænotandum. Si Ordinis nomine intelligatur *gradus*, nullum potest esse dubium, quin Episcopatus sit Ordo distinctus a Presbyteratu, eoque superior ; quod fide certum esse, N°. 3, probavimus. Quæstio igitur hic est, an in consecratione episcopali conferatur Ordo et Sacramentum a Presbyteratu distinctum.

Quocirca præsertim duplex olim viguit sententia.

Prima sententia negat,

1°. Plures scholastici docent Episcopatum non esse Ordinem a Presbyteratu distinctum, nec proprie dictum Sacramentum, sed duntaxat extensionem characteris sacerdotalis ad nova officia, ampliorem potestatem ac dignitatem. Extensionem autem characteris sacerdotalis varii hujus sententiæ patroni vario modo intelligunt, pro diversa eorum circa naturam characteris opinione, qua de re cfr. Tournely, quæst. 6, art. 1. Episcopus igitur in hac sententia non est nisi Sacerdos perfectus, talis videlicet qui ad apicem Sacerdotii evectus sit. Hæc est sententia Hugonis a S. Victore, Petri Lombardi, Alexandri Alensis, S. Bonaventuræ, S. Thomæ, Dominici Soto, aliorumque plurimorum, quos enumerat Morinus, opere citato, part. 3, exercit. 3, cap. 1, n. 6, eamque uti probabiliorem propugnat Billuart, *De Sacram. Ord.*, diss. 4, art. 2.

Quoad S. Thomæ auctoritatem, a memoratæ sententiæ fautoribus allegatam, certe S. Doctor ipsis favet Supplem. quæst. 40, art. 5, desumpto ex *Comment. in lib. 4. sentent.;* at Sylvius ex iis, quæ S. Thomas scripsit post editam interpretationem in lib. sentent., contendit illum a prima sua opinione discessisse ; nihilominus allata a Sylvio loca alii alio modo interpretantur, ut videri potest apud Billuart, loc. cit.

secunda sententia affirmat.

2°. Non pauci vero, ut Navarrus, Maldonatus, Sylvius, Petrus Soto, Estius, Vuitasse et recentiores theologi docent, Episcopatum esse peculiarem Ordinem et Sacramentum distinctum a Presbyteratu, characterem diversum imprimens et diversas conferens gratias, ita tamen ut, ordinante Deo, ad validam Episcopatus susceptionem Presbyteratus in suscipiente prærequiratur. De illa doctrina sequentia scribit Tournely : « Hanc

» (sententiam) Bellarminus certissimam ; Petrus Soto » certa fide tenendam censent ; Michael de Medina » contrariam sententiam esse periculosam ; Vasquez, » quamvis expresse definitam non esse fateatur, ex » definitione tamen Concilii Tridentini eam non obscure » deduci, nec sine gravi nota hoc tempore negari posse » — qua parte asserit Episcopatum esse verum Sacra- » mentum — contendit. » Inter recentiores theologos S. Alphonsus de Ligorio illam communiorem, cl. Perrone nunc temporis communem et omnino tenendam dicunt.

Proba Episcopatum esse peculiarem Ordinem et Sacramentum, et quidem a Presbyteratu distinctum.

Sententia affirmans prob. I, ex ratione theologica.

R. Probatur I. Episcopatus est Ordo distinctus a Presbyteratu et Sacramentum proprie dictum, quia in illa speciali consecratione, qua Episcopi ordinantur, adsunt omnia quæ requiruntur ad verum et proprie dictum Sacramentum, nimirum signum sensibile seu ritus externus, collatio gratiæ et institutio divina. Adest 1°. *Signum sensibile,* nempe impositio manuum cum forma correspondente. 2°. Adest *collatio gratiæ,* ut constat ex Scriptura, puta I Tim. IV, 14 : *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi..., cum impositione manuum presbyterii ;* et II Tim. I, 6 : *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Hæc autem verba Apostoli de Episcopatu præcipue intelligi debent, cum nemo neget Timotheum ab Apostolo Episcopum fuisse ordinatum. 3°. Adest tandem *divina institutio,* nam ex iisdem Pauli verbis evincitur, ritum externum impositionis manuum, cui annexa est gratia, ab Apostolis fuisse usurpatum, quod in re tanti momenti divinæ institutionis est argumentum.

Cum igitur omnia ad Sacramentum requisita, in episcopali consecratione inveniantur, recte concluditur Episcopatum esse Sacramentum. Est autem Sacramentum a Presbyteratu distinctum, quia Episcopatus habet propriam materiam, propriam formam, et confert distinctam potestatem, scilicet imprimis potestatem omnes Ecclesiæ ministros, etiam Episcopos ordinandi, quam nulla alia ordinatio confert ; præterea specialem

tribuit gratiam ad functiones episcopales rite exercendas, tanto magis quod Episcopi propter majorem excellentiam et graviora officii sui onera specialibus gratiis opus habeant, quibus non indigent Presbyteri; inde quoque sequitur in Episcopatu imprimi specialem characterem.

Probatur II. Ex Patribus, qui docent in ordinatione Episcopi gratiam conferri. Unus pro omnibus sit S. Ambrosius, qui, *Lib. de dignitate sacerdotali*, cap. 5, hæc habet: *Quis dat episcopalem gratiam ?.... Deus. Sed tamen per hominem dat Deus; homo imponit manus, Deus largitur gratiam.* Imo SS. Patres non raro Episcopatum vocant Sacramentum. Ita S. Leo Magnus, *Serm.* 3, *in anniversario consecrationis suæ*, ait: *Cum hujus divini Sacerdotii Sacramentum*, etc.; et, *Epist.* 12, *ad Episcopos Africanos*, pronuntiat, *Sacramento* injuriam fieri, si bigamus ordinetur Episcopus. Tandem S. Augustinus, lib. 2, *Contra Epistolam Parmeniani*, cap. 13 et aliis in locis, adversus Donatistas docet valere ordinationes illorum Episcoporum, qui ab Ecclesia sive per hæresim sive per schisma separati sunt. Prob. II, ex Patribus.

Ex quibus omnibus concluditur: Patres episcopalem consecrationem vocant Sacramentum; docent in ea conferri gratiam et potestatem indelebilem adeoque characterem imprimi; sed hæc omnia non nisi de vero Sacramento dici possunt. Ergo Episcopatus juxta Patres habet rationem proprie dicti Sacramenti. Cum autem in ea ordinatione ritus externus, materia, forma, potestas et gratia collata sint distincta a ritu externo, materia, forma, potestate et gratia collata in ordinatione Presbyterorum, Episcopatus est Ordo et Sacramentum a Presbyteratu distinctum.

Objicitur 1°. Ordinum distinctio et varietas repetitur ex ipsorum relatione ad consecrationem vel dispensationem Eucharistiæ. Atqui eadem est hæc relatio in Episcopo et Presbytero. Ergo dici nequit Episcopatum esse Ordinem a Presbyteratu distinctum. Objectiones.

R. Neg. min. Nam relatio Episcopatus et Presbyteratus ad Eucharistiam non est eadem; etenim Episcopi non solum, sicut Presbyteri, gaudent potestate consecrandi Eucharistiam, sed insuper habent vi suæ

ordinationis, ut illam potestatem aliis conferant, id est Presbyteros ordinent, quinimo ut consecrent alios Episcopos, qui etiam Eucharistiæ consecrandæ potestatem transmittant. Episcopi igitur potestatem habent consecrationem Eucharistiæ perpetuam reddendi, et sub hoc respectu, Episcopatus relationem habet ad Eucharistiam, quæ alia est ac relatio Presbyteratus ad Eucharistiam.

Obj. 2°. Juxta communem theologorum sententiam dantur tantum septem Ordines, quos Concilium Tridentinum enumerat, Sess. XXIII, cap. II, nullam Episcopatus mentionem faciens. Atqui, si Episcopatus sit Sacramentum et Ordo distinctus a Presbyteratu, erunt Ordines octo. Ergo.

R. Neg. min. Licet Episcopatus sit peculiaris Ordo et proprie dictum Sacramentum, non ideo sunt plures quam septem Ordines: etenim Episcopatus comprehenditur sub Sacerdotio tanquam sub quodam genere, cui Episcopatus et Presbyteratus tanquam species subjacent; cfr. dicta N°. 4. *Sacerdotum Ordo,* ait Anacletus Pontifex, *Epist.* 3, cap. 1, *bipartitus est.* Itaque Sacerdotium generatim spectatum constituit septimum Ordinem, qui rursus in duos Ordines dispescitur, Presbyteratum seu simplex Sacerdotium, et Episcopatum, qui est Sacerdotium summum, apex et plenitudo Sacerdotii.

Quænam est materia, quænam forma Episcopatus?

R. Circa hanc quæstionem non omnino conveniunt theologi.

Materia et forma Episcopatus sunt: sola manuum impositio,

1°. Communior sententia docet, solam impositionem manuum esse materiam proximam Episcopatus. Ita Morinus, Vuitasse, De Coninck, Thomas ex Charmes, Henno, Liebermann, etc. At omnes, qui Episcopatus materiam in manuum impositione consistere propugnant, inter se non prorsus consentiunt: alii enim eam assignant, quæ trium simul est Episcoporum; alii vero illam quæ solius est consecratoris, et hoc magis concordat cum dicendis de ministro Episcopatus, N°. 16.

cum verbis huic impositioni correspondentibus;

Quoad formam, omnes hujus primæ sententiæ patroni eam constituunt in verbis impositioni manuum correspondentibus; sed quando petitur, quænam sint

præcise verba formæ, rursus dissentiunt. Non desunt, qui putant formam consistere in his verbis : *Accipe Spiritum Sanctum*, prolatis sive a solo Episcopo consecratore, sive a tribus Episcopis, prout unius vel trium Episcoporum manuum impositionem ad essentialem materiam requirunt. Verum plures non admittunt citatis verbis essentialem formam contineri, quia illa nec apud Græcos, nec apud Syros in usu sunt; neque eadem semper, sed vix ab annis quingentis, Ecclesia Latina usurpavit: ideo isti cum Morino et Martenio generatim dicunt formam consistere in precibus et orationibus apud Latinos, Græcos et Orientales usitatis, quibus Spiritus Sanctus invocatur super electum. Spondentibus.

Nota. Nihil obstat huic sententiæ, Concilium Tridentinum, Sess. XXIII, can. IV, definivisse, per sacram ordinationem dari Spiritum Sanctum ac proinde non frustra Episcopos dicere, *Accipe Spiritum Sanctum*. Etenim in exposita sententia non frustra ab Episcopo proferuntur illa verba, siquidem magis explicant Spiritum Sanctum per ordinationis virtutem dari. Ideo namque Concilium definivit per sacram ordinationem dari Spiritum Sanctum, et consequenter non inaniter in ritu ordinationis memorata verba ab Episcopo proferri; quia hæretici inania illa esse aiebant, eo quod inanem existimabant ordinationem catholicam. Hanc hæresim anathemate feriunt Patres Tridentini, simulque docent per ordinationem dari Spiritum Sanctum, et characterem imprimi; sed ex ipsorum definitione non sequitur, præcise per verba *Accipe Spiritum Sanctum* characterem imprimi, et Spiritum Sanctum dari. De quo fusius Morinus, part. 3, exercit. 2, cap. 2; et exercit. 7, cap. 5. Vide etiam Perrone, *De Ordine*, n. 124, in nota.

2°. Secunda sententia tenet, quidem manuum impositionem esse materiam proximam Episcopatus, sed partialem tantum; alteram vero partialem materiam assignat impositionem libri Evangeliorum super cervicem et scapulas electi. Ita Durandus, Wirceburgenses, Tournely et alii. Pro hac sententia allegantur rationes deductæ ex praxi ecclesiarum adhibendi hunc ritum impositionis libri Evangeliorum, ut constat ex ritualibus Impositio libri Evangeliorum non videtur ad essentiam pertinere.

antiquis et recentioribus, tum Latinis, tum Græcis, tum Syris, et ex Concilio Carthaginensi IV, anno 398 celebrato, de quibus testatur Morinus, part. 3, exercit. 2, cap. 1. Attamen qui primam sententiam tuentur, his argumentis respondent, ritum istum ad Episcopatus essentialem materiam non pertinere, puta quia communiter SS. Patres, ubi de Episcopatu loquuntur, solam manuum impositionem commemorant, et quia ritus iste non semper ab omnibus ubique ecclesiis fuit usurpatus.

Quod ad formam attinet, quoniam impositio libri Evangeliorum super caput et scapulas consecrandi fit eodem tempore ac manuum impositio, hujus sententiæ patroni eamdem formam assignant, quam illi qui solam manuum impositionem ad essentiam requirunt; et inter ipsos rursus alii indicant verba: *Accipe Spiritum Sanctum*, alii vero dicunt formam contineri in precibus et orationibus, quibus Spiritus Sanctus invocatur super electum.

Ejusdem libri traditio non est de essentia,

3°. Docuerunt aliqui, insuper essentialem esse traditionem libri Evangeliorum sub hac forma: *Accipe Evangelium, et vade, prædica populo tibi commisso; potens est enim Deus ut augeat tibi gratiam suam qui vivit et regnat*, etc. Hanc autem traditionem Evangelii communiter auctores accidentalem habent.

nec unctiones, nec reliqui ritus.

4°. Unctiones capitis et manuum, item traditio baculi pastoralis et annuli, quamvis olim a quibusdam pro partiali materia habebantur, communi consensu cæremoniæ accidentales recte dicuntur.

Quomodo definiri potest Episcopatus?

Episcopatus definitio.

R. Episcopatus est *Ordo supremus et Sacramentum, quo Presbytero confertur potestas et gratia ad Confirmationem et Ordinem conferendum, et alia munia sacra Episcopis propria obeundum.*

Episcopi prærogativæ enumerantur.

Episcopus itaque vi consecrationis speciali charactere insignitus est, speciali juvatur gratia, specialibus gaudet facultatibus, nempe Sacramenta Confirmationis et Ordinis administrandi, chrisma et olea sacra benedicendi, templa, altaria, calices, etc. consecrandi. Deinde, cum ei diœcesis gubernanda a Romano Pontifice committitur, accipit potestatem Christi fideles regendi,

leges ferendi, confessarios approbandi, canonicas pœnas infligendi, indulgentias quasdam partiales concedendi, etc.

N. 7. De Presbyteratu.

S. Thom., Supplem. quæst. 37, art. 1 et 5.

Etymologia vocis Presbyter.

Presbyter, græce πρεσβύτερος latine *senior* vocatur, non solum propter ætatis maturitatem, quæ Presbyterorum Ordini maxime necessaria est, ait Catechismus Rom., part. 2, n. 43, sed multo magis propter morum gravitatem, doctrinam et prudentiam; ut enim scriptum est Sap. IV, 8 : *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata, cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata.*

Qui sunt ritus in ordinatione Presbyterorum adhibendi?

R. Ritus præcipui pro hac ordinatione in Pontificali Romano descripti, sunt sequentes :

Ritus in ordinatione Presbyteri adhibendi.

1°. Pontifex imponit simul utramque manum super caput cujuslibet ordinandi successive, nihil dicens ; idemque faciunt post eum omnes Sacerdotes qui adsunt. — Hic ritus vocari solet *prima* manuum impositio.

2°. Tam Pontifex quam Sacerdotes tenent manus dexteras extensas super ordinandos. — Est *secunda* manuum impositio. — Pontifex simul dicit : *Oremus, fratres charissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos quos ad Presbyterii munus elegit, cœlestia dona multiplicet, et quod ejus dignatione suscipiunt, ipsius consequantur auxilio.* Postea vero addit hanc orationem : *Exaudi nos, quæsumus, Domine Deus noster, et super hos famulos tuos bene ✝ dictionem Sancti Spiritus et gratiæ sacerdotalis infunde virtutem ; ut quos tuæ pictatis aspectibus offerimus consecrandos, perpetua muneris tui largitate prosequaris. Per Dominum*, etc. Sequitur Præfatio.

3°. Episcopus geminam recitans orationem, adaptat stolam ante pectus cujuslibet ordinandi in modum crucis, et imponit casulam.

4°. Post habitam ad Deum precem, Pontifex incipit

hymnum, *Veni Creator*, quem schola prosequitur; interim ipse cum oleo Catechumenorum inungit unicuique ambas manus simul junctas, in modum crucis, sub præscriptis verbis.

5°. Tradit cuilibet successive calicem cum vino et aqua ac patenam superimpositam cum hostia, singulis dicens: *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare, tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini.* — Hic ritus vocari solet *traditio instrumentorum.*

6°. Presbyteri ordinati Missam absolvunt cum Pontifice, qui post datam ipsis communionem et recitatum ab iisdem Symbolum, imponit ambas manus super caput singulorum, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis; et quorum retinueris, retenta sunt.* — Hæc manuum impositio *tertia* vocatur.

Proba in ordinatione Presbyteri conferri Sacramentum seu Presbyteratum esse Sacramentum.

Presbyteratum esse verum Sacramentum prob. I, ex Scriptura sacra.

R. Probatur I. Ex *Scriptura sacra*, in quantum omnes veri Sacramenti conditiones quas ex ipsa, N°. 5, eruimus ad probandum Ordinem esse vere et proprie Sacramentum, in Presbyteri ordinatione reperiuntur. Adest *res sensibilis*, scilicet manuum impositio et oratio seu verba quæ sub hac impositione ab Episcopo ordinante proferuntur; habetur *institutio divina* per verba Christi concedentis Apostolis in ultima Cœna potestatem conficiendi Eucharistiam: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. XXII, 28; post Resurrectionem item potestatem remittendi peccata: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis*, etc., Joan. XX, 23. Tandem adest *collatio gratiæ;* hanc enim confert manuum impositio, ut ostensum fuit N°. allegato.

Prob. II, ex Ecclesiæ Traditione et theologorum consensu.

Probatur II. *Ex universali Ecclesiæ Traditione*, quæ est unanimis et constans, quacum consentiunt omnes theologi: licet enim circa Episcopatum mota fuerit inter ipsos quæstio, utrum sit necne Sacramentum, nullus unquam fuit qui de Presbyteratu id in dubium vocaverit.

Prob. III, ex ratione theologica.

Probatur III. *Ex ratione theologica.* Omnes Ordines ad Eucharistiam tamquam ad finem suum referuntur; ita ut totius Sacerdotii Christiani ministerium præci-

puum in oblatione Sacrificii Novæ Legis consistat. Munus autem offerendi Sacrificium, proprium est Presbyterorum, qui potestatem ad illud exercendum in susceptione Presbyteratus obtinent. Ergo si cuidam ordinationi ratio Sacramenti, hæc sane Presbyteratui competit. Ideo etiam, quamvis Concilium Trid. expressis verbis non definiat Presbyteratum esse Sacramentum, omnes tamen theologi, ex iis quæ leguntur Sess. XXIII, can. I, III et IV, inferunt hanc veritatem *ad fidem* pertinere.

Quænam est materia Sacramenti Presbyteratus ?

Variæ existunt sententiæ circa materiam Presbyteratus.

R. Gravis viget controversia inter theologos circa essentialem et adæquatam hujus Sacramenti materiam: tres notandæ veniunt sententiæ, quas hoc numero expendemus.

Prima docet, solam manuum impositionem, et quidem secundam, essentialem esse et adæquatam Presbyteratus materiam. Hæc sententia, hodie communior, defenditur a Morino, Juenin, Vuitasse, Tournely et pluribus recentioribus.

Secunda sententia materiam constituit in sola instrumentorum traditione. Huic patrocinantur Dominicus Soto, Fagnanus, Gonet.

Tertia duplicem materiam essentialem ponit: instrumentorum traditionem ac tertiam impositionem manuum. Hanc sententiam post S. Thomam propugnant gravissimi theologi, puta Maldonatus, Vasquez, Estius, Bellarminus, Sylvius, Billuart.

Explica quibusnam momentis præcipue nitatur prima ac communior sententia.

Probabilius materia consistit in manuum impositione et quidem in secunda,

R. Scriptura docens quanam in re sacra ordinatio consistat, de sola manuum impositione loquitur, ut patet ex textibus allatis, N°. 5, ubi de veritate Sacramenti Ordinis.

Sententia confirmatur ex doctrina Concilii Trid., quod, Sess. XIV, cap. III, proprios Extremæ Unctionis ministros designans ait, eos esse Ecclesiæ Presbyteros: *Quo nomine,* inquit, *non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt; sed aut Episcopi, aut Sacerdotes, ab ipsis rite ordinati, per impositionem manuum Presbyterii.*

Deinde manuum impositionem, et quidem solam *secundam*, tota Ecclesia semper usurpavit, ut patet ex omnibus antiquis ritualibus tam Græcis quam Latinis; ita ut, præter eam nihil, in ordine ad materiam, constanter commune fuerit Græcis et Latinis. Ex quo merito concluditur Apostolos illam a Christo acceptam, ecclesiis a se fundatis tradidisse.

non vero in prima,

Præfata ad solam *secundam* manuum impositionem referuntur. Nam quod ad *primam* attinet, si *in se* spectetur, juxta omnes est mere cæremonialis, nullatenus vero materia Sacramenti : cum enim eadem formam correspondentem non habeat, nec decem prioribus Ecclesiæ sæculis in usu fuerit, ut testantur eruditissimi scriptores, qui antiqua ritualia diligenter perscrutati sunt, ad ordinationis essentiam pertinere non potest. Dictum est, si *in se* spectetur, quia plures autumant primam manuum impositionem a secunda non differre, sed esse ipsius initium, « quod utramque inspicienti est manifestum; » ait Benedictus XIV, *De Syn. diœc.*, lib. 8, cap. 10, n. 4. Sic etiam facile refelluntur pauci qui rejiciunt primam sententiam, sub obtentu quod *secunda* manuum impositio non sit proprie dicta impositio, sed potius extensio vel suspensio, nec cuilibet ordinando singillatim applicetur.

nec in tertia.

Tertia manuum impositio non videtur ad essentiam Sacramenti pertinere, tum quia ab Orientalibus ecclesiis nunquam fuit adhibita, quarum tamen ordinationes Ecclesia Romana ut validas agnoscit; tum quia in antiquis Latinæ Ecclesiæ ritualibus nulla ejusdem fit mentio. Addi potest quod Presbyteri, jam ante hanc manuum impositionem, dicantur ac revera censeantur *ordinati*, quandoquidem cum Episcopo Eucharistiam consecrarunt et Sacrificium obtulerunt.

Objectio solvitur.

Auctores qui tertiam impositionem manuum essentialem dicunt, ut Estius, Bellarminus aliique, præcipuum argumentum ex eo desumunt, quod sub hac impositione Episcopus dicat, *Accipe Spiritum Sanctum*, etc. Atqui, aiunt, Concilium Tridentinum definivit, Sess. XXIII, can. IV, in ordinatione non frustra Episcopum dicere, *Accipe Spiritum Sanctum*. Ergo per hanc impositionem et verba eidem correspondentia vere datur

Spiritus Sanctus seu effectus Sacramenti Ordinis, adeoque ibi adest vera illius materia et forma.

Huic argumento fit satis dicendo quod verba, *Accipe Spiritum Sanctum*, etc., potestatem per manuum impositionem jam ante collatam, duntaxat magis declarent ac confirment. Hoc autem sufficit ut verificentur ea quæ habentur in laudato canone, in quo Concilium Tridentinum contra Novatores definire quidem voluit, quod inanis non sit ordinatio, quod nimirum in ipsa detur Spiritus Sanctus, non autem quod detur præcise vi verborum, *Accipe Spiritum Sanctum*, uti observatum fuit N°. præc.

Quid judicandum de secunda sententia, quæ ut materiam ponit solam instrumentorum traditionem?

R. Juxta sententiam hodie communem, traditio instrumentorum, id est, calicis et patenæ cum pane et vino, cui modica aqua admixta est, non videtur essentialis materia ordinationis Presbyterorum. Etenim nec in Scriptura sacra, nec in SS. Patribus aut Conciliis, nec in antiquis ritualibus verbum de ipsa occurrit; imo constat eam nonnisi sæculis X et XI in Ecclesia Latina invaluisse, in ecclesiis vero Orientalibus nunquam adhibitam esse et ne hoc quidem tempore adhiberi. Ex quibus juste infertur eam nec ab Apostolis usurpatam, adeoque nec a Christo institutam fuisse. Insuper quando instrumentorum traditio usu jam erat introducta, minime considerata fuit ac si ad ordinationis essentiam pertineret. Nullum enim ad hoc comprobandum afferri potest decretum sive Summi alicujus Pontificis sive Concilii; dum econtra ex scriptoribus, qui primi de ea sunt locuti, constat, illam habitam fuisse ut mere cæremonialem. Ita Hugo a S. Victore, lib. 2, *De Sacramentis*, part. 3, cap. 12, dicit : « Accipiunt et calicem cum vino et patenam » cum hostiis de manu Episcopi, quatenus his instru- » mentis potestatem se accepisse agnoscant placabiles » hostias Deo offerendi.» Quod iisdem fere verbis enuntiat Petrus Lombardus, lib. 4, dist. 24, sic loquens : « Accipiunt calicem cum vino, et patenam cum hostiis, » ut per hoc sciant se accepisse potestatem placabiles » Deo hostias offerendi. » In his textibus non dicitur

Materia non consistit in traditione instrumentorum.

accipere sed *accepisse*, ut indicetur, potestatem illam jam ante acceptam fuisse, nimirum per præcedentem manuum impositionem. Igitur traditio instrumentorum, primitus nonnisi ad clariorem potestatis sacerdotalis expressionem ac majorem ordinationis solemnitatem inducta videtur.

Argumenta patronorum secundæ sententiæ,

Auctores qui sustinent, traditionem instrumentorum esse de essentia ordinationis, hæc præcipue argumenta afferunt :

Primum est, quod Concilium Florentinum in decreto ad Armenos id aperte doceat his verbis : *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo : sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane traditionem;* et paulo inferius : *Forma Sacerdotii talis est : Accipe potestatem offerendi Sacrificium*, etc. Nec dicatur, subdunt, Concilium loqui de materia et forma accidentali seu integrali; nam tunc sequeretur nullam mentionem fieri materiæ et formæ essentialis Sacramenti Ordinis, quas tamen pro quolibet alio Sacramento Patres Florentini assignant.

Secundum argumentum est, quod asseri non possit Episcopum, sub instrumentorum traditione, frustra dicere: *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare*, etc., adeoque per illa verba et traditionem instrumentorum potestas et gratia conferatur; unde sequitur hic haberi veram materiam et formam.

quibus respondetur.

His difficultatibus tamen nullatenus moventur, qui primam amplectuntur sententiam.

Ad primum argumentum respondent, Concilium Florentinum solum voluisse Armenos docere, quid suis ritibus addere deberent ut eosdem ritus ac Latini in ordinatione servarent, atque ita cum Ecclesia Romana plenius consentirent; minime vero intentionem habuisse decidendi instrumentorum traditionem esse essentialem. Et revera, licet Armeni hanc non adoptaverint, ipsorum tamen ordinationes, uti et aliorum Orientalium illam non usurpantium, validæ habentur; quinimo Concilium ad communionem admisit Episcopos et Sacerdotes qui sola manuum impositione ordinati fuerant.

Ad secundum argumentum respondetur quod per verba: *Accipe potestatem*, etc. non conferatur gratia sacramentalis, sed per ista significetur duntaxat, potestatem illam esse traditam, ut ex veterum scriptorum testimoniis supra citatis elucet.

Multi auctores, ut probent traditionem instrumentorum *hodiedum saltem* in Ecclesia Latina, ad materiam essentialem Sacramenti spectare, sustinent, Christum materiam Sacramenti Ordinis non determinasse *in specie*, sed *in genere* tantum, et Ecclesiæ commisisse facultatem assignandi res et verba convenientia ad significandas gratias quæ per hoc Sacramentum conferuntur; ita quidem, ut pro variis locis et temporibus Ecclesia varias res et verba determinare possit.

Sed, ut in tractatu *De Sacramentis in genere*, N°. 7, annotavimus, alii theologi et quidem fere omnes recentiores, negant, talem facultatem a Christo Domino Ecclesiæ fuisse concessam, atque asserunt, materiam et formam Sacramenti Ordinis etiam in specie a Christo determinatam fuisse, neque adeo Ecclesiam circa eas quidquam mutasse. Et certe, ostendi nequit, quod Christus potestatem illam Ecclesiæ tribuerit; imo oppositum sequi videtur ex Concilio Tridentino, quod, Sess. XXI, cap. II, declarans perpetuo potestatem in Ecclesia fuisse mutandi pro circumstantiis ea quæ Sacramentorum dispensationem concernunt, hanc addit limitationem: *salva illorum substantia.* Jamvero mutatio materiæ ac formæ essentialis et necessariæ, omnino ad substantiam pertinet. Deinde, supposito quod tanta facultas Ecclesiæ fuerit relicta, nondum constat instrumentorum traditionem ab Ecclesia eo sensu esse introductam, ut materia Sacramenti fieret: econtra ex testimoniis veterum scriptorum, de quibus supra, patet eam alio intuitu fuisse invectam.

Quid opinandum de tertia sententia, quæ pro materia essentiali assignat, tum instrumentorum traditionem, tum tertiam manuum impositionem cum forma: Accipe Spiritum Sanctum, etc. ?

R. Hæc sententia non videtur posse admitti. Habet enim contra se 1°. omnia argumenta quibus secunda sententia, de instrumentorum traditione, evertitur; et

Materia non sunt traditio instrumen-

torum et tertia manuum impositio ; 2°. illas rationes quibus ostenditur non tertiam impositionem manuum sed secundam esse essentialem Presbyteratus materiam.

An nullus alius ritus, v. g. unctio manuum, est de materia essentiali?

nec ullus alius ritus. R. Unctionem manuum ad essentiam ordinationis Presbyterorum non pertinere, ex eo iterum certum est, quod numquam in Ecclesiis Orientalibus, nec semper in Latina viguerit, uti probant tum silentium ritualium, tum expressa Nicolai I verba. Hic enim Pontifex, *Epist.* 19, quam scribit ad Episcopum Bituricensem, sæculo IX, testatur, in Ecclesia Romana nec Presbyteris nec Diaconis manus perungi.

Essentiales a fortiori non sunt cæteræ cæremoniæ in Pontificali descriptæ. Ipsis tamen pretium ac dignitas non deest, propter sacras significationes, quæ maximam his ritibus venerationem conciliant.

Quænam est forma Presbyteratus?

Variæ ponuntur Presbyteratus formæ, juxta varias sententias quoad materiam. R. Uti de materia, sic etiam circa formam varie sentiunt theologi.

1°. Ii qui defendunt, solam secundam manuum impositionem, esse materiam essentialem hujus Sacramenti, dicunt formam sitam esse in precibus quæ illam comitantur, alii tamen plura, alii pauciora ex memoratis verbis tamquam formam assignant.

2°. In sententia quæ tenet, solam traditionem instrumentorum esse materiam essentialem, Sacramenti formam constituunt huic ritui conjuncta verba : *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo*, etc.

3°. Sententia quæ contendit, tam instrumentorum traditionem quam impositionem manuum esse materiam essentialem, consequenter ponit duas formas partiales, illas nimirum quæ prædictis materiis correspondent.

Auctores qui vel primam vel secundam opinionem amplectuntur, docent, unica materia et forma indicata, utramque Sacerdotii potestatem, nempe consecrandi Eucharistiam et peccata remittendi, simul conferri. Qui vero duplicem materiam et formam admittunt, duplicem potestatem separatim dari existimant.

Quod Apostolos attinet, alii dicunt, ipsos utramque potestatem simul accepisse in ultima Cœna; cum ibi

Sacerdotes et Episcopi plene effecti fuerint; alii vero asserunt eos in ultima Cœna solummodo potestatem accepisse consecrandi et ministrandi Eucharistiam; potestatem autem remittendi peccata tunc solum ipsis esse collatam, cum Christus post Resurrectionem suam in discipulos insufflavit eisque dixit, Joan. XX: *Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata*, etc. De ritu pro Apostolis adhibito vide N. 5, in objectione.

Controversiam de materia et forma Presbyteratus hoc numero agitatam et paucis verbis contractam late evolvunt atque e monumentis vetustis illustrant auctores in his rebus versatissimi, præcipue Hugo Menardus, in *Notis ad lib. Sacrament. S. Gregorii;* Morinus, op. cit., part. 3, exercit. 7, cap. 1 et seqq.; Martene, *De antiq. Eccl. ritib.*, lib. 1, cap. 8, art. 9.

Controversiæ præcedentis conclusio practica

His jam expositis, operæ pretium est notare quod, quæcumque circa materiam et formam sententia eligatur, huic nonnisi *speculative* inhærere quis possit. Omnes enim ritus, de quibus controvertitur, utrum sint necne essentiales, in praxi æque ab omnibus et quidem accurate servari debent. Ratio est, quia Pontificale illos exhibet ut ab Ecclesia præscriptos, ac præterea, quia sententiæ contrariæ sua probabilitate non carent.

Quid facto opus, si defectus fuit admissus seu ritus omissus in ordinatione Presbyterorum ?

Defectus in ordinatione admissi debent suppleri.

R. Ritus aliquis *notabilis* omissus, sive pertineat ad essentialia ordinationis, sive sit mere cæremonialis seu accidentalis, ab Episcopo caute suppleri debet. Quocirca, juxta monitum Benedicti XIV, *De Syn. diœc.*, lib. 8, cap. 10, n. 12, sequentia optime annotavit Natalis Alexander, *Theol. dogm. et moral., de Sacr. Ordin.*, cap. 1, art. 7, § 2: « Si quis horum rituum, qui ad » materiam, vel formam pertinent, secundum varias » theologorum opiniones, in ordinatione fuerit omis- » sus, verbi gratia manuum impositio prima, vel ad- » juncta oratio; aut calicis cum vino et aqua, et patenæ » cum hostia traditio, adjunctave formula verborum, » aut unctio, aut denique manuum impositio postrema, » vel hæc verba ipsam concomitantia: *Accipite Spiritum* » *Sanctum*, etc., supplere deberet Episcopus, quod in

» ordinatione fuisset incaute prætermissum, ut colli-
» gitur ex cap. *Pastoralis*, et ex cap. *Presbyter, extra,*
» *De sacramentis non iterandis.* »

Aliquando tota ordinatio est reiteranda.

Insuper, ob defectus admissos, tota ordinatio aliquando est reiteranda; hæc tamen quæstio, utpote limites nostri instituti prætergrediens, nobis tractanda non videtur. Legi potest Benedictus XIV, loc. cit.; et S. Alphonsus, *De Ordine*, n. 758, et *Examen ordinandorum*, n. 94.

Quoad tempus quo præfati defectus suppleri debent, hæc habet S. Auctor in opere ultimo allegato : « Si
» (defectus) sint circa accidentalia, probabiliter quo-
» vis tempore suppleri possunt : si vero circa essen-
» tialia, idem dicunt Salmanticenses cum aliis : sed
» ex probabiliori et communiori sententia supplendi
» sunt temporibus statutis ordinationum, ut colligitur
» ex cap. *Presbyter, De Sacr. non iter.*, nisi agatur de
» solo dubio validitatis ordinationis, ut probabiliter
» plures DD. opinantur. »

Monitum practicum.

Opportune auctores hic notant, abjiciendos esse scrupulos, qui circa ritus in ordinatione servandos aliquando occurrunt : tum quia in re tanti momenti, ipse Episcopus ordinans, ad errores præcavendos, maximam curam adhibet, ejusque assistentes iis omnibus, quæ in ordinatione peraguntur, sedulo invigilant; tum etiam quia in longa actionum serie facile una alterave earum ex ordinati memoria excidere potest.

Quomodo definitur Presbyteratus ?

Presbyteratus definitur.

R. *Est Ordo sacer et Sacramentum, quo potestas confertur consecrandi Corpus Christi, peccata remittendi, et quædam alia Sacramenta administrandi.*

N. 8. De Diaconatu.

Vocis Diaconi significatio

Nomen græcum διάκονος idem significat ac latine *minister*, et a scriptoribus ecclesiasticis duplici sensu usurpatur : late nimirum pro quocumque rei cujuslibet ministro, et stricte pro ministro rei sacræ. Hoc sensu in Ecclesia *Diaconus* dicitur qui Diaconatus Ordine insignitus est.

Diaconi ab auctoribus ecclesiasticis sæpe vocantur *Levitæ*, nempe ob eorum officii similitudinem cum ministerio Levitarum Veteris Testamenti; sicut enim Levitæ Sacerdotibus Veteris Legis subserviebant, ita quoque in Nova Lege Diaconi Sacerdotibus ex officio ministrant. Unde dicit S. Hieronymus, *Epist. ad Evangelum : Ut sciamus traditiones Apostolicas sumptas de Veteri Testamento, quod Aaron et filii ejus atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi et Presbyteri et Diaconi vindicent in Ecclesia.*

Quibus præcipue ritibus confertur Ordo Diaconatus?

Ritus in ordinatione Diaconi adhibiti describuntur.

R. Præcipui ritus, qui in ordinatione Diaconorum adhibentur, sunt sequentes :

1°. Episcopus, præmissa admonitione de Diaconorum officiis et obligationibus, clerum et populum invitat ad orandum, ut Deus super ordinandos benedictionis suæ gratiam clementer effundat. Dein, extensis manibus ante pectus, incipit Præfationem.

2°. Manum dexteram extendens, ponit super caput cuilibet ordinando, dicens singulis : *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo, et tentationibus ejus. In nomine Domini.*

3°. Deinde tenens manum dexteram extensam, prosequitur Præfationem usque ad finem.

4°. Imponit cuilibet ordinando stolam et dalmaticam, sub verbis præscriptis.

5°. Tradit omnibus librum Evangeliorum, quem manu dextera tangunt, dicens : *Accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Domini.*

6°. Vertens se Pontifex ad ordinatos, dicit orationes : *Exaudi Domine*, etc.

An Diaconatus est Ordo sacer et Sacramentum?

Diaconatus est Ordo sacer et Sacramentum.

R. In ordinatione Diaconi verum et proprie dictum Sacramentum conferri negarunt aliqui theologi, inter quos præcipui sunt Durandus et Cajetanus, quamvis profiterentur Diaconatum esse Ordinem sacrum.

Calvinus vero aliique novatores non solum dignitatem Sacramenti Diaconatui abjudicarunt, sed contenderunt illum non esse nisi deputationem quamdam ad ministerium mere profanum, cujusmodi est præsidere mensis,

et eleemosynas, a fidelibus oblatas, in viduas ac pauperes erogare.

At certum est, Diaconatum ab initio Ecclesiæ fuisse Ordinem sacrum ; licet enim Apostoli constituerint primos Diaconos occasione desumpta ab officio illorum secundario, a cura scilicet viduarum et pauperum, nihilominus statim ab initio ad munia multo excellentiora et spiritualia eos destinarunt, ut evidenter patet ex manuum impositione, qua eos inaugurarunt, Act. VI, aliisque argumentis tum ex Scriptura, tum ex Traditione deductis, uti supra, N°. 3, ostensum fuit.

Communis etiam est theologorum sententia, Diaconatum esse verum et proprie dictum Sacramentum, quod sub Sacramento Ordinis, tamquam species quædam sub genere non secus ac Episcopatus et Presbyteratus comprehenditur. Hæc sententia adeo certa est, ut plures non dubitent asserere, eam sine temeritate negari non posse. Imo Vasquez et quidam alii dicunt, eam ad fidem pertinere ; sed communiter tradunt theologi, quæstionem non esse fide definitam, uti docet Bellarminus, *De Sacramento Ordinis*, cap. 6 : « De Diaconis, » inquit, « valde probabile, et » omnino tenendum est eorum ordinationem Sacra- » mentum esse, licet non sit certum ex fide. Quod » non sit certum ex fide, patet, quia non potest » id evidenter deduci ex verbo Dei scripto, vel tra- » dito; neque extat ulla Ecclesiæ de hac re ex- » pressa determinatio. »

Proba Diaconatus Ordinem esse verum et proprie dictum Sacramentum.

Diaconatum esse Sacramentum probatur.

R. Probatur. In ordinatione Diaconi inveniuntur tria illa quæ ad Sacramentum proprie dictum requiruntur; scilicet, signum sensibile, institutio divina et collatio gratiæ. Ergo, etc.

Prob. antec. In ordinatione Diaconi habetur :

1°. *Signum sensibile,* nimirum impositio manuum et oratio, quem ritum in ordinatione primorum Diaconorum adhibuerunt Apostoli, quem Ecclesia semper adhibuit atque etiamnum adhibet.

2°. *Institutio divina.* Etenim Diaconos ex ordinatione divina constituerunt Apostoli, uti, N° 3, probatum fuit.

Idem conficitur ex jam sæpius citato canone VI, Sess. XXIII Concilii Tridentini, quo definitur, *ministros* pertinere ad Hierarchiam *divina ordinatione* institutam; jamvero inter ministros primo loco veniunt Diaconi, adeoque saltem hi sunt ex institutione divina.

3°. *Collatio gratiæ.* Gratiam conferri in ordinatione Diaconi indicat ritus ab Apostolis primum et dein ab Ecclesia usurpatus, manuum scilicet impositio cum oratione adjuncta, quæ nihil aliud sunt quam divinæ gratiæ ac cœlestis Spiritus invocatio, et signum præsentis divinæ protectionis ac virtutis. *Caro*, inquit Tertullianus, *Lib. de resurrectione*, cap. 8, *manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur.* Deinde dispositiones, quas Apostoli, Act. VI, requirunt in eligendis ad Diaconatum, ut sint nimirum *viri boni testimonii, pleni Spiritu Sancto et sapientia,* certo denotant sanctitatem et gratiam ministerii, ad quod promovendi erant. Idem confirmatur ex Apostolo qui pluribus in locis, signanter Philipp. I, 1, et 1 Tim. III, conjungit Diaconos cum Episcopis et quasi easdem dotes in Diaconis ac in Episcopis requirit. Demum Concilium Tridentinum, Sess. cit., can. IV, pronuntiat : *Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere, Accipe Spiritum Sanctum;... anathema sit.* Jam vero in ordinatione Diaconi Episcopus solemniter invocat Spiritum Sanctum super ordinandos, imo apud Latinos profert hæc ipsa verba : *Accipe Spiritum Sanctum.*

Objectiones.

Objicitur 1°. In Sacramento Ordinis imprimitur character, et ideo datur potestas ad conficienda Sacramenta, sicut per Baptismum imprimitur character quo datur potestas ad ea suscipienda. Atqui Diaconus vi suæ ordinationis non recipit potestatem conficiendi ullum Sacramentum. Ergo Diaconatus non habet rationem Sacramenti.

R. 1°. Neg. majorem, quæ nititur falso supposito. Etenim in objecta difficultate supponitur quod omnis potestas seu character sacramentalis datur ad conficienda vel suscipienda Sacramenta; sed hoc falsum est, ut patet ex Confirmatione, cujus character

non tribuit potestatem conficiendi Sacramenta, neque ea suscipiendi, quoniam a non confirmato omnia valide suscipiuntur. Cfr. tract. *De Sacramentis in genere*, N°. 27.

2°. Dist. min. Diaconus vi suæ ordinationis non recipit potestatem conficiendi Sacramenta proprie et immediate, conc.; non recipit potestatem dispensandi Sacramenta, et ad eorum confectionem ex officio concurrendi, nego. Diaconorum enim munus proprium est, Sacerdoti celebranti proxime assistere, et sic mediate ad Sacrificium Eucharisticum offerendum ex officio concurrere. De hoc munere Diaconorum concurrendi ex officio ad oblationem Sacrificii Eucharistici agit S. Ambrosius, *De officiis*, lib. 1, cap. 41, ubi S. Laurentium Diaconum introducit alloquentem Pontificem S. Sixtum his verbis : *Quo, Sacerdos sancte, sine Diacono properas tuo? Nunquam Sacrificium sine ministro offerre consueveras.* Idem Diaconorum munus extollens S. Isidorus, hyperbolice exclamat, *De officiis ecclesiasticis*, lib. 2, cap. 8 : *Sine ipsis* (Diaconis) *Sacerdos nomen habet, officium non habet.*

Obj. 2°. Per characterem sacramentalem datur potestas aliquid faciendi quod, si fieret ab aliquo hunc characterem non habente, non solum illicitum, sed et invalidum foret; sic Presbyter accipit potestatem consecrandi Eucharistiam, quod nullo modo facere potest, qui Presbyteratum non suscepit. Atqui in Diaconatu non confertur potestas aliquid faciendi, quod ab aliis præstitum, invalidum foret; etenim solemniter baptizare, prædicare, Eucharistiam fidelibus dispensare, quæ sunt inter præcipua Diaconorum munia, si alius, qui Diaconatum non suscepit, præsumeret, illicite profecto ageret; non tamen quod faceret, irritum foret. Ergo Diaconatus non imprimit characterem, et proinde non est Sacramentum.

R. Neg. maj., scilicet falsum est quod per characterem necessario tribuatur potestas aliquid præstandi, quod a characterem non habente præstitum, irritum foret. Id quidem in Sacerdotio locum habet, sed necesse non est, ut omnis character sacramentalis ejusdem sit conditionis; admitti enim potest character qui

imprimatur ad bene aut melius aliquid operandum, ut patet ex charactere Confirmationis, qui datur ad intrepide et constanter profitendam fidem; et nihilominus sine Confirmatione multi fidem ad sanguinis effusionem usque professi sunt, quamvis confirmati, ratione Sacramenti et characteris, principaliorem gratiæ promissionem habeant ad id præstandum.

Objiciuntur demum nonnulli textus SS. Patrum, dicentium, Diaconos ab Apostolis constitutos fuisse, unde concluditur, Patres in ea fuisse persuasione, quod Diaconatus non sit a Christo institutus, adeoque Sacramenti rationem habere nequeat. Verum, allata Patrum testimonia respiciunt electionem primorum Diaconorum et eorumdem ordinationem, quæ reipsa ab Apostolis facta est; sed, uti, N°. 3, notatum fuit, Apostoli id fecerunt de mandato Christi, qui propterea dici debet instituisse Diaconatum, relicta Apostolis libertate eos, quos dignos judicarent, ad hoc officium promovendi.

Quænam est materia et quænam forma Diaconatus?

R. I. Juxta sententiam hodie communem materia est sola manuum impositio, forma vero oratio ei conjuncta.

Materia Diaconatus est sola manuum impositio, forma vero est oratio impositioni conjuncta.

Sententia hæc probatur : 1°. quia de sola manuum impositione et oratione fit mentio in Scriptura sacra, in Conciliis, SS. Patribus et antiquis ritualibus; 2°. quia in Diaconorum ordinatione hic solus ritus adhibetur ab Ecclesia Græca; si igitur solus non sufficeret, dicendum foret Ecclesiam Græcam veris Diaconis carere, quod absurdum est.

Cum autem dicitur, formam Diaconatus esse orationem impositioni manuum conjunctam, per orationem non intelliguntur verba, *Accipe Spiritum Sanctum ad robur,* etc., quæ imperativo loquendi modo enuntiantur; sed intelligitur oratio, quæ per modum Præfationis dicta verba præcedit et subsequitur. Ratio est quia verbis, *Accipe Spiritum Sanctum* etc., Ecclesia Latina non nisi a paucis sæculis, Ecclesia vero Græca nunquam usa est; de quo Morinus, op. cit., part. 3, exercit. 9, cap. 2, n. 2; et Martene, loco supra indicato. Hic recole dicta N°. 6, ex quibus patet, hanc sententiam non repugnare canoni IV, Sess. XXIII Conc. Trid.

Traditio libri Evangeliorum non est partialis materia,

II. Plures theologi, inter alios Thomas ex Charmes, Sylvius, Billuart, etc. docent, duplicem esse Diaconatus materiam, videlicet manuum impositionem, et libri Evangeliorum traditionem; pro forma vero assignant verba, quæ ab Episcopo pronuntiantur tum in manuum impositione, tum in traditione libri Evangeliorum. Traditio autem libri Evangeliorum ad essentiam Diaconatus non videtur pertinere, cum in Ecclesia Latina non semper fuerit in usu; patet enim ex antiquis ritualibus ante annum 800um scriptis, traditionem illam non nisi post dictam epocham invaluisse : deinde in Ecclesia Græca nequidem hodierno tempore talis ritus existit.

nec est materia totalis,

III. Aliqui, ut Vasquez et Bonacina, tenuerunt solam traditionem libri Evangeliorum cum sua forma, Diaconatus essentiam constituere. Nituntur illi : 1°. auctoritate S. Thomæ dicentis, Supplem. quæst. 37, art. 5, ad 5 : *In ipsa libri datione imprimitur character;* 2°. auctoritate Concilii Florentini, quod in decreto ad Armenos habet : *Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem* confertur. Sed contra hanc sententiam militant eædem rationes quæ contra præcedentem allatæ sunt. Ad auctoritatem vero Concilii Florentini respondetur, Eugenium IV non intendisse ordinationis essentiam assignare, sed tradere ritum in Ecclesia Latina usurpatum, ut Armeni illum deinceps non negligerent. De manuum impositione non loquitur, quia sciebat eam ab ipsis non omitti; et hoc eo probabilius apparet, quod idem Concilium Florentinum, præsidente eodem Pontifice, ratam habuerit ordinationem Græcorum, etsi sola manuum impositione collatam.

neque alii ritus sunt essentiales.

Multo minus ad essentiam ordinationis Diaconi pertinet traditio stolæ et dalmaticæ atque alii ritus supra descripti.

Monitum practicum

Equidem omnes illi ritus accurate servandi sunt, et, ut supra de ordinatione Presbyteri notatum est, si forte quid notabile prætermissum fuerit, id caute supplendum foret.

Quomodo definiri potest Diaconatus?

Diaconatus definitur.

R. Diaconatus recte definiri potest : *Ordo sacer et Sacramentum, quo potestas traditur ad proxime assi-*

stendum Sacerdoti celebranti, et Evangelium solemniter cantandum.

N. 9. De Subdiaconatu.

Vocabuli Subdiaconi significatio.

Subdiaconus, græce ὑποδιάκονος, idem est ac latine *subminister*, et sic vocatur quia Diacono inferior est, eique in ministerio altaris subservit.

Apud Latinos jam sæculo III de Subdiaconis mentionem faciunt S. Cyprianus, *Epist.* 2, 14 ac 24 (edit. Migne); et S. Cornelius Pontifex, *Epist. ad Fabium Antiochenum*, quam refert Eusebius, *Hist. ecclesiast.*, lib. 6, cap. 43. Porro in Concilio Carthaginensi IV, anni 398, cap. 5, ritus ordinationis Subdiaconorum describitur.

Apud Græcos vero serius Subdiaconorum mentio occurrit. S. Athanasius tamen, qui sæculo IV floruit, vocem ὑποδιάκονος usurpat, *Historia Arianorum ad Monachos*, n. 60. Nec desunt, qui contendunt Concilium Laodicenum, anno 320 celebratum, de Subdiaconis locutum fuisse; vocabulo enim ὑπηρέτης, quod can. 21, 22 et 24 occurrit, Subdiaconos designari putant.

Mentio quidem de iisdem fit apud S. Ignatium Mart., *Epist. ad Antiochenos*, cap. 12, et in Constitutionibus Apostolicis sub Clementis Romani nomine vulgatis, lib. 8, cap. 21; at hæc, sicut et alia loca a quibusdam citata, a pluribus supposititia habentur, adeoque probandi vi carent.

Quibus ritibus Subdiaconorum ordinatio perficitur?

Ritus in ordinatione Subdiaconorum adhibiti describuntur.

R. In Ecclesia Latina adhibentur sequentes præcipui ritus:

1°. Præmissa gravi admonitione circa officia Subdiaconorum, Pontifex tradit omnibus calicem vacuum cum patena vacua superposita, quem successive manu dextera singuli tangunt, Pontifice dicente: *Videte, cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Dein Archidiaconus tradit eis urceolos cum vino et aqua, ac bacile cum manutergio, quæ omnia similiter tangere debent.

2°. Pontifex adstantes invitat ad orandum secum,

ut Deus super electos infundat benedictionem suam et gratiam, ac deinde recitat orationem : *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos*, etc.

3°. Pontifex singulos induit amictu, manipulo et tunica sub præscriptis verborum formis.

4°. Pontifex tradit omnibus librum Epistolarum, manu dextera ipsum simul tangentibus, dicens : *Accipite librum Epistolarum, et habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Patris*, etc.

In Ecclesia Græca, obtinet sola manuum impositio cum oratione.

An Subdiaconatus omni tempore in Ecclesia Latina tanquam Ordo sacer fuit habitus?

In Ecclesia Latina Subdiaconatum ab initio inter sacros Ordines numeratum fuisse, quidam affirmant,

R. Subdiaconatum in Ecclesia Latina esse *Ordinem sacrum*, atque inter eos, qui *majores* dicuntur, recensendum, aperte declarat Tridentina Synodus, Sess. XXIII, cap. II, et Doctores omnes sentiunt. Sed controvertitur, utrum Subdiaconatus semper inter Ordines sacros computatus fuerit.

Quidam, ut Wirceburgenses, affirmant, præsertim propter auctoritatem Patrum Tridentinorum, loc. cit. docentium *Subdiaconatum ad majores Ordines a Patribus et sacris Conciliis referri*. Attamen, qui huic sententiæ favent, Subdiaconatum Ordinem sacrum dicunt, quatenus tribuit spiritualem potestatem propius inserviendi in Sacrificio Altaris, et ultro concedunt, Subdiaconatum non semper fuisse Ordinem sacrum, si per Ordinem sacrum intelligatur Ordo cui continentiæ votum ecclesiastica lege annexum est.

plures negant.

Econtra recentiores fere omnes cum Morino, part. 3, exercit. 12, cap. 5, et Thomassino, *Vetus et nova Eccl. disciplina*, part. 1, lib. 2, cap. 33, putant, Subdiaconatum ab initio inter sacros Ordines non fuisse numeratum a Latinis, sicut et a Græcis etiam hodiedum inter minores Ordines recensetur. « Insigne hujus rei » documentum habemus, » inquit Perrone, « ex Synodo » Beneventana anno 1091 celebrata sub Urbano II, » quæ can. 1 decrevit, ut nullus in Episcopum eliga- » tur, nisi in sacris Ordinibus religiose vivens fuerit

» inventus; *Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum* » *et Presbyteratum; hos siquidem solos primitiva legitur* » *Ecclesia habuisse.* »

Quonam præcise tempore Latini cœperint Subdiaconatum inter sacros Ordines connumerare non ita liquet. Plures sentiunt cum Thomassino, eum ab Innocentio III inter sacros Ordines fuisse relatum, vel saltem non nisi sæculo XII, ut opinatur Perrone; Devoti vero id ab Urbano II peractum fuisse putat, de quo cfr. ipsius opus *Inst. canonic.*, lib. 1, tit. 2, sect. 2, § 28.

Ad verba autem Concilii Tridentini a prioris sententiæ patronis allegata, observat Tournely, quod Concilium non dicat « ab omni ævo relatum fuisse » Subdiaconatum inter sacros Ordines a Patribus et » Conciliis; sed hoc unum, relatum illum fuisse; et » hoc quidem verum est; a tempore enim Urbani II » aut Innocentii III dignitas Ordinis sacri Subdiaco- » natui accessit. »

An Subdiaconatus est Sacramentum?

Utrum Subdiaconatus sit Sacramentum controvertitur.

R. Utrum Subdiaconatui ratio Sacramenti conveniat, controvertitur inter theologos, qui in duplicem abeunt sententiam.

Primæ sententiæ affirmantis argumenta.

I. Prima sententia affirmat, eamque tenent Bellarminus, Sylvius, Wirceburgenses, Billuart, Berti, aliique ob rationes sequentes:

1°. Subdiaconatus mentionem faciunt antiquissimi scriptores, illumque non ut rem novam et recens inventam, sed velut usitatam habent; nec ullibi reperitur Subdiaconatum ab Ecclesia institutum fuisse; ergo juxta notam S. Augustini regulam illius origo ad tempora Apostolorum referri debet; quinimo a Christo institutum fuisse innuit Concilium Tridentinum, Sess. XXIII, can. VI, ubi definit Hierarchiam *divina ordinatione* in Ecclesia existentem constare ex Episcopis, Presbyteris, et *ministris;* inter ministros enim præcipui sunt Diaconi et Subdiaconi, et si Concilium solos Diaconos designare voluisset, dixisset simpliciter *Diaconis* loco *ministris.* Adest itaque institutio divina; adest insuper signum sensibile; imo specialis potestas et gratia confertur, adeoque omnia ad Sacramentum requisita in Subdiaconatu reperiuntur.

2°. Concilium Tridentinum, ead. Sess., can. III, definivit, Ordinem esse Sacramentum; et, cap. II, septem Ordines enumerans, Subdiaconatum simul cum Sacerdotio ac Diaconatu inter Ordines et quidem majores ponit; si ergo hi duo Ordines sint Sacramenta, uti supra probatum fuit, idem de Subdiaconatu dicendum est. Exposita sententia propter hæc et similia argumenta a S. Alphonso aliisque pluribus dicitur probabilis.

Secundæ sententiæ negantis argumenta.

II. Secundam sententiam, quæ negat Subdiaconatum esse Sacramentum, inter veteres propugnant Magister Sententiarum, Durandus aliique. Hos secuti sunt Morinus, Juenin, Tournely et plures recentiores; Liebermann eam valde probabilem, S. Alphonsus probabiliorem habent, et cl. Perrone non obscuris verbis eidem favet.

Argumenta autem, prolata ab iis qui Subdiaconatum Sacramentum esse inficiantur, ad sequentia reduci possunt:

1°. Pro Sacramento requiritur imprimis institutio divina. Jam vero Subdiaconatum a Christo institutum fuisse probari nequit; neque ex Scriptura, in qua nulla Subdiaconorum occurrit mentio; neque ex Traditione, cum veteres Patres non nisi Episcopos, Presbyteros et Diaconos tamquam divinitus institutos commemorent, ut ex testimoniis, N°. 3, allegatis, aliisque quam plurimis clare constat. Econtra plures scriptores ecclesiastici affirmant, Ordines Diaconatu inferiores, crescente multitudine fidelium, ab Ecclesia fuisse institutos. Ita Amalarius, *De officiis ecclesiasticis*, lib. 2, cap. 6.

2°. Antiquitus Diaconi aliquando ordinabantur, qui nullo inferiori Ordine prius insigniti erant, vel saltem non erant Subdiaconi, uti S. Joanni Chrysostomo contigisse affirmatur; quod pro arbitrio non fecisset Ecclesia, nisi censuisset, Subdiaconatum ad divinam institutionem non pertinere. Cfr. Morinus, loco supra citato, cap. 2.

3°. Argumentum deducitur ex supra citatis verbis Urbani II, qui in Synodo Beneventana declarat: *Hos siquidem solos* (Ordines, scilicet Diaconatum et Presbyteratum) *primitiva legitur Ecclesia habuisse.*

4°. Subdiaconatus in Ecclesia Latina sine manuum impositione confertur, uti testatur Concilium Carthaginense IV, et hodierna Ecclesiæ praxis confirmat. At Christus videtur pro materia Sacramenti Ordinis assignasse impositionem manuum, eique gratiam alligasse; unde et in tribus superioribus Ordinibus constanter adhibita fuit.

Ad argumenta vero prioris sententiæ responderi potest:

Patroni hujus sententiæ respondent argumentis fautorum prioris.

1°. Rationes allatæ non probant modo positivo, Christum instituisse Subdiaconatum, sed constituunt argumentum mere negativum, ex eo nimirum deductum, quod antiquissimi scriptores nullibi testentur, Subdiaconatum fuisse ab Ecclesia institutum. Insuper notandum, quod jam initio hujus Num. observavimus, primorum Patrum, qui de Subdiaconatu mentionem faciunt, testimonia uti spuria a pluribus haberi. Demum, Subdiaconatum esse institutionis divinæ minime sequitur ex citato canone VI Concilii Tridentini, ubi Concilium non adhibuit vocem *Diaconis* sed *ministris;* etenim dici potest, Concilium consulto adhibuisse vocem *ministris*, quia noluit quæstionem hanc inter theologos controversam sua definitione dirimere.

2°. Ad secundum argumentum prioris sententiæ dici potest, Concilium Tridentinum definivisse, Ordinem seu sacram ordinationem esse Sacramentum, sed nullibi sanctam Synodum expresse docuisse, quinam ex septem Ordinibus ab ipsa enumeratis, Sacramenti rationem habeant.

Duas has sententias cum suis respectivis argumentis breviter retulimus, quia utraque gaudet sua probabilitate etsi sententia negans, saltem hodiedum, videatur a theologis communius admitti.

Quænam est materia et forma Subdiaconatus?

Quid significant termini materia et forma in præsenti quæstione.

R. Prænotandum, per materiam et formam hic intelligi Subdiaconatus partes essentiales, etiam in sententia illorum qui putant, hunc Ordinem non esse Sacramentum. Quamvis enim, ut in tract. *De Sacramentis in genere,* N°. 5, dictum est, a theologis usurpati fuerunt termini philosophici *materia* et *forma* ad designandas res et verba, quibus tanquam partibus essentialibus

et intrinsecis componuntur Sacramenta, ob analogiam scilicet quæ est inter totum physicum et inter totum morale sacramentale, nihilominus adhiberi etiam possunt vocabula *materia* et *forma* pro partibus essentialibus et intrinsecis, quibus juxta institutionem Ecclesiæ componeretur Ordo, etiam in hypothesi quod talis Ordo non sit Sacramentum; cum enim partes istæ essentiales hujusmodi Ordinis constituant aliquod totum morale, talis Ordo, ob similem analogiam inter totum morale et totum physicum, recte dici potest constare materia et forma; etsi in hoc casu, ut patet, materia et forma non perficitur signum illud sensibile, significans gratiam, quæ in Sacramentis confertur ex opere operato.

Ad eamdem observationem attendi debet, ubi N°. seq. de materia et forma Ordinum minorum dicetur.

Subdiaconatus materia juxta multos est traditio calicis vacui cum patena vacua, forma sunt verba traditioni correspondentia.

His positis, respondetur ad quæstionem propositam: Multi putant, totalem materiam apud Latinos esse traditionem calicis vacui cum patena vacua, formam vero verba in hac traditione ab Episcopo prolata: *Videte, cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Hæc est sententia plurium scholasticorum, eamque probant ex eo quod Concilium Carthaginense IV et præsertim Concilium Florentinum solius hujus traditionis mentionem faciant.

Alii addunt traditionem libri Epistolarum pro partiali materia, et verba huic traditioni correspondentia pro partiali forma.

Fuerunt etiam qui calicis et patenæ traditioni, tanquam materiam essentialem superaddunt traditionem libri Epistolarum, cum forma, quæ constat ex verbis huic traditioni correspondentibus: *Accipite librum Epistolarum, et habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Patris*, etc.; quia per hanc traditionem significatur potestas Epistolas solemniter cantandi, quæ per hunc Ordinem confertur. Alii tamen, uti Sylvius, Steyaert et Billuart, existimant eam non esse de essentia.

Reliqui vero ritus, quibus Subdiaconorum ordinatio perficitur, a plerisque habentur tamquam meræ cæremoniæ.

Sententia

Quibusdam tamen, uti Morino, part. 3, exercit.

12, cap. 1, n. 4, non improbabile visum est, omnia quæ in hac ordinatione ab Ecclesia præcipiuntur, ad materiam essentialem referri, quia, cum Subdiaconatus juxta ipsos ab Ecclesia sit institutus, omnia in hac re ab Ecclesiæ quoque decretis pendere judicant. quorumdam Subdiaconatũ Sacramentum esse negantium.

Interim monet S. Alphonsus, sententiam, quæ assignat pro materia Subdiaconatus tam traditionem calicis cum patena quam traditionem libri Epistolarum, in praxi sequendam, utpote non improbabilem. Monitum practicum.

Quomodo definiri potest Subdiaconatus?

R. Subdiaconatus est *Ordo sacer, quo potestas confertur in Sacrificio Missæ ministrandi Diacono, et Epistolam solemniter cantandi.* Subdiaconatus definitur.

N. 10. De quatuor Ordinibus minoribus.

Ut N°. 4 dictum fuit, quatuor in Ecclesia Latina sunt Ordines minores, nimirum *Acolythatus*, *Exorcistatus*, *Lectoratus* et *Ostiariatus*, quorum nomina et propria uniuscujusque ministeria ab ipso Ecclesiæ exordio in usu fuisse docet Concilium Tridentinum, Sess. XXIII, cap. II; et eadem Sess., cap. XVII, de reform. In Ecclesia vero Græca, unus tantummodo ex his Ordinibus existit, scilicet *Lectoratus.* Quatuor Ordines minores apud Latinos.

Primus ordine dignitatis est Acolythatus, qui nomen græcum sortitus est, derivatum a verbo ἀκολουθέω, *sequor;* unde etiam Acolythus a Caio Pontifice *sequens* vocatur. Secundo loco venit Exorcistatus, sic dictus a præcipuo Exorcistarum officio expellendi dæmones per exorcismos, seu adjurationes, a græco ἐξορκίζειν, adjurare. Sequuntur Lectoratus et Ostiariatus, sic dicti a præcipuo cujusque officio, publice in ecclesia legendi, et ostium ecclesiæ custodiendi, aperiendi ac claudendi.

Quibus præcipue ritibus Ordines minores conferuntur?

R. Ordinationis Acolythorum præcipui ritus sunt sequentes: Describuntur ritus quibus conferuntur, 1°Acolythatus,

1°. Episcopus monet ordinandos de officiis et obligationibus Ordinis, quem suscepturi sunt.

2°. Pontifex accipit et tradit omnibus candelabrum cum candela extincta, quod successive manu dextera singuli tangunt, Pontifice dicente : *Accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accendenda ecclesiæ luminaria mancipari, in nomine Domini.*

3°. Accipit et tradit eis urceolum vacuum, quem similiter tangere debent, dicens : *Accipite urceolum, ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini.*

4°. Tandem Pontifex ad eos genuflexos conversus, orat et ipsos benedicit.

2°. Exorcistatus, Exorcistatus confertur his præcipue ritibus :

1°. Pontifex omnes admonet de officio hujus Ordinis et obligationibus eidem annexis.

2°. Pontifex accipit et tradit omnibus librum, in quo scripti sunt exorcismi, vel Pontificale aut Missale, quem manu dextera tangunt, Pontifice dicente : *Accipite, et commendate memoriæ, et habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.*

3°. Pontifex conversus ad ordinatos genuflexos, orat et ipsos benedicit.

3°. Lectoratus, Lectoratus confertur his præsertim ritibus :

1°. Episcopus monet ordinandos de officiis et obligationibus Ordinis, quem suscepturi sunt.

2°. Pontifex accipit et tradit omnibus codicem, de quo lecturi sunt, quem manu dextera tangunt, et dicit : *Accipite, et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.*

3°. Pontifex conversus ad ordinatos genuflexos, orat et ipsos benedicit.

4°. Ostiariatus. Ostiariatus tandem his ritibus confertur :

1°. Episcopus monet ordinandos de officiis et obligationibus Ordinis Ostiariorum.

2°. Pontifex accipit et tradit omnibus claves ecclesiæ, quas successive manu dextera singuli tangunt, Pontifice dicente : *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Post hæc Archidiaconus ducit eos ad ostium ecclesiæ, et facit illos claudere et aperire atque campanam pulsare.

3°. Pontifex ad ordinatos genuflexos conversus, orat et ipsos benedicit.

An Ordines minores sunt Sacramenta?

R. Circa hanc quæstionem rursus scinduntur theologi. Utrum Ordines minores sint Sacramenta controvertitur.

I. Plures ex iis qui tenent, Subdiaconatum esse verum et proprie dictum Sacramentum, idem de quatuor Ordinibus minoribus tanquam probabilius affirmant. Ita Sylvius, Wirceburgenses, Daelman, Billuart, Berti aliique; et pro hac sententia fere easdem adducunt rationes, quæ N°. præc. pro Subdiaconatu allegatæ fuerunt; scilicet: Exponuntur I, sententiæ affirmantis argumenta,

1°. Ab initio Ecclesiæ horum Ordinum ministeria in usu sunt, adeoque merito creduntur ab Apostolis jussu Christi introducta fuisse; deinde Ordines minores omnes habent specialem materiam et formam, quibus significatur potestas et gratia, quæ per ipsorum collationem accipiuntur; sicque adsunt omnia pro vero Sacramento requisita, nimirum institutio divina, signum sensibile et collatio gratiæ.

2°. Concilium Tridentinum, postquam, Sess. XXIII, can. II, definiverat præter Sacerdotium esse in Ecclesia Catholica alios Ordines majores et minores, sequenti canone sine ulla restrictione definivit, *Ordinem, sive sacram ordinationem esse vere et proprie Sacramentum, a Christo Domino institutum;* quod intelligi debet de quacumque ordinatione seu de quocumque Ordine, cum verba Concilii sint generalia et absque limitatione.

3°. Concilium Tridentinum, eadem Sess., can. VI, definit, in Ecclesia Catholica esse Hierarchiam *divina ordinatione* institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et ministris, ministrorum nomine profecto intelligens omnes, quos cap. II nominaverat; et hanc fuisse Concilii mentem tanto verosimilius apparet, quod, eodem capite II, affirmet, hos etiam Ordines ab initio Ecclesiæ in usu fuisse.

4°. Accedit auctoritas S. Thomæ docentis, Supplem. quæst. 35, art. 2, Ordines minores imprimere characterem, quod solis Sacramentis proprium est.

II. Econtra non pauci theologi cum Vasquezio, Morino, Juenin, Vuitasse, Habert, Tournely, S. Alphonso II, sententiæ ne-

gativæ argumenta.

de Ligorio, Liebermann, Perrone, probabilius habent, Ordines minores non esse Sacramenta ; quæ sententia his præsertim argumentis ex Morino, part. 3, exercit. 11, deductis fulcitur :

1°. Non desunt auctores antiqui qui affirmant, istos Ordines non fuisse ab Apostolis, sed, crescente fidelium multitudine, ab Ecclesia institutos.

2°. Ordines minores non iidem sunt in omnibus Orientis et Occidentis ecclesiis ; insuper temporis lapsu aliqui Ordines fuerunt abrogati, alii vero inducti veteribus incogniti. Sic Ecclesia Orientalis a multis sæculis nec Acolythos, nec Exorcistas, nec Ostiarios habet. Econtra Græci præter Lectores etiam *Cantores* seu *Psalmistas* habent, quorum mentio antiquitus etiam apud Latinos occurrit. Dein veteres insuper commemorant *Fossarios* in quibusdam ecclesiis fuisse. Jam vero Ordines, qui non semper, nec ubique nec ab initio Ecclesiæ extiterunt, non sunt institutionis divinæ, nec Sacramenta esse possunt.

3°. Qui ad altiores Ordines promovebantur apud antiquos, sæpe inferiores istos Ordines non susceperant, ita ut Diaconi interdum ordinarentur, qui nullo inferiori Ordine prius insigniti erant. Plura hujusmodi exempla tradit Morinus, loco citato, cap. 2. Sed Ecclesia hæc non tolerasset, si credidisset, inferiores Ordines esse institutionis divinæ.

4°. Tandem contendit Morinus, Ordines minores in veteri Ecclesia potius fuisse *officia* quam Ordines, eo fine ab Ecclesia instituta et collata, ne scilicet sacrorum rudes ac neophyti altioribus Ordinibus initiarentur, antequam fidei dogmata et Sacramentorum cæremonias in minori gradu positi didicissent.

Sane his argumentis Morini non levem probabilitatem nacta est sententia quæ negat, Ordines minores esse Sacramenta ; quinimo cl. Perrone tanti ponderis videntur rationum momenta a Morino allata, ut non dubitet asserere, quod ipsum inclinent imo et trahant in sententiam negantem.

Quænam est materia et forma Acolythatus?

Materia et forma

R. Materia illius est traditio urceoli vacui ; forma vero : *Accipite urceolum, ad suggerendum vinum et*

aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini. Quidam addunt traditionem candelabri cum candela sub hac forma : *Accipite ceroferarium cum cereo,* etc., sed juxta S. Thomam, Supplem. quæst. 37, art. 5, ad 6 ; item Sylvium et Daelman, non est essentialis. assignantur, 1°. Acolythatus,

Quænam est materia et forma Exorcistatus?

R. Materia est traditio libri exorcismorum, cujus loco tradi potest Missale vel Pontificale Romanum ; forma autem est : *Accipite, et commendate memoriæ, et habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.* 2°. Exorcistatus,

Quænam est materia et forma Lectoratus?

R. Materia est traditio *codicis de quo lecturi sunt,* ut ait Pontificale Romanum ; forma vero : *Accipite, et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.* 3°. Lectoratus,

Quænam est materia et forma Ostiariatus?

R. Materia est traditio clavium ecclesiæ ; forma vero : *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur.* 4°. Ostiariatus.

Nota. Nonnulli ex iis qui Ordines minores esse Sacramenta negant, opinantur pro illorum materia et forma assignanda esse omnia quæ Ecclesia in eorum collatione tradi et dici præcipit. « Cum enim » inquit Morinus, part. 3, exercit. 13, cap. 1, n. 1, « sint institu- » tionis ecclesiasticæ, illa instrumenta materiæ ratio- » nem induunt quæ Pontificale Romanum jubet in » ipsorum collatione tradi ; formæ vero, ea verba quæ » dum traduntur jubet idem Pontificale pronuntiari. » Observatio.

Quomodo quatuor Ordines minores definiri possunt?

R. Acolythatus est *Ordo, quo confertur specialis potestas in Sacrificio Missæ inserviendi, luminaria accendendo, ceroferaria deferendo, ac urceolos vini et aquæ præparando et porrigendo.* Ordinum minorum definitiones traduntur.

Exorcistatus est *Ordo, quo confertur specialis potestas legendi exorcismos super energumenos ad expellendum dæmonem.*

Lectoratus est *Ordo, quo confertur specialis potestas publice legendi in ecclesia, ac fidei rudimenta edocendi.*

Ostiariatus est *Ordo, quo confertur specialis potestas*

aperiendi ac claudendi ecclesiæ januas, et arcendi ab ipsa indignos dignosque admittendi.

De Ordinibus minoribus plura utiliter legi possunt in *Catechismo de Tonsura*, cap. 13, edito Mechliniæ, anno 1858.

N. 11. De Tonsura clericali.

S. Thom., Supplem. quæst. 40, art. 1, 2 et 3.

Etymologia vocis tonsura.

Vocabulum tonsura a *tondere* dicitur, quia in collatione Tonsuræ capilli clerici tondentur: sæpe vocatur *corona*, ob figuram orbis seu circuli quam præ se fert et sub qua gestatur.

Quid est Tonsura clericalis?

Tonsuræ clericalis definitio

R. Est *cæremonia sacra et initerabilis qua laicus baptizatus et confirmatus clero adscribitur, ad Ordines suscipiendos disponitur, ad beneficia ecclesiastica obtinenda et quædam officia in Ecclesia obeunda, idoneus redditur.*

explicatur.

Dicitur, *cæremonia sacra*, quia in collatione Tonsuræ, adhibentur ritus sacri, quibus ipsius effectus significantur.

Initerabilis, quia semel collata iterari non potest, etiamsi illicite recepta fuisset; aut tonsuratus, militia clericali derelicta, deinde, mutata mente, ad Ordines promoveretur; quo sensu sæpe responderunt SS. Congregationes, ut refert Fagnanus in cap. *Cum contingat, De ætate et qualitate et ordine præficiendorum*, lib. 1 Decretal.

Laicus baptizatus et confirmatus; his verbis Tonsuræ subjectum indicatur, nimirum masculus, qui Baptismum et Confirmationem suscepit.

Clero adscribitur, nam qui Tonsuram recipit, a statu laicali ad statum ecclesiasticum seu clericalem evehitur; quare in fine cæremoniæ Pontifex tonsuratos sic admonet: *Filii charissimi, animadvertere debetis, quod hodie de foro Ecclesiæ facti estis, et privilegia clericalia sortiti estis; cavete igitur ne propter culpas ista perdatis, et habitu bonisque moribus et operibus Deo placere studeatis. Quod ipse vobis concedat per Spiritum Sanctum suum.*

Ad Ordines suscipiendos disponitur, nam Ecclesia ob Ordinum dignitatem vult, ut nemo ad eos promoveatur, nisi prius Tonsura insignitus se ad eos rite præparaverit, sicut catechumeni ad Baptismum, novitii ad religiosam professionem et sponsi ad Matrimonium præparantur.

Ad beneficia.... idoneus redditur; tonsurati enim sunt capaces beneficia ecclesiastica possidendi, et exercendi jurisdictionem in foro externo; v. g. munus Vicarii generalis obeundi, suspendendi, excommunicandi, quorum laici capaces non sunt.

Hæc cæremonia vocatur etiam *prima tonsura*, quia est prima habilitatio ad Tonsuram clericalem deferendam.

Quinam sunt præcipui Tonsuræ ritus?

Proponuntur ritus quibus Tonsura confertur.

R. 1° Tonsurandi in habitu ecclesiastico, habentes superpelliceum super brachium sinistrum et candelam in manu dextra, genibus flexis se sistunt coram Pontifice, qui pro ipsis orat.

2°. Pontifex unicuique abscindit extremitates capillorum in fronte, in occipitio, ad utramque aurem et in medio capitis; et dum hoc peragitur, quilibet dicit : *Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.*

Decrevit S. Cong. Rituum, 12 Novembris 1831, ut Episcopus etiam hæc verba *proferat juxta morem.*

5°. Pontifex singulis superpelliceum imponit, dicens: *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.*

Recitantur etiam psalmi aliæque preces, quibus a Deo petitur, *ut* tonsuratis *donet Spiritum Sanctum, qui habitum religionis in eis in perpetuum conservet, et a mundi impedimento, ac sæculari desiderio corda eorum defendat...; ut... devoti in Ecclesia persistere, et vitam percipere mereantur æternam.*

Præfatorum rituum significationem videsis in *Catechismo de Tonsura.*

Quænam est origo Tonsuræ clericalis?

Prænotandum.

Extra dubium est, Tonsuram clericalem successivis temporibus ac in variis ecclesiis, aliam atque aliam præ se tulisse formam et figuram, uti late ostendunt

Morinus, opere citato, part. 3, exercit. 5; Thomassinus, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina,* part. 1, lib. 2, cap. 37; Martene, opere citato, lib. 1, cap. 8, art. 7. Quapropter, ut exemplo res illustretur, non est putandum, Tonsuram clericalem, a tempore quo ipsius usus vigere cœpit, constitisse in capillorum rasura qua summus capitis vertex nudus appareat. Per tempus sat diuturnum « in eo plane posita erat Tonsura, » ait Pellicia, *De Christianæ Ecclesiæ politia,* lib. 1, sect. 2, cap. 1, edit. Colon. 1839, « ut clerici breviori præ cæteris essent » coma, neque ubique obtinuerat in capite *capillorum* » *abrasio.* » Pro operis nostri limitibus in quæstione formæ non moramur, et solummodo inquirimus de antiquitate Tonsuræ sub qualicumque forma.

R. Prosper Fagnanus et alii canonistæ usum Tonsuræ ex divina Traditione ad nos pervenisse docent. Hanc vero opinionem auctores communiter rejiciunt, et Tonsuram habent uti ab Ecclesia institutam ; ipsi tamen non conveniunt in determinando tempus, quo Tonsura clericalis primum gestari cœpit.

Usus Tonsuræ est antiquissimus in Ecclesia,

Certum est usum clericalis Tonsuræ a summa antiquitate in Ecclesia existere. Hanc assertionem scriptores per facta historica ex remotissimis temporibus deprompta, stabilire contendunt. Inter alia nituntur documento, quod Baronius ad annum 58 ex Ammiano Marcellino refert : juxta illud, quidam Theodorus Presbyter, tempore Juliani Apostatæ, fuit ab ethnicis supplicio affectus, eo quod tondendo pueros, eos in clericos cooptaret. Addunt et hoc monumentum a Martene, op. et loc. cit., his verbis exhibitum : « Si qua sit fides, inquit, actis » martyrii S. Benigni Presbyteri, qui pro Christi nomi- » ne in Castro Divionensi sanguinem (sæc. II) profudit, » *a capite tonso* in cognitionem Terentii comitis devenit. » Sed et Prudentius qui sub finem sæculi quarti plu- » rimorum sanctorum martyrium versu cecinit, de S. » Cypriano Carthaginensi Episcopo scribens : *deflua,* » inquit, *cæsaries compescitur ad breves capillos.* »

imo ad Apostolos refertur.

Non desunt auctores, præsertim inter antiquos, qui Tonsuræ clericalis originem ab Apostolis, Petro signanter et Paulo, repetunt. Gregorius Turonensis, qui sæculo VI scripsit, lib. 1 *De gloria martyrum* , cap.

28, refert, Petrum Apostolum ad humilitatem docendam instituisse *caput desuper tonderi*. Sæculo VIII, venerabilis Beda, *Hist. Anglorum*, lib. 5, cap. 22, asserit, clericos in coronam attonderi, quia Petrus in memoriam Dominicæ Passionis attonsus est. In *Rerum ecclesiasticarum theoria* narrat S. Germanus, Patriarcha Constantinopolitanus, qui sub Leone Isaurico floruit, S. Petrum, derisionis ac ludibrii causa, ab eis qui illius sermoni non credebant, tonsum fuisse. Tandem Catechismus Romanus docet, usum Tonsuræ ad coronæ speciem, ex Apostolorum traditione esse acceptum, eamque gerendi consuetudinem a Divo Petro inductam.

Qua de causa Tonsura fuit instituta?

Varias ob causas fuit Tonsura instituta.

R. Calvinus, lib. 4 *Instit.*, cap. 19, § 27, asserit Tonsuram inde natam, quod priscis Ecclesiæ sæculis soli homines effeminati et delicati alerent comam; ideoque clericos jussos tondere caput vel radere, ne quam effeminati cultus speciem præ se ferrent; postea vero corruptioribus temporibus excogitata esse mysteria et significationes Tonsuræ attributas.

Perperam Tonsuræ clericalis institutionem et honestatem hoc modo hæresiarcha impugnat. Nam ex occasione qua, juxta supradicta, videtur Tonsura introducta, ex ipso ritu quo confertur, et ex verbis quæ tum ab Episcopo tum a tonsurando proferuntur, patet, eam esse institutam ut Christiani, qui Ecclesiæ servitio se mancipare volunt, per eam a laicis distinguantur, clero adscribantur, et Deo ac Ecclesiæ ministerio consecrentur.

Præterea sequentes rationes convenientiæ dat S. Thomas :

Prima desumitur a forma coronæ. *Corona*, ut ait S. Doctor, *est signum regni et perfectionis, cum sit circularis; illi autem qui divinis mysteriis applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem et perfecti in virtute esse debent.*

Secunda deducitur ex ipsa subtractione extremitatis capillorum, qui sunt corporis superfluitates, et quos nutrire ignominiosum est in viris, juxta Apostolum, I Cor. XI, 14 : hac cæremonia monentur clerici curas superfluas rerum temporalium resecare.

Tertia desumitur a partibus capitis in quibus Episcopus clericorum capillos tondet; scilicet, ut advertit S. Doctor, *ex parte superiori per rasuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus a contemplatione divinorum retardetur, et ex parte inferiori per tonsuram, ne eorum sensus temporalibus obvolvantur.*

An Tonsura est Ordo.

Tonsura non est Ordo,

Per ordinem hic non intelligimus statum quo clerici a laicis distinguuntur eosque præcedunt. Hoc enim sensu, Tonsura vocari potest ordo; et ita juxta Pontificale Romanum in degradatione tonsurati dicit Pontifex : *Deponimus, degradamus, spoliamus te et exuimus te omni ordine, beneficio et privilegio clericali.* Vox autem Ordo, ut hic sumitur, designat gradus, per quos ad Sacerdotium ascenditur. Quo posito,

R. Fagnanus et pauci alii canonistæ sustinuerunt, Tonsuram Ordinibus annumerandam et ut proprie dictum Sacramentum habendam esse, quia per eam tonsuratus insignitur charactere sacro, indelebili et initerabili, quo a laicis secernitur, atque etiam accipit spiritualem potestatem ad functiones sacras adimplendum. Sed theologi communiter docent, Tonsuram non esse Ordinem, eam cum S. Thoma habentes ut *præambulum* ad Ordines. Ratio est, quod Tonsura nullum officium importet circa altaris ministerium. Tonsurati quidem præ cæteris ad cantandum et psallendum in divinis officiis deputantur, sed hæc non constituunt ministerium peculiari titulo ad Eucharistiam pertinens. Apti fiunt ad actus potestatis in Ecclesia exercendos, de quibus supra diximus; hi autem actus non ad potestatem Ordinis, sed ad potestatem jurisdictionis spectant. Deinde Tonsura neque in Conciliis neque in ritualibus inter Ordines recensetur. Concilium Tridentinum eam ab Ordinibus expresse distinguit, dum, Sess. XXIII, cap. II, dicit : *Diversos ministrorum Ordines ita esse distributos, ut qui jam clericali Tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent;* et Catechismus Concilii Tridentini tradit, Tonsuram esse quamdam præparationem ad Ordines. Ex quibus omnibus manifestum est eam ab Ecclesia ut Ordinem non haberi.

sed est præparatio ad Ordines.

Porro, si Tonsura inter Ordines non computatur, a fortiori nec rationem Sacramenti habet. Non est Sacramentum.

Quinam sunt effectus Tonsuræ?

Sunt : 1°. translatio a statu laicali ad clericalem ; 2°. habilitas ad Ordines suscipiendos ; 3°. capacitas beneficia possidendi et jurisdictionem ecclesiasticam exercendi ; 4°. participatio privilegiorum clericalium. Hi effectus necnon dispositiones ad Tonsuram suscipiendam requisitæ explicantur in *Catechismo de Tonsura;* varia quoque habentur apud canonistas, ubi inquirunt de juribus et obligationibus clericorum. Ideo sequentes tantum quæstiones hic solventur. Tonsuræ effectus.

An clerici tenentur Tonsuram deferre?

R. Cum Billuart, affirmative; quia est lex ecclesiastica, de qua can. *Clerici* et can. *Si quis,* dist. 23. Huic obligationi perpetuo usu roboratæ insistit Concilium Tridentinum, Sess. XXIII, cap. VI et XVIII, *de reform.* Sequentia tamen observat Sylvius : « Clerici primæ » Tonsuræ, vel in minoribus Ordinibus constituti sine » beneficio , non videntur ex præcepto obligari ad » eam deferendam, sed soli clerici majorum Ordinum, » et alii beneficiati...; quamvis nec isti facile judi- » candi sint peccare mortaliter ex eo quod Tonsuram » non gerant ; nisi vel notabili admodum tempore id » faciant ; vel post serias ab Ordinario admonitiones. » An et in quantum clerici teneantur Tonsuram gestare.

An clerici possunt bona temporalia possidere?

Prævie ad memoriam revoca, Joannem Wiclef docuisse, clericos ita a laicis separari, ut nequidem bona temporalia tanquam sibi propria possidere possint; quem errorem condemnavit Concilium Constantiense. Translatio ad statum clericalem non inducit renuntiationem bonis temporalibus.

R. Cum S. Thoma, art. 3, affirmative ; et probatur :

1°. Ex eo quod possessio et administratio bonorum temporalium non repugnet naturæ et obligationibus status clericalis ; nimia tantum eorum sollicitudo divino cultui contrariatur. Quare in receptione Tonsuræ clerici iis bonis non renuntiant, nec Ecclesia prohibet quominus ea possideant ; imo vult Concilium Tridentinum , Sess. XXI , cap. II , *de reform.*, ut a sacris Ordinibus arceantur clerici sæculares, qui non habent unde vivere possint , puta beneficium , patrimonium vel pensionem.

2°. Abdicatio bonorum temporalium est tantum consilium evangelicum, quod nemo sequi tenetur, nisi speciali voto se obstrinxerit. Atqui in susceptione Tonsuræ vel Ordinum tale votum non continetur. Ergo etc.

Objectio. *Objicitur.* In susceptione Tonsuræ clerici abdicant omnia bona temporalia, et solum Deum, bonaque spiritualia in sortem et hæreditatem eligunt, dicentes : *Dominus pars hæreditatis meæ,* etc. Ergo bona temporalia possidere non possunt.

R. Dist. maj. In susceptione Tonsuræ clericalis, clerici abdicant omnimodam possessionem rerum temporalium, neg.; abdicant nimiam sollicitudinem et curam bonorum temporalium, conc. Hæc autem abdicatio earum possessionem non excludit. Quando autem tonsurati dicunt : *Dominus pars hæreditatis meæ,* etc. significant se Deum ac bona spiritualia bonis terrestribus prælaturos, et in eis spem suam collocaturos ; ac etiam paratos fore omnibus temporalibus renuntiare, potius quam Dei et Ecclesiæ obsequium deserere.

N. 12. De attactu materiæ remotæ.

S. Thom., Supplem. quæst. 34, art. 5.

Status quæstionis. Duplici de causa agimus hoc numero de attactu materiæ remotæ seu de attactu instrumentorum. Una est quia non desunt theologi asserentes, traditionem instrumentorum ad materiam essentialem Ordinis pertinere ; altera vero quia hæc sententia *practice* ab omnibus est sequenda, etiamsi quis *speculative* aliter opinetur, ut liquet ex tractatu *De Sacramentis in genere,* N°. 13. Hoc præmonito, petitur :

An ordinandi debent tangere instrumenta, quæ ipsis in ordinatione traduntur?

Ordinandi debent tangere instrumenta. R. Affirmative, et quidem 1°. quia ita præscribit Pontificale Romanum ; 2°. ne ordinationis valor periclitetur : etenim cum probabilitate sustinetur, quod traditio quorumdam instrumentorum sit de essentia ordinationis; huic autem traditioni respondet ex parte suscipientis Ordinem, acceptatio, quæ fit per attactum.

Idcirco etiam Episcopus ordinans ejusque assistentes magna cum sollicitudine invigilant, ut instrumenta ab ordinandis rite tangantur.

Qualis esse debet ille attactus?

R. I. Reginaldus et alii ad valorem ordinationis sufficere putant contactum moralem, situm in eo quod ordinandus extensione manus vel alio signo aut nutu ostendat se acceptare instrumentum, quod ipsi ab ordinante porrigitur. Dicunt enim in ordinatione, perinde ac in sæcularium officiorum collatione, ultra hujusmodi ritum nihil exigi ad veram acceptationem. Tactus moralis non sufficit;

II. Alii theologi cum communiori sententia ad valorem ordinationis requirunt attactum materiæ realem et physicum, talem scilicet quo instrumenta ab ordinante porrecta materialiter et corporaliter ab ordinando tangantur. Sequentibus nituntur rationibus: debet esse realis et physicus;

1°. Necesse est ut practice verificetur forma: *Accipe* etc. Atqui, juxta communem et usitatam istius vocis significationem, nemo dicitur rem sibi traditam *accipere*, nisi realiter et physice eam tangat. Ideo S. Thomas, postquam ostendit, quomodo porrectio materiæ in Sacramento Ordinis possit dici magis de essentia Sacramenti, quam tactus, hæc subjungit: *Tamen ipsa verba formæ videntur ostendere quod tactus materiæ sit de essentia Sacramenti; quia dicitur: accipe hoc vel illud.* Quibus verbis se in hanc sententiam propendere satis indicat.

2°. Ex parte Episcopi ordinantis, impositio manus super caput ordinandi debet esse physica, nec sufficit instrumentorum præsentatio, sed requiritur realis et physica traditio: quidni et physica acceptatio exigitur ex parte ordinandi?

3°. Sicuti requiritur in Baptismo physica aquæ infusio super baptizandum, unctio physica frontis in Confirmatione et quarumdam corporis partium in Extrema Unctione, ita etiam in Sacramento Ordinis contactus physicus necessarius est. Ex usu enim Ecclesiæ hujusmodi tactus sedulo adhibetur, juxta præscriptum Pontificalis, cujus verba de contactu morali intelligi non posse videntur. Hæc Ecclesiæ sollicitudo majorem necessitatem quam præcepti prodit.

Unde Sylvius ait : « Si quis *de facto* materiam non » tangeret, Sacramentum esset iterandum, saltem sub » conditione : quia est verum ac rationabile dubium » an subsistat. »

mediatus ad valorem sufficit.

Non requiritur ad valorem tactus immediatus ; sufficit *mediatus*. Ratio est quod, sicut habetur vera traditio, licet Episcopus, instrumenta tradens, chirothecas retineat, prout Rubricæ præscribunt, ita vera haberetur acceptatio in eo qui mediate tantum instrumenta tangeret. Accedit quod in ordinatione Presbyterorum Ecclesia non requirat ut vinum in calice contentum immediate tangatur ; ex quo merito concludere licet nec aliarum materiarum immediatum tactum esse necessarium. Qua de causa « si quis , » ait Ferraris, v. *Ordo,* « claves, urceolos, librum Epistolarum et Evan- » geliorum , calicem , etc. tangeret manu obvoluta » chirotheca, strophiolo, superpelliceo, etc., non ideo » esset irritus Ordo. »

Huc spectant quædam applicationes,

Hinc S. Alphonsus, n. 752, docet, moraliter certam esse communem Doctorum sententiam quæ dicit, valide ordinatum esse Sacerdotem qui calicem et patenam tetigit , non vero hostiam ; quamvis recte advertant Salmanticenses, ut addit, « curandum esse ordinando, » tam calicem quam patenam et hostiam (quo melius) » contingere, ut ab omni scrupulo se eximat. »

Quod si ordinandus solum calicem immediate tetigisset , sed non patenam, plures dicunt ipsum esse reordinandum sub conditione, quia Pontificale tactum tam patenæ quam calicis præscribit, et quia in casu tactus patenæ esset potius moralis quam physicus ; alii vero dicunt, ipsum esse valide ordinatum, quia calix et patena superposita tunc sunt moraliter unum. Hanc sententiam aliqui vocant moraliter certam ; « Ego tamen, » ait S. Alphonsus, n. 753, « censeo » eam tantum probabiliorem, sed primam non impro- » babilem, et ideo in praxi tenendam ; quapropter » dico sub conditione talem clericum esse reordinan- » dum. »

Bouvier, in editione 1859, quæ post mortem Ill. Episcopi in lucem prodiit, advertit, in his diversis casibus communiter judicari ordinationem esse validam,

quia contactus censetur fuisse realis, licet non physicus sub omni respectu.

Ad rem præsentem spectat sequens decisio S. Cong. Rit. *in una Galliarum*, die 3 Dec. 1661. En verba decreti, prout referuntur in authentica collectione decretorum hujus S. Congregationis : « Ad scrupulum » Fratris Ephrem Chasteau pro-agentis Recollectorum » Galliæ, nempe se non tetigisse tactu physico calicem » in sua ordinatione ad Presbyteratum : S. C. respon- » dit : *Posse continuare celebrationem SS. Sacrificii* » *absque ullo scrupulo, ac tuta prorsus conscientia.* » et decretum S. C Rit.

Gury, *De Ordine*, in editione 17ª, Romæ 1866, n. 702, notat quod præfata declaratio fuerit ab eadem Congregatione confirmata, die 21 Januarii 1863.

N. 13. De effectibus Sacramenti Ordinis.

S. Thom., Supplem. quæst. 35.

In tractatu *De Sacramentis in genere*, N°. 20, traditur duplicem esse effectum Sacramentorum Novæ Legis, *gratiam* nempe, quam omnia Sacramenta producunt, et *characterem*, quem tria tantum imprimunt, Baptismus scilicet, Confirmatio et Ordo. Cum autem gratia quæ a Sacramentis producitur, duplex distinguatur, ut ibidem notatum fuit, nimirum gratia habitualis seu sanctificans et gratiæ actuales seu sacramentales, sequitur triplicem Sacramenti Ordinis effectum considerari posse : *gratiam sanctificantem, gratias actuales,* et *characterem.* Triplex effectus Sacramenti Ordinis: gratia sanctificans, gratiæ actuales, et character.

Quod autem ad gratiam spectat, quæ a Sacramento Ordinis producitur, cum, in citato tractatu, N°. 18, contra sectarios probatum fuerit omnia Sacramenta vere gratiam ex opere operato conferre, hoc loco tum de gratia habituali, cum de gratiis actualibus Sacramenti Ordinis, illa tantum attingentur, quæ huic Sacramento propria sunt, secundum tradita in cod. tractatu, N°. 22.

Qualem gratiam sanctificantem confert Sacramentum Ordinis?

R. Gratiam sanctificantem per se secundam, seu gratiæ sanctificantis augmentum, cum sit Sacramentum Exponitur qualem

gratiam sanctificantem conferat Sacramentum Ordinis.

vivorum : per accidens vero probabilius confert primam, si nempe quis in statu peccati mortalis existens, istud Sacramentum bona fide susciperet cum contritione imperfecta. Vide tractatum *De Sacramentis in genere*, N°. 21.

Illud autem speciale habet gratia sanctificans hujus Sacramenti quod ordinatos Deo atque Ecclesiæ peculiariter consecret, et idoneos reddat ad sacra munia obeunda, unde *consecrativa* et *ministrativa* dicitur. Ideo hæc gratia multo præstantior est et abundantior quam quæ datur in aliis Sacramentis ; hinc Innocentius I, *Epist.* 18, dicit gratiæ *plenitudinem maxime in ordinationibus operari ;* nimirum gratia quæ in aliis Sacramentis confertur, ordinatur ad communia officia christiana adimplenda, dum gratia Sacramenti Ordinis ordinatur ad rite exercenda publica altaris et Ecclesiæ ministeria. Sicut igitur hæc ministeria longe sacratiora sunt quam communia officia christiana, ita requirunt ministros perfectiores, et gratiam præstantiorem. *Ad idoneam executionem Ordinum*, inquit S. Thomas, Supplem. quæst. 35, art. 1, ad 3, *non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens, ut sicut illi qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis.*

Neque omnes Ordines, qui Sacramenta sunt, hanc gratiæ plenitudinem conferunt in eadem mensura, sed diversa, prout nempe exigunt varia ipsorum officia : ita sicut unus Ordo est alio major, plenitudo quoque gratiæ unius Ordinis est abundantior quam alterius ; ideoque plenior est gratia Presbyteratus, et plenissima gratia Episcopatus.

Simul cum gratia sanctificante augentur virtutes et dona, quæ ei conjuncta sunt, illa præsertim quæ ordinatum disponunt ad rite exequenda officia sui Ordinis. Cfr. tractatus *De Sacram. in genere*, N°. 20.

Quales gratias actuales confert Sacramentum Ordinis ?

Exponitur quales gratias actuales conferat hoc Sacramentum.

R. Gratias actuales seu sacramentales, quæ opportuno tempore dantur, ut ordinatus illis adjuvetur ad rite implenda officia Ordinis suscepti. Cum enim Christus Sacramentum Ordinis instituerit, ut ministri Ecclesiæ officiis suis rite decenterque fungantur, non solum in

ipsa ordinatione dona cœlestia super eos effundi, sed etiam voluit eis opportuno tempore tribui auxilia actualia, quibus indiguerint ad munia sua digne obeunda. Consistunt istæ gratiæ actuales in illustrationibus mentis et motionibus voluntatis, quibus ordinatus illuminatur et excitatur ad ea, quæ muneris sui sunt, sancte et fructuose peragenda.

Notantur quædam de gratiis gratis datis.

Nota. Initio Ecclesiæ præter gratiam sanctificantem et gratias actuales, sæpe etiam gratiæ gratis datæ ministris sacris visibiliter concedebantur. Eas enumerat Apostolus, I Cor. XII, 7 et seqq., his verbis : *Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ : alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum : alteri fides in eodem Spiritu : alii gratia sanitatum in uno Spiritu : aliis operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Nunc vero hæ gratiæ nec visibiliter, nec ita abundanter conceduntur ; attamen experientia constat specialia auxilia ministris Ecclesiæ conferri ; notum enim est, ministerio Sacerdotum mediocris ingenii, at pietate insignium, mirabiles quandoque atque uberrimos fructus in vinea Domini oriri.

Quid intelligitur per characterem Sacramenti Ordinis ?

Qualem characterem imprimit Sacramentum Ordinis explicatur. Illud imprimere characterem est de fide.

R. Intelligitur signum spirituale et indelebile, quod animæ ordinati in sacra ordinatione imprimitur, ipsumque ab eis, qui Ordinem non receperunt, discernit.

Ejusmodi characterem per Sacramentum Ordinis imprimi probatum est in tractatu *De Sacramentis in genere*, N°. 27, estque dogma fidei, in decreto Concilii Florentini pro Armenis expressum, et a Synodo Tridentina in duplici loco definitum : 1°. Sess. VII, can. IX, ubi a tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione et Ordine characterem imprimi declaratur his verbis : *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit;* et 2°. Sess. XXIII, can. IV, ubi idipsum speciatim de Sacramento Ordinis pronuntiatur sequentibus verbis : *Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum...;*

aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; anathema sit.

An omnes Ordines imprimunt characterem?

Quinam Ordines characterem imprimant, inquiritur.

R. Ad hanc quæstionem respondet S. Thomas, Supplem. quæst. 35, art. 2, ubi tres sententias adducit. Prima est illorum qui dixerunt quod in solo Ordine Sacerdotali character imprimitur, quam sententiam non admittit S. Doctor. Secunda est illorum, qui putaverunt characterem imprimi in Ordinibus sacris, non autem in minoribus, quod pariter rejicit S. Doctor. Tertiam vero sententiam, quæ docet characterem in omnibus Ordinibus imprimi, Doctor Angelicus amplectitur, concludens his verbis : *Unde cum character sit signum distinctivum ab aliis, oportet quod in omnibus* (Ordinibus) *character imprimatur; cujus etiam signum est quod perpetuo manent et nunquam iterantur, et hæc est tertia opinio quæ communior est.* Porro ad objectionem, quæ dicit aliquos Ordines non impedire ne ordinatus ad laicatum redeat, illosque adeo non imprimere characterem indelebilem, respondet : *Quod quantumcumque ordinatus se ad laicatum transferat, semper manet in eo character; quod patet ex hoc, quod si ad clericatum revertatur, non iterum Ordinem, quem habuerat, suscipit.*

Triplici huic sententiæ a S. Thoma propositæ adjicienda est quarta, quam tenent plures ex iis qui docent, Subdiaconatum et Ordines minores probabilius non esse Sacramenta. Hi nimirum affirmant, characterem imprimi per Ordines qui Sacramenti rationem habent, non vero per Ordines qui Sacramenta non sunt, hosque a solo præcepto Ecclesiæ habere quod iterari non debeant.

Diversas auctorum sententias, saltem quoad Ordines minores, conciliare conatur R. P. Schouppe, *Elementa theologiæ dogmaticæ, De Ordine*, n. 88, ubi dicit : « Quod attinet ad minores Ordines, cum non sint » nuda officia et ministeria, sed veri Ordines, (quam- » vis non omnino constat ea esse Sacramenta), ac proin » stabilitatem essentialiter involvant; characterem et » ipsi conferunt, si minus sacramentalem ac divinum, » saltem legalem et ecclesiasticum : ad instar gradus

» honorifici in civitate, aut scientifici in academiis. »

An a diversis Ordinibus, qui characterem imprimunt, diversus imprimitur character ?

Diversi Ordines probabilius diversum imprimunt characterem.

R. Quia natura et officia singulorum Ordinum diversa sunt, consequens videtur non eumdum, sed plane distinctum a diversis Ordinibus imprimi characterem ; ita ut, quemadmodum differunt characteres Baptismi et Confirmationis a charactere Ordinis, ita quoque character superioris Ordinis diversus sit a charactere inferioris Ordinis, et admitti non possit, characterem Ordinis superioris non esse nisi extensionem vel majorem intensionem ejusdem characteris in Ordine inferiori jam impressi, ut aliqui volunt.

S. Thomas, art. 3, 4 et 5 citatæ quæstionis 35, inquirit ulterius an character Ordinis præsupponat characterem Baptismi, Confirmationis et Ordinis inferioris ; sed de his dicetur N°. seq., ubi de subjecto Sacramenti Ordinis, et N°. 15, ubi de dispositionibus ad susceptionem Ordinum requisitis.

Assigna præcipuos effectus characteris, qui per Sacramentum Ordinis imprimitur.

Triplex effectus characteris assignatur.

R. Conformiter ad ea, quæ in tract. *De Sacram. in genere*, N°. 26, tradita sunt, tres præcipui effectus enumerantur.

Primus effectus characteris est, quod ordinatus per eum deputetur ad divina et constituatur minister Ecclesiæ Christi cum potestate adimplendi officia Ordini suscepto annexa.

Secundus effectus est, quod per characterem ordinatus assimiletur et configuretur Christo, Summo Sacerdoti, quatenus fit Christi minister et cooperator in opere sacri ministerii ad ædificationem corporis ipsius.

Tertius demum characteris effectus est, quod ordinatus per signum animæ illius impressum distinguatur ab iis, qui Ordinem non receperunt, et super eos elevetur.

Conclusio practica.

Ex triplici hoc characteris effectu colligitur insignis excellentia Sacramenti Ordinis, necnon magna dignitas illorum qui Ordine præsertim sacro sunt initiati, signanter vero supereminens dignitas Sacerdotum : unde pro illis exurgit specialis obligatio sedulo allaborandi,

ut per assiduum virtutum omnium exercitium et diligens sacrarum scientiarum studium ad perfectionem vitæ christianæ et ecclesiasticæ tendant; cum enim honore et potestate præstent Christi fidelibus, singulari quoque doctrinæ et vitæ sanctitate ipsis præfulgere debent.

N. 14. De subjecto Sacramenti Ordinis.

S. Thom., Supplem. quæst. 35, art. 3; et quæst. 39, art. 1 et 2.

Quodnam est subjectum Sacramenti Ordinis?

Subjectum Sacramenti Ordinis est solus homo viator,

R. Est solus homo viator, masculus, baptizatus, qui hoc Sacramentum nondum valide suscepit.

Dicitur, *solus homo viator,* quia Sacramenta et quæ ad ea referuntur instituta sunt, ut per illa hominibus in hac vita degentibus auxilia supernaturalia concedantur, et de lege Dei ordinaria solus homo viator potest Sacramenta administrare, quod præcipuum est ordinatorum officium. Positiva hæc Christi voluntas est: solis enim hominibus viatoribus dixit, Luc. XXII, 19: *Hoc facite in meam commemorationem*; Joan. XX, 22 et seq.: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt;* et Matth. XXVIII, 19: *Euntes docete omnes gentes: baptizantes eos,* etc.

masculus,

Dicitur, *masculus*, quia ex voluntate Christi soli masculi ordinationis sunt capaces. Hæc Christi voluntas manifestatur tum ex eo quod ipse non nisi masculos in Apostolos elegerit et consecraverit, quibus solis sacram potestatem concessit, tum ex verbis S. Pauli, I Cor. XIV, 34 et seq.: *Mulieres in ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in ecclesia;* et, I Tim. II, 12: *Docere autem mulieri non permitto.* Etenim si Apostolus mulieribus in ecclesia loqui et docere prohibeat, a fortiori vetat ipsis officia clericalia exercere.

Idem constat ex Traditione et praxi Ecclesiæ, quæ nunquam mulieres ordinasse legitur, adeo ut S. Epiphanius, *Hær.* 79., observet, quod ex quo mundus

conditus sit, nulla unquam mulier apud veræ Religionis cultores Sacerdotio functa sit. Neque, ut ibid. notat idem Epiphanius, Christus sanctissimam Matrem suam ullo Ordine insignivit.

Idipsum confirmat consensus hæreticorum, nam si Montanistas excipias, vix inveniuntur hæretici, qui mulieres ad sacram ordinationem admittebant.

Rationem congruentiæ allegat S. Thomas, Supplem. quæst. 39, art. 1, in corpore; quia per sacram ordinationem significatur et confertur aliqua gradus eminentia, quæ non convenit mulieri, utpote collocatæ in statu subjectionis.

baptizatus,

Dicitur, *baptizatus*, quia Baptismus est omnium Sacramentorum janua; et ideo, cap. *Si quis, De Presbytero non baptizato*, lib. 3. Decretal., statuitur : *Si quis Presbyter ordinatus, deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur et iterum ordinetur.*

qui hoc Sacramentum nondum valide suscepit.

Tandem additur, *qui hoc Sacramentum nondum valide suscepit*, quia Sacramentum Ordinis, ob characterem indelebilem, jure divino iterabile est.

Quales fuerunt mulieres, quæ olim dicebantur episcopæ, presbyteræ et diaconissæ ?

Exponitur quo sensu antiquitus quædam mulieres vocabantur episcopæ, presbyteræ, diaconissæ.

R. 1°. Mulieres, quæ olim *episcopæ*, *presbyteræ*, aut *diaconissæ* dicebantur, nullo erant Ordine insignitæ, sed sic vocatæ fuerunt a viris suis, qui, cum Episcopi, Presbyteri sive Diaconi ordinabantur, eas relinquebant, vel in sæculo voto castitatis obstrictas, vel in monasterio solemniter profitentes. Tales mulieres ob dignitatem maritorum suorum vulgari quodam usu illis nominibus vocabantur, ut constat ex plurium Conciliorum canonibus, quos vide apud Tournely et alios.

2°. Quod spectat ad *diaconissas*, non raro in antiquis documentis mulieres aliquæ isto nomine ob aliam rationem vocantur. Constat enim, in veteri Ecclesia mulieres quasdam assumptas fuisse ad aliqua ecclesiastica ministeria, unde diaconissæ vel diaconæ dicebantur. Earum præcipua munia erant, rudes mulieres principia fidei edocere, cum mulieres baptizabantur ipsis assistere, et generatim mulierum curam gerere. Diaconissæ istæ certo quodam ritu per impositionem

manuum inaugurabantur, qui tamen ritus non sacramentalis sed mere cæremonialis erat et institutionis ecclesiasticæ. Vide Sylvium, Tournely, Billuart aliosque.

3°. Tandem seniores viduæ aliquando vocabantur *presbyteræ*, non quia ad speciale officium deputabantur, sed ratione ætatis; *presbyter* enim græce idem est ac latine senior.

Quædam notantur, 1°. de fabula Joannæ papissæ;

Hoc loco solent theologi historiam de Joanna papissa refellere; ast solummodo observandum ducimus, hodiedum inter eruditos constare fictam omnino esse hanc de muliere papissa quorundam auctorum narrationem, eamque habendam ut meram fabulam, quod inter alios demonstrant Baronius, ad annum 853; Bellarminus, *De Summo Pontifice*, lib. 3, cap. 24; Palma, *Prælectiones historiæ ecclesiasticæ*, ad sæc. IX, cap. 9, etc. Cfr. etiam egregiam dissertationem de Joanna papissa, lingua hollandica conscriptam a cl. Wensing, Hagæ Comitum, 1845.

2°. de hermaphroditis respectu ad ordinationē.

An et quales hermaphroditæ valide ordinentur, disputant theologi et canonistæ; conveniunt autem omnes, quod licite non possint ordinari.

An inviti valide ordinantur?

An inviti valide ordinantur.

R. Ex iis, quæ N°. 45 *De Sacram. in genere* traduntur, sequitur in illis qui usu rationis gaudent ad validam Ordinis susceptionem requiri intentionem illud Sacramentum recipiendi; adeoque si quis palam contradicens et reluctans ordinaretur, ordinatio invalida foret; valida tamen esset ordinatio illius, qui minis aut vi cedens Ordinis susceptioni consentiret.

An infantes ante usum rationis et perpetuo amentes valide ordinari possunt?

Infantes ante usum rationis valide, sed illicite ordinantur.

R. Durandus, Tournely, Daelman in *Oratione* 1ª et quidam alii putant, infantes ante usum rationis et perpetuo amentes ordinationis capaces non esse; at S. Thomas, Supplem. quæst. 39, art. 2, docet, pueris ante usum rationis et aliis qui usu rationis carent valide conferri omnes Ordines, excepto tamen Episcopatu. Sententiam suam probat S. Doctor ex ratione theologica; quia nempe potestas, quæ confertur in ordinatione, subsistit sine actu suscipientis, ideoque Sacramentum Ordinis valide suscipitur a pueris et usu

rationis carentibus, non secus ac Baptismus. Episcopatum vero excipit Angelicus, quia, ut ait, *ad Episcopatum, ubi etiam in corpus mysticum accipitur potestas, requiritur actus suscipientis curam animarum pastoralem: et ideo est etiam de necessitate consecrationis episcopalis, quod usum rationis habeat.*

Eamdem doctrinam, non tamen facta mentione de Episcopatu, tradit Catechismus Romanus, *De Sacram. Ordinis*, n. 57, expresse docens, si Sacramentum hoc pueris ante usum rationis et amentibus administraretur, Sacramenti characterem in eorum anima imprimi.

Tandem quoad infantes ante usum rationis ordinatos, idem confirmat Benedictus XIV, Instructione Eo quamvis tempore, diei 4 Maii 1745, § 20, (Bull. edit. Mechl., tom. 3, pag. 138,) docens : *Concordi theologorum et canonistarum suffragio definitum est, validam, sed illicitam censeri hanc ordinationem, dummodo nullo laboret substantiali defectu materiæ, formæ, et intentionis in Episcopo ordinante; non attenta contraria sententia, quæ raros habet asseclas, et quæ supremis Tribunalibus, et Congregationibus Urbis nunquam arrisit. Æque tamen certum et exploratum est, per hanc Ordinum collationem non subjici promotos obligationi servandæ castitatis, nec aliis oneribus ab Ecclesia impositis; cum electio status a libera cujusque pendeat voluntate, et Altissimo nostra, non autem aliena, vota reddere teneamur.* Hæc Benedictus XIV, qui tamen ibid., § 22, quoad obligationem onerum sacris Ordinibus annexorum, addit : *Non desunt tamen graves theologi, qui accuratiori etiam examine rem intime scrutentur : aiunt siquidem, infantes promotos ad sacros Ordines, ubi sui compotes jam fuerint, diserte esse interrogandos super intentione permanendi, necne, in Ordine sibi collato. Si firmo deliberatoque animo palam assenserint; eo casu censent eos obstringi voto castitatis; sin minus, licitum sit eisdem ad sæcularia vota transire, suspensa exercendi Ordinis potestate.*

Similem ratihabitionem *expressam* vel *tacitam* plures requirunt theologi, ut quis obligetur ad onera annexa Ordini sacro, quem post usum rationis, sed ante pubertatem susceperit.

N. 15. De requisitis ad licitam susceptionem Tonsuræ et Ordinum.

Plures requiruntur conditiones ad licitam Tonsuræ et Ordinum susceptionem.

Numero præc. explicatum est, quænam in subjecto requirantur ad validam susceptionem Sacramenti Ordinis; nunc quædam dicenda sunt de requisitis in subjecto ad licitam tum Tonsuræ, tum Ordinum susceptionem. Etenim Ecclesia non solum in subjecto exigit conditiones ad validitatem Sacramenti Ordinis jure divino requisitas; sed insuper plures alias conditiones determinat, ut Tonsura et præsertim Ordines licite, decenter et fructuose recipiantur. Nec mirum; cum enim sit res maximi momenti per Tonsuram clero adscribi, et per susceptionem Ordinum, præcipue majorum, in ministros Dei et Ecclesiæ deputari, sapientissima dispositione plures conditiones exiguntur, ut licite et fructuose ad Ordines quis promoveatur.

Præcipuæ conditiones enumerantur.

Conditiones istæ in subjecto ad liceitatem præ cæteris requisitæ sunt sequentes: 1°. divina vocatio; 2°. Confirmatio; 3°. ætas legitima; 4°. debita scientia; 5°. probitas vitæ; 6°. status gratiæ; 7°. recta intentio; 8°. immunitas ab impedimentis canonicis; 9°. subjectio Episcopo ordinanti; 10°. titulus sacræ ordinationis; 11°. Ordinibus prærequiritur Tonsura et Ordini superiori Ordo inferior ejusque exercitium; 12°. observatio interstitiorum; 13°. locus et tempus debitum.

Ex istis conditionibus, quædam requiruntur pro susceptione aliquorum Ordinum, uti v. g. titulus, qui pro solis Ordinibus sacris præscribitur; aliæ vero pro omnibus Ordinibus; imo quædam et pro susceptione ipsius primæ Tonsuræ, quia est præparatio ad Ordines, exiguntur, uti ex dicendis patebit.

Vocatio divina.

Quid est divina vocatio ad Tonsuram et Ordines?

Vocatio divina definitur,

R. Est *decretum seu actus Providentiæ divinæ, quo Deus ab æterno aliquem elegit, ac ei gratias aliaque media opportuna præparavit, ut hic in ministerio ecclesiastico digne illi deserviat.*

Vocatio ista divina sic definitur, quia Providentia divina, quæ ab æterno omnia futura disposuit aut prævidit, etiam viros destinavit et præparavit, qui Ecclesiam omni tempore usque ad consummationem sæculi in variis locis atque officiis regant, eosque gratiis et dotibus insignivit quarum ope muneribus suis rite perfungi possint. Unde dicit S. Thomas, part. 3, quæst. 27, art. 4 : *Illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat et disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei, secundum illud II Cor. III :* idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti. et definitio explicatur.

An vocatio divina pro omnibus Ordinibus requiritur et quare?

R. Cum minores Ordines sint gradus quibus ad majores ascenditur, et ipsa Tonsura sit præparatio ad Ordines, sequitur eo sensu divinam vocationem etiam requiri ad licitam susceptionem Tonsuræ et Ordinum minorum, unde auctores hanc quæstionem tractantes, passim de vocatione ad statum ecclesiasticum loquuntur. Ad licitam Tonsuræ et Ordinum susceptionem requiritur vocatio divina,

Talem vocationem Dei ad statum clericalem amplectendum necessariam esse, ex *Scriptura sacra* et *Patribus* probatur ; etiamque *a ratione* confirmatur. quod ostenditur

I. *In Scripturis,* Christus ipse id docet, Joan. XV, 16, Apostolos sic alloquens : *Non vos me elegistis : sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis : et fructus vester maneat.* Pariter ad discipulos dicit, Luc. X, 2 : *Rogate ergo dominum messis ut mittat operarios in messem suam ;* et statim subjungit, ibid., 3 : *Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Dein Apostoli, cum sibi socium loco Judæ proditoris assumendum ducerent, ad Deum recurrunt, ut quem ipse vocaverat et elegerat manifestare dignaretur, orantes, Act. I, 24 et 25 : *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus,* etc. Tandem apertis verbis hoc tradit Apostolus, Hebr. V, 4 et 5 : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret : sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu, ego hodie genui te.* I, ex Scriptura sacra ;

II, ex SS. Patribus.

II. Idem conficitur *ex doctrina SS. Patrum.* Inter alios id clare docet S. Cyprianus, *Epist.* 55, *ad Cornelium Pontificem,* his verbis : *Ita est aliquis sacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis, ut putet sine Dei judicio fieri Sacerdotem.* Eamdem doctrinam exhibet S. Cyrillus Alexandrinus, *De adoratione in Spiritu et veritate,* lib. 11, ubi inter alia hæc scribit : *Igitur ad Sacerdotii munus, quod a Deo defertur, sua sponte accedat nemo, sed ut vocetur, expectet; alioqui, si divino suffragio minime tributum rapere tentaverit, in easdem, quas Dathan et Abiron, pœnas incidet. Neque vero tibi mirum videri debet, si hoc ipsum, sponte se ingerere in nobis, absurdum ac turpe sit, quando etiam de ipso Christo scribit Paulus:* Non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret : sed qui locutus est ad eum : Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Idem ratione confirmatur.

Tandem vocationem Dei ad ecclesiastica ministeria licite suscipienda necessariam esse, doctores solent probare *a ratione*, argumento deducto ex analogia inter ministerium ecclesiasticum, quod Dei summi Regis nomine exercetur, et ministerium profanum, quo principis terreni negotia quis moderatur. Sicut enim hoc nemo nisi a principe constitutus potest implere, ita illud nullus nisi a Deo vocatus licite exercet. Unde S. Bernardus, *De conversione ad clericos,* cap. 19, eos qui ecclesiasticos honores ambiebant carpens, ait : *Tollitis enim et non accipitis claves. De quibus Dominus queritur per Prophetam* : Ipsi regnaverunt, et non ex me : Principes extiterunt, et ego non vocavi eos... (Osee, VIII, 4). *Audetne aliquis vestrum terreni cujuslibet Reguli, non præcipiente aut etiam prohibente eo, occupare ministeria, præripere beneficia, negotia dispensare ? Nec tu Deum putes, quæ in magna domo sua a vasis iræ aptis in interitum sustinet, approbare.*

De vocationis ecclesiasticæ necessitate ampliora vide apud Concina, *De Sacram. Ordinis,* cap. 7, qui etiam plura habet de signis, quibus potest cognosci aliquem vocatum esse ad statum clericalem. Cfr. etiam supra citatum *Catechismum de Tonsura,* cap. 4.

Quid censendum de iis, qui sine vocatione divina statum ecclesiasticum amplexi sunt?

Respondet S. Alphonsus de Ligorio, n. 802 : « Illi... » qui non vocati a Deo in sacra ministeria se intru- » dunt, ipsi sunt de quibus per Jeremiam (XXIII, » 21,) inquit : *Non mittebam prophetas, et ipsi curre-* » *bant.* Quo quidem hominum genere, ut ait Cate- » chismus, nihil infelicius ac miserius, nihil Ecclesiæ » calamitosius esse potest ; » et n. 803 : « Qui au- » tem sine vocatione, ex signis explorata, in sacrum » ministerium se intrudit, non potest quidem a gravi » præsumptione excusari. En quomodo S. Anselmus » (in cap. V ad Hebr. super illud Apostoli : *Nec quis-* » *quam sumit* etc.) de hoc loquitur : *Qui enim se ingerit,* » *et propriam gloriam quærit, gratiæ Dei rapinam facit,* » *et ideo non accipit benedictionem, sed maledictionem....* » Ergo ille, qui non ex Deo eligitur, sed ipse se ingerit, » non erit idoneus minister ; ideo sapienter ait Habert, » *De Ord.*, c. 1, § 2, quod iste *non sine magnis difficul-* » *tatibus poterit saluti suæ consulere, manebitque in* » *corpore Ecclesiæ, velut membrum, in corpore humano* » *suis sedibus motum, quod servire potest, sed ægre, et* » *cum deformitate.* Unde concludit : *Licet absolute lo-* » *quendo salvari possit, difficulter tamen ingredietur viam,* » *et apprehendet media salutis.* Cum autem hic magno » periculo damnationis se exponat, nescio quomodo a » culpa gravi excusetur. » Huc usque S. Alphonsus.

Qui absque vocatione divina statum clericalem amplectuntur graviter delinquunt.

Itaque, qui tale peccatum admisit, omnem curam atque diligentiam adhibeat, ut per condignam pœnitentiam illud diluat ; et quidem si solam Tonsuram aut minores Ordines susceperit, ad statum sæcularem redire tenetur. Si vero majores Ordines receperit, amplius resilire non potest, sed altius non debet ascendere, ut notat Bouvier, nisi culpam pœnitentia deleverit, et longa experientia compertum habuerit, se absque temeritate gradus superiores suscipere posse. Si autem ad Sacerdotium pervenerit, seriam item agere debet pœnitentiam ; at non desperet, sed juges ad Deum fundat preces, ut gratiæ dona necessaria ad illius status munera obeunda ipsi concedantur ; et si functiones sacras sine peccandi periculo obire queat, eas exercere poterit ; secus vero a sacro ministerio abstineat.

Quomodo istius peccati reus sese gerere debet.

Confirmatio.

An et quo jure Confirmatio prærequiritur susceptioni Tonsuræ et Ordinum?

Jure ecclesiastico tonsurandi et ordinandi debent esse confirmati.

R. Affirmative, idque jure ecclesiastico. Etenim Concilium Tridentinum, Sess. XXIII, cap. IV, *de reform.*, statuit : *Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.* Attamen qui non confirmatus Ordines susciperet, valide esset ordinatus, neque videtur incurrere irregularitatem, cum hæc pœna nullibi legatur imposita. Merito hic cfr. dicta N°. 11 tract. *De Confirmatione*, et apud S. Alphonsum, *De Ordine*, n. 786.

Ætas legitima.

Quænam ætas requiritur pro licita susceptione Tonsuræ et Ordinum?

Ætas requisita pro susceptione Tonsuræ et Ordinum.

Respondet Benedictus XIV, in supracitata Instructione, Eo QUAMVIS TEMPORE, § 19, his verbis : *Prima... Tonsura initiandi sint prædíti usu rationis, qui in septimo ætatis anno præsumitur. Minoribus vero Ordinibus licet determinata ætas a sacris canonibus præstituta non sit, adhuc a septimo ad decimum quartum annum conferri solent, concurrentibus tamen in ordinando qualitatibus desideratis a Tridentino, Sess. XXIII, de reform., cap. V et XI. Porro ejusdem Tridentinæ Synodi lege cautum est, ad Subdiaconatum ætatem vigesimi secundi anni, ad Diaconatum vigesimi tertii, ad Presbyteratum vigesimi quinti, ad Episcopatum trigesimi esse necessariam ; eo tantum inter sacros Ordines et Episcopatum recurrente discrimine, quod pro sacris Ordinibus satis sit unius, vel alterius respective anni inchoatio, pro Episcopatu vero complementum trigesimi anni requiratur.*

Ætas requisita pro suscipiendis Ordinibus sacris statuitur in Tridentino, loco cit., cap. XII; pro Episcopatu vero in cap. *Cum in cunctis, De electione et electi potestate*, lib. 1 Decretal.

Quod si dies vel hora desit, quominus præfixus annus inchoatus vel completus sit, probabilius Ordo illicite conferretur. Imo, quamvis Barbosa et alii dicant, diem bissextilem excludi posse in computatione

annorum, eo quod annus in jure expressus tantum intelligatur 365 dierum, seu annus solaris communis, rectius tamen dicendum videtur, diem bissextilem computandum esse, quia ad ætatem requisitam computandi sunt anni juxta ritum et consuetudinem Ecclesiæ, quæ numerat per bissextos. Vide S. Alphonsum, n. 800.

Quis potest dispensare in ætate requisita pro Ordinibus sacris suscipiendis ?

Quis potest dispensare in ætate ordinandorum.

R. In ætate pro sacris Ordinibus statuta ab Ecclesia, dispensare potest jure ordinario solus Romanus Pontifex ; Episcopi vero, facultatem a S. Sede habentes, possunt dispensare juxta limites concessionis pontificiæ.

Nota. Pœna olim a jure statuta erat contra eum, qui ante ætatem requisitam, et non obtenta dispensatione, aliquem sacrum Ordinem susceperat, nempe suspensio ab exercitio Ordinis suscepti ipso facto incurrenda ; ita decreverat Pius PP. II, in Constitutione Cum ex sacrorum. Hodie vero post Pii IX Constitutionem Apostolicæ Sedis, 4 idus Octob. 1869, hæc suspensio non amplius viget, cum ibi inter suspensiones latæ sententiæ non recenseatur, et solæ censuræ latæ sententiæ quæ in præfata Bulla inseruntur, a Pontifice conserventur, ut patet ex sequentibus ipsius verbis : *Hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quæ per modum latæ sententiæ, ipsoque facto incurrendæ hactenus impositæ sunt, nonnisi illæ, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant.*

Debita scientia.

Quænam scientia requiritur ad licitam susceptionem Tonsuræ et Ordinum ?

Qualis scientia requiritur in ordinandis.

R. 1°. Concilium Tridentinum, Sess. XXIII, cap. IV, *de reform.*, requirit ut tonsurandi fidei rudimenta edocti fuerint, ac legere et scribere sciant.

2°. Idem Concilium, ibid., cap. XI, exigit ut promovendi ad Ordines minores *saltem latinam linguam intelligant.*

3°. Ibid., Cap. XIII, requirit ut promovendi ad Subdiaconatum vel Diaconatum *sint litteris, et iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi.*

4°. Tandem, ibid., cap. XIV, de promovendis ad Presbyteratum loquens, vult ut ipsi *ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur ;* quod uberius explicat Catechismus Romanus, part. 2, *De Ordinis Sacram.*, n. 56 : *In Sacerdote,* inquit, *non solum ea cognitio requirenda est, quæ ad Sacramentorum usum et tractationem pertinet; sed etiam sacrarum litterarum scientia ita instructum esse oportet, ut populo christianæ fidei mysteria et divinæ legis præcepta tradere, ad virtutem et pietatem incitare, a vitiis revocare fideles possit. Sacerdotis enim duo sunt munera : quorum alterum est, ut Sacramenta rite conficiat et administret; alterum, ut populum fidei suæ commissum, iis rebus et institutis, quæ ad salutem necessaria sunt, erudiat. Malachias enim ita testatur* (II, 7) : Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum est. *Ut igitur in horum altero, si mediocri cognitione sit ornatus, præstare, quod debet, possit : alterum certe non vulgarem, sed exquisitam potius doctrinam desiderat : quamvis æque ab omnibus Sacerdotibus summa reconditarum rerum scientia non exigatur, sed quæ ad suscepti officii et ministerii functionem unicuique satis esse possit.* Cfr. S. Alphonsum, n. 791 et 792.

Probitas vitæ.

Quid intelligitur per probitatem vitæ, quæ ad licitam Tonsuræ et Ordinum susceptionem requiritur ?

Traditur qualis vitæ probitas in ordinandis requiratur.

R. *Probitas vitæ* hic non intelligitur communis vitæ probitas, qualis reperitur in bonis christianis, sed probitas excellens, seu vera vitæ sanctitas quæ ad perfectionem pertingat vel saltem tendat, quæ vitæ sanctitas in ordinandis eo major esse debet, quo altioris gradus est Ordo qui suscipitur. Hoc dilucide explicat Doctor Angelicus, Supplem. quæst. 56, art. 4, ad 3 : *Ad minus hoc requiritur quod nesciat ordinans aliquid contrarium sanctitati in ordinando esse ; sed etiam exigitur amplius, ut secundum mensuram Ordinis vel officii injungendi diligentior cura apponatur, ut habeatur certitudo de qualitate promovendorum, saltem ex testimonio aliorum.*

Vitæ probitatem in

Ejusmodi probitatem vitæ necessariam esse ad licite suscipiendos Ordines, patet ex natura sacrarum

functionum, quibus ordinati fungi debent, et ex obligationibus quas sine excellenti vitæ bonitate digne adimplere non possunt. Hanc vitæ probitatem requirit Apostolus, I Tim. III, dicens : *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse ;... Diaconos similiter pudicos ,... et hi probentur primum.* Eodem modo loquuntur SS. Patres et Concilia; speciatim vero Concilium Tridentinum, Sess. XXIII, cap. XII, *de reform.*, monet ad sacros Ordines assumi debere *dignos duntaxat, et quorum probata vita senectus sit*, juxta illud, ut observat S. Alphonsus : *Ætas senectutis vita immaculata* (Sap. IV, 9.) Eadem est doctrina omnium theologorum ; quinimo S. Thomas, 2. 2, quæst. 189, art. 1, ad 3, majorem in clericis requirit vitæ sanctitatem quam in monachis, dicens : *Ordines sacri præexigunt sanctitatem. Sed status religionis est exercitium quoddam ad sanctitatem assequendam. Unde pondus Ordinum imponendum est parietibus jam per sanctitatem desiccatis. Sed pondus religionis desiccat parietes, id est, homines, ab humore vitiorum.*

ordinandis requirunt Scriptura sacra, SS. Patres, Concilia et theologi.

Merito igitur Synodus Tridentina, Sess. XXII, cap. I, *de reform.*, a clericis exigit ut sint exemplo fidelibus, illos instruens his gravissimis verbis : *Sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum ac religione plenum præ se ferant ; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.* Nec minus sollicite eadem Synodus, Sess. XXIII, cap. XIV, *de reform.*, presbyterandos monet ut sint: *ita pietate ac castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, et vitæ monita ab eis possint expectare.*

Attamen ad licitam et fructuosam Ordinum susceptionem non requiritur, ut ordinandus nunquam peccaverit mortaliter, seu ut innocentiam baptismalem conservaverit ; sufficit, ut innocentiam baptismalem, si eam per peccatum deperdiderit, per seriam pœnitentiam recuperaverit. Quo circa errarunt Pistorienses innuentes disciplinam Ecclesiæ fuisse corruptam, *quod recessum sit a vetere instituto, quo*, ut aiunt, *Ecclesia*

Error Pistoriensium notatur.

insistens Apostoli vestigiis, neminem ad Sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem. Quem errorem proscripsit Pius VI per Bullam AUCTOREM FIDEI, propositione 53ª.

Status gratiæ.

Quid animadvertendum est quoad statum gratiæ, ad licitam et fructuosam susceptionem Sacramenti Ordinis requisitum?

Ad suscipiendum Sacramentum Ordinis requiritur status gratiæ.

R. 1°. Requiritur status gratiæ quia Sacramentum Ordinis est Sacramentum vivorum. Unde qui illud in statu peccati mortalis recipiunt, præter sacrilegium quod committunt, privantur gratiis ordinato maxime necessariis. Cfr. tract. *De Sacram. in genere*, N°. 30, ubi dicitur Sacramentum Ordinis ex communiori sententia reviviscere.

Monitum practicum.

2°. Cum gratiæ Sacramenti Ordinis ordinatis maxime necessariæ sint, et Sacramenta gratiam producant secundum propriam cujusque ea recipientis dispositionem, juxta tradita *De Sacramentis in genere*, N°. 23, multum interest ut ordinandi ab omni etiam veniali labe animam purificent, et fervidissimis precibus se ad ordinationem disponant.

Recta intentio.

Quæ est illa recta intentio, requisita ad licitam susceptionem Tonsuræ et Ordinum?

Recta intentio quæ sit,

R. Intentio Deo et Ecclesiæ in statu clericali aut Ordine suscipiendo fideliter serviendi. Præclare id exponit Catechismus Romanus, *De Ordine*, n. 9: *Qui Ordinis Sacramento initiari volunt, hoc sibi proponant opus est, ut non solum Dei gloriam in omnibus rebus quærant; quod quidem cum omnibus, tum maxime fidelibus commune esse constat: sed etiam ut aliqui certo Ecclesiæ ministerio addicti, in sanctitate et justitia illi serviant.*

et cur requiratur.

Ratio autem, cur hæc intentio requiratur est, quod Tonsura et Ordines in eum finem suscipi debeant ad quem a Deo et Ecclesia instituti sunt; consequenter a culpa immunis non est, qui alienum finem intendit. Talis porro inordinatio plus vel minus gravis est, prout

sinistra intentio magis vel minus a debito fine aberrat, aut ei apponitur. Videri potest S. Alphonsus, n. 785.

Immunitas ab impedimentis canonicis.

A quibus impedimentis canonicis ordinandi debent esse immunes ?

Ordinandi immunes esse debent a censura et irregularitate,

R. Ab excommunicatione, suspensione, interdicto et irregularitate, de quibus in tract. *De Censuris* et *De Irregularitate*. Ideo Archidiaconus, nomine Episcopi, ante ordinationem ordinandos monet, ne quis forsan eorum aliqua irretitus irregularitate vel censura accedat.

Subjectio Episcopo ordinanti.

Quomodo tonsurandus vel ordinandus debet esse subjectus Episcopo ordinanti, ut licite Tonsuram vel Ordines ab eo suscipiat ?

et subjecti Episcopo ordinanti.

R. Debet Episcopo ordinanti esse subjectus ratione originis, domicilii, beneficii vel familiaritatis. Potest tamen aliquis ordinari ab alio Episcopo, vi litterarum dimissorialium Episcopi, cui subjectus est. De his ex professo agetur N°. 16.

Titulus sacræ ordinationis.

Quid hic intelligitur nomine tituli ad licitam susceptionem sacrorum Ordinum requisiti ?

Quid intelligitur per titulum ordinationis.

R. Intelligitur jus percipiendi ea quæ ad honestam ordinandi sustentationem necessaria sunt.

Quæ de titulo sunt scitu necessaria ad hæc puncta reduci possunt; videlicet primum qua lege et qua de causa titulus inductus sit; dein quotuplex titulus distinguatur et quisnam sit legitimus; demum quas pœnas incurrant, qui ordinant vel ordinantur absque legitimo titulo. Hæc autem in subsequentibus quæstionibus successive elucidantur.

Qua lege et cur titulus sacræ ordinationis fuit præscriptus ?

Varia Concilia et præsertim Tridentinum titu-

R. Jam anno 451 Concilium Chalcedonense, can. 6, statuerat, ut nullus ordinaretur nisi ei de sufficienti sustentatione provisum fuisset. Idem porro variis in Conciliis subsequentibus confirmatum est, et tandem

lum pro susceptione sacrorum Ordinum requirunt.

innovatum a Concilio Tridentino, Sess. XXI, cap. II, *de reform.* En tenorem decreti Tridentini : *Cum non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere;... statuit sancta Synodus, ne quis deinceps clericus sæcularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia et ætate, ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit : et aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum; eo quoque prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sunt; atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint; donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint : antiquorum canonum pœnas super his innovando.*

Quo jure et in quem finem titulus introductus fuerit.

Hinc liquet : 1°. titulum ordinationis jure ecclesiastico inductum fuisse; 2°. eumdem requiri ad præcavendum ne ministri sacri cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere cogantur; inde 3°. apparet legem ecclesiasticam, quæ titulum ordinationis præscribit, juri tum naturali, tum divino conformem esse, cum ipsa lex naturalis et jus divinum suadeant removeri omnem contemptum et vilipendium a personis sacro ministerio addictis, cujus dignitas læderetur, si ministri Ecclesiæ cum sui status dedecore cogerentur mendicare aut sordidum aliquem quæstum exercere.

De jure communi pro solis Ordinibus sacris requiritur titulus.

Ex hoc decreto ulterius patet pro solis Ordinibus sacris suscipiendis titulum ordinationis de jure communi requiri, cum dicat Concilium : *Ne quis deinceps clericus sæcularis.... ad sacros Ordines promoveatur.*

Quot distinguuntur tituli, quibus clerici sæculares ad sacros Ordines promoveri possunt?

R. Tres hujusmodi a jure communi admittuntur tituli. Patet enim ex allatis Tridentini verbis, clericos sæculares ad majores Ordines promoveri non posse, nisi titulo *beneficii*, *pensionis* vel *patrimonii*; et quidem duobus posterioribus titulis illos solummodo ordinari posse, quos Episcopi judicaverint assumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum. Pro sæcularibus tres sunt tituli : beneficii, pensionis et patrimonii.

Quid intelligitur per titulum beneficii ?

Titulus beneficii est jus percipiendi fructus ex reditibus beneficii ecclesiastici perpetui ab ordinando possessi, ita ut inde habeat ea quæ ad honestam sustentationem requiruntur. Ex verbis Concilii Tridentini patet necessarium esse, ut ordinandus beneficium pacifice possideat, hocque ad victum honeste sufficiat. Docent Salmanticenses, *De Ordine*, cap. 6, n. 68, aliquem ordinari posse ad titulum coadjutoriæ perpetuæ, imo ad titulum quotidianarum distributionum, dummodo sint perpetuæ. Cfr. S. Alphonsum, n. 815, ubi etiam advertit, non sufficere ad titulum Missarum stipendia, nisi forte communiter occurrant sufficienter ad sustentationem. Qualis requiritur titulus vel beneficii,

Quid notandum est circa titulum pensionis ?

R. *Titulum pensionis*, concurrente Ecclesiæ necessitate vel commoditate, sufficere posse evincitur ex citato decreto Concilii Tridentini. Per pensionem autem intelligitur pensio, a competente auctoritate beneficio imposita; sed ut pensio possit constituere titulum ordinationis, requiritur perpetua seu data ad vitam pensionarii ordinandi; debetque ab ipso pacifice possideri, eique ad victum honeste sufficere. Cfr. Rigantium, *in Reg. 24 Cancellariæ*, § 3, n. 102, 153 seq., ac 157 seq.; et Ventriglia, *Praxis rerum notabilium*, tom. 1, annot. 42, § 1, n. 16 et seq. vel pensionis,

Quid intelligitur per titulum patrimonii, et quænam præcipue conditiones requiruntur ut sit legitimus ?

R. *Titulus patrimonii* est jus necessaria ad sustentationem percipiendi ex bonis ab ordinando possessis. vel patrimonii.

Dicitur, *jus necessaria ad sustentationem percipiendi ;* unde qui tantum haberet dominium directum bonorum, non vero utile, non posset ad illorum titulum ordinari, quia inde sustentari nequit.

Additur, *ab ordinando possessis ;* unde filius patris divitis non potest ordinari ad titulum bonorum patris, nisi ei pars a patre cedatur, quæ ad titulum sufficiat.

De titulo patrimonii notatu digna sunt quæ tradit S. Alphonsus, n. 817, scribens : « Patrimonium debet » esse super re certa, et immobili, ac de sua natura » frugifera, pacifice possessa, nec ære alieno, aut hy- » potheca gravata, ut communiter cum Salm., *De Ord.*, » cap. 6, p. 5, n. 76..... Hinc non sufficit, si aliquis, » etiam scripto, promittat ordinando alimenta, sufficit » tamen census perpetuus adhuc redimibilis, quia hic » de se fructificat ; modo Episcopus cautionem adhi- » beat, ut, si redimatur, in aliam emptionem appli- » cetur, ut notat Croix. Idque sic admittit etiam » Bened. XIV, (*Notif.* 26, n. 12)... Sufficit etiam, si quis » de suis reditibus tot annuos aureos ad sustentatio- » nem sufficientes per instrumentum ordinando donet... » Quod admittit Barbosa apud Croix, n. 2272, casu, » quo urgeret penuria Sacerdotum. » Hoc quoque probat Rigantius, *in Regulam* 24 *Cancellariæ*, § 5, n. 126, si quis, concurrente necessitate vel utilitate Ecclesiæ, promittens, se suosque successores obstringat ad non alienanda bona sine licentia Episcopi, et assignet stipendium cum hypotheca super certa re frugifera ad instar census vitalitii.

Sufficere etiam potest, quibusdam positis conditionibus, pro titulo patrimonii capellania laicalis. Conditiones sequentes requirebat Benedictus XIV, dum erat Archiepiscopus Bononiensis, scribens, loc. cit., n. 11 : « Demandatum capellani munus, licet inter mobilia » referatur, probabimus, si tamen summam a Synodo » propositam exæquet, et qui nominandi jure potiun- » tur, fidem suam, nostra interposita auctoritate, » præstiterint, eum, qui nominatus antea fuerit, in eo » munere futurum, donec vita fungatur ; sive alio pacto » (per aliquod nempe beneficium, seu patrimonium) » honestam vitæ sustentationem sibi comparaverit ; ac » postremo, si non desit aliquis fortasse, qui se ali- » menta præbiturum, data sponsione, polliceatur, si » forte ordinatus legitima causa impeditus Missæ Sa- » crificium celebrare non possit. »

Circa constitutionem tituli patrimonii advertit Lacroix, n. 2278 : « Ad titulum patrimonii aut alterum » non perpetuum, sed habentem se per modum patrimo- » nii, non prærequiritur ulla institutio seu investitura, » sed sufficit præcessisse instrumentum assignationis » et judicium Episcopi de futura illius sufficientia. »

Quænam debet esse quantitas tituli ordinationis ?

Quantitas tituli ubique non est eadem.

R. Secundum decretum Concilii Tridentini supra citatum requiritur talis titulus, qui *ad victum honeste sufficiat*. Quantum vero ad honestam clerici sustentationem requiratur, dependet a diversis personarum, locorum et temporum circumstantiis ; quæ faciunt ut non sit eadem in omnibus regionibus quantitas tituli ordinationis. Unde illa in singulis diœcesibus reperitur vel a taxa synodali præscripta, vel juxta morem regionis requisita, vel arbitrio Episcopi determinanda est, ut notat Rigantius, *in Regulam* 24 *Cancell.* § 5, n. 119.

Episcopus judicat de valore et sufficientia tituli.

Ad Episcopum autem pertinet judicare an ordinandus beneficium, pensionem, aut patrimonium vere et realiter possideat, taliaque sint quæ ei ad honestam vitæ sustentationem sufficiant.

An titulus alienari possit.

Patet etiam ex allatis Tridentini verbis, patrimonium vel pensionem pro titulo assignatam ab ordinatis alienari aut remitti non posse, nisi aliunde habeant unde vivere possint, et licentiam Episcopi obtinuerint. Ad hujus præscripti executionem firmandam Synodus Provincialis Mechliniensis anni 1607, tit. 9, cap. 8, statuit, ut ordinandi jurent, se titulum beneficii vel patrimonii vere et sine fraude possidere, nec cum alienaturos esse nisi de consensu Episcopi, et dum ipsis de alio sufficienti titulo sit prospectum. Cfr. Decretum Archiepiscopale editum in Congregatione Archipresbyterorum, 20 Maii 1851, ubi idem præscribitur.

Quonam titulo ordinantur Regulares professi ?

Regulares professi ordinantur titulo paupertatis.

R. Lex ecclesiastica requirens unum ex præfatis titulis respicit solos clericos sæculares, ut patet ex verbis Concilii Tridentini : *Ne quis deinceps clericus sæcularis*, etc. Regulares per professionem solemnem acquirunt jus ad sustentationem ex bonis communibus Ordinis, cui nomen dederunt, ex Constitutione S. Pii V, Romanus Pontifex, adeoque dicuntur ordinari *titulo professionis*

religiosæ, vel *titulo paupertatis*. At hoc titulo ordinari non possunt nisi solemniter professi et ex speciali privilegio Religiosi Societatis Jesu post emissa vota simplicia ; unde Novitii titulo paupertatis ordinari nequeunt.

Quædam dispensationes a S. Sede in lege tituli concessæ indicantur.

Expositis iis quæ circa titulos jure communi admissos observanda erant, breviter hic notari juvat, quomodo ex indulgentia Sedis Apostolicæ in hac materia quandoque practice provideatur.

Et 1.° Congregationibus quibusdam religiosis vel piis, quæ vota solemnia non emittunt, adeoque uti non possunt titulo paupertatis, interdum concesserunt Romani Pontifices, ut illarum alumni ordinentur ad titulum mensæ communis vel Congregationis. Tale privilegium præter alias obtinuit Congregatio Missionis a Benedicto XIV, per Breve 5 Aprilis 1744, quod ampliatum fuit a Pio VI, Const. Piis Christifidelium, 22 Januarii 1790 ; item Congregatio SS. Redemptoris a Leone XII, Const. Inter religiosas, 11 Martii 1828.

2°. Plures Episcopi Missionibus præfecti, indultum apostolicum obtinent, ut Sacerdotes sibi necessarios ordinare possint *titulo Missionis*, quorum adeo sustentatio incumbit Missioni, cui addicti sunt. Eodem *Missionis titulo* ex concessione RR. Pontificum, sub certis conditionibus, possunt ordinari alumni Collegii de Propaganda fide, et plurium aliorum collegiorum, Romæ et alibi existentium, quorum alumni ad Missiones destinantur.

3°. Tandem, quum hodiedum non raro accidat, plures diœceses Sacerdotum penuria laborare, nec possibile sit, deficientibus jam beneficiis in pluribus saltem regionibus, ab ordinandis omnibus titulum patrimonii afferri, non semel concessit Sedes Apostolica indultum Episcopis, ut absque titulo clericos determinato numero ad Ordines sacros promovere valeant, adhibitis ut plurimum certis cautionibus, ut caveatur periculum, ratione cujus ordinati cum Ordinis dedecore mendicare cogerentur, nimirum ut Episcopus v. g. curet ordinatos, antequam e Seminario egrediantur, de aliquo beneficio vel saltem munere ecclesiastico providere ; vel etiam alio quovis meliori modo studeat secundum

mentem Concilii Tridentini ordinatorum sustentationi consulere. Cfr. S. Congreg. Concilii, in causa *Brugen. tituli sacræ ordinationis*, 24 Aug. 1850.

Quas pœnas ob defectum tituli ordinationis incurrere possunt ordinans et ordinatus?

R. Circa pœnas quæ ob defectum tituli incurri possunt, notanda sunt sequentia :

Pœnæ a jure statutæ contra ordinantem sine titulo.

1°. Episcopus scienter ordinans clericum sæcularem sine titulo, tenetur illum honeste sustentare, donec aliunde ei sit rite provisum; et si Episcopus moriatur antequam ei debite provisum sit, tenebitur ejus successor. Ita cap. *Cum secundum, De præbendis et dignitatibus*, lib. 3 Decretal. Dicitur *scienter*, quia Episcopus non tenetur alere ordinatum sine titulo, si ignoraverit titulum deesse aut esse fictitium ; sicut nec tenetur, si post ordinationem titulus casu pereat.

2°. Juxta Constitutionem Pii PP. IX Apostolicæ Sedis, 4 idus Octob. 1869, *Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.* Hæc suspensio est Summo Pontifici reservata.

3°. Vi ejusdem Const. : *Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso jure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.* Hæc quoque suspensio est Summo Pontifici reservata.

Ordinem sacrum suscipiens sine titulo, vel cum titulo ficto, vel cum vero titulo sed sub conditione nihil unquam exigendi a constituente titulum, aut statim post ordinationem illum annihilandi, probabilius ipso facto suspensus ab Ordine sic suscepto olim dicebatur ; quæ suspensio, casu quo intervenisset cum ordinante pactum nihil exigendi, erat Sedi Apostolicæ reservata. Nunc autem dicendum videtur nullam hujusmodi suspensionem latæ sententiæ hodie pro ordinato adhuc vigere; nam hæ pœnæ non fuerunt renovatæ a Pio IX in Const. Apostolicæ Sedis nec expresse, neque per verba : *quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos.... ipso jure esse decrevit, Nos*

pari modo suspensioni...eosdem obnoxios esse volumus et declaramus. Etenim in præsenti casu, Concilium nullum *directe* suspensum declaravit, sed tantum *indirecte* illud præstitit, dicendo cap. supra cit.: *antiquorum canonum pœnas super his innovando.* Jamvero non videntur fuisse confirmatæ a Pontifice aliæ Tridentinæ suspensiones, nisi quæ ab ipso Concilio directe pronuntiantur. Cfr. Avanzini, in op. *Constitutio qua censuræ latæ sententiæ limitantur* etc. Romæ 1872.

Error Pistoriensium indicatur.

Tandem merito adjicitur circa titulum ordinationis errasse Pistorienses, prout apparet ex propositione 52ª, qua constat, Synodum innuisse, § 5, *De Ordine : Non alium titulum ordinationum fuisse, quam deputationem ad aliquod speciale ministerium, qualis præscripta est in Concilio Chalcedonensi :* et § 6, subjungitur : *quamdiu Ecclesia sese his principiis in delectu sacrorum ministrorum conformavit, ecclesiasticum ordinem floruisse ; verum beatos illos dies transiisse, novaque principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu ministrorum sanctuarii ;* quæ propositio per Bullam Auctorem fidei a Pio VI fuit damnata, quatenus innuit corruptam fuisse disciplinam per decreta et instituta, *quibus pro ecclesiarum necessitate et commoditate probatæ sunt ordinationes sine titulo specialis officii, velut speciatim a Tridentino ordinatio ad titulum patrimonii : salva obedientia, qua sic ordinati ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis, quibus pro loco ac tempore ab Episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab Apostolicis temporibus in primitiva Ecclesia fieri consuevit.*

Ordinibus prærequiritur Tonsura et Ordini superiori Ordo inferior.

An et qua lege Tonsura Ordinibus, et Ordo inferior superiori prærequiritur ?

Ordinibus prærequiritur Tonsura, et Ordini superiori Ordo inferior.

R. Affirmative, præcepto ecclesiastico, uti constat ex variis legibus Ecclesiæ, signanter Concilii Tridentini, Sess. XXIII, cap. XI, XIII et XIV, *de reform.* Ad valorem autem non requiritur ut ordinandus Ordines inferiores jam susceperit, quia, ut ait S. Thomas, Supplem. quæst. 35, art. 5, in corp. : *Potestates sunt distinctæ, et una quantum est de sui ratione, non requirit aliam in eodem subjecto.* Patet etiam ex cap. *Sollicitudo,* dist. 52; et cap. unico, *De clerico per saltum promoto,* lib. 5 Decretal., quæ tantum

jubent conferri Ordinem prætermissum, non vero reiterari jam collatum. Attamen merito S. Thomas, Supplem. quæst. 40, art. 5, docet, ad valorem ordinationis episcopalis prærequiri Presbyteratum, et idem tenent omnes, vel quia putant characterem episcopalem esse tantum extensionem characteris sacerdotalis, vel quia ut character episcopalis valide imprimatur, ex divina institutione character sacerdotalis in subjecto prærequiritur. Cfr. dicta N°. 6.

Qui, prætermisso Ordine inferiori, superiorem susciperet, seu, ut dici solet, per saltum ordinaretur, juxta communiorem sententiam ipso facto suspensus foret ab Ordine sic suscepto. Si tamen non ministraverit, Episcopus ex legitima causa dispensare potest, ut ait Concilium Tridentinum, Sess. XXIII, cap. XIV, *de reform.* Si autem ministraverit, est irregularis ob violationem censuræ et indiget dispensatione Sedis Apostolicæ, nisi delictum occultum foret; tunc enim dispensat Episcopus ex generali concessione Concilii Tridentini, Sess. XXIV, cap. VI, *de reform.* Suspensionem de qua supra, a Concilio Tridentino, Sess. XXIII, loc. cit., non indirecte innovatam, sed potius declaratam fuisse, adeoque etiam post Const. Apostolicæ Sedis in suo vigore permanere docet Avanzini, in op. cit.

Hac in re rursus Ecclesiæ disciplinam ut corruptam innuerunt Pistorienses, quasi immerito ordinationes per saltum vetitæ fuerint, ut constat ex damnata propositione 51ª per Bullam Auctorem fidei.

Est etiam præceptum, primum a S. Silvestro latum, ut ordinatus Ordinem susceptum exerceat, antequam ad altiorem gradum ascendat; quod Concilium Tridentinum innovavit, Sess. XXIII, cap. XI, *de reform.*, quoad Ordines minores; cap. XIII, quoad susceptionem Subdiaconatus ac Diaconatus, et cap. XIV, quoad susceptionem Presbyteratus. Putant tamen Salmanticenses, *De Ordine,* cap. 4, n. 74, illud non obligare sub gravi.

Qui Ordinem superiorem suscipit prius inferiorem exercere debet.

Interstitia.

Quid intelligitur per interstitia, quæ servanda sunt ut Ordines licite suscipiantur?

R. Intelliguntur intervalla temporis, quæ post susceptionem unius Ordinis præterlabi debent, antequam Ordo immediate superior suscipiatur.

Interstitia quid sint.

Ratio, cur interstitia ab Ecclesia præscripta sint, elucet ex his verbis Concilii Tridentini, Sess. XXIII, cap. XI, *de reform. : Ut eo accuratius, quantum sit hujus disciplinæ pondus, possint edoceri, ac in unoquoque munere, juxta præscriptum Episcopi, se exerceant,... atque ita de gradu in gradum ascendant; ut in eis cum ætate vitæ meritum et doctrina major accrescat, quod et bonorum morum exemplum, et assiduum in Ecclesia ministerium, atque major erga Presbyteros et superiores Ordines reverentia, et crebrior, quam antea, Corporis Christi communio maxime comprobabunt.*

Quænam interstitia inter diversos Ordines Ecclesia præscribit?

Interstitia inter diversos Ordines servanda indicantur.

R. Interstitia ab Ecclesia præscripta sunt sequentia :

1°. Inter Tonsuram et Ostiariatum nullum intervallum præscribitur.

2°. Ut ab uno Ordine minore ascendatur ad alium, de jure requiritur aliquod intervallum; nam Tridentinum dicit: *Minores Ordines..... per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur.* Attamen usus invaluit ut minores Ordines simul eadem die conferantur.

3°. Inter minores Ordines et Subdiaconatum idem Concilium requirit intervallum unius anni : *Hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum Ordinum ad sacros Ordines promoveantur : nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat.* Ex quo etiam colligitur, Episcopum posse dispensare. Illicitum tamen est eadem die Ordines minores et Subdiaconatum suscipere, nisi adsit consuetudo contraria ; extra quem casum sic ordinatus, ut colligitur ex Benedicto XIV, *Instit.* 106, n. 10, incurrebat olim suspensionem a Subdiaconatu ; sed hæc pœna non occurrit inter censuras latæ sententiæ, enumeratas in Const. Apostolicæ Sedis, de quo vide tradita pag. 105.

4°. Inter Subdiaconatum et Diaconatum Concilium Trid., ibid., cap. XIII, requirit intervallum unius anni : *Promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, adscendere non permittantur.*

5°. Inter Diaconatum et Presbyteratum item interstitium unius anni requirit Trid., ibid., cap. XIV : *Qui.... in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint.*

Annus sumitur moraliter, a Quatuor Temporibus unius anni ad eadem Quatuor Tempora anni sequentis.

Facultas dispensandi in interstitiis, a Concilio Tridentino, ut ex præcedentibus patet, Episcopis concessa, limitatur sub hoc respectu, quod equidem non possint eadem die duos sacros Ordines eidem conferre. Suspensio Summo Pontifici reservata, quam olim ipso facto incurrebant sic ordinati, non amplius viget, quoniam confirmata non fuit a Pio IX in Const. supra citata. Ordinantis vero pœna est suspensio a collatione Ordinum, sed est ferendæ sententiæ. Cfr. Card. Petra, in Const. 7 Pii II.

Locus et tempus debitum.

Quid observandum quoad locum et tempus, pro susceptione Tonsuræ et Ordinum a jure statuta ?

R. Concilium Tridentinum, Sess. XXIII, cap. VIII, *de reform.*, decernit: *Ordinationes sacrorum Ordinum, statutis a jure temporibus, ac in Cathedrali ecclesia, vocatis præsentibusque ad id Ecclesiæ Canonicis, publice celebrentur: si autem in alio diœcesis loco, præsente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia semper adeatur.*

Quibus in locis ordinatio haberi potest.

Quoad locum. Præceptum Concilii Tridentini de ordinatione facienda in ecclesia Cathedrali secundum declarationem S. Cong. Concilii limitatur ad ordinationem generalem ; alia ordinatio potest haberi ab Episcopo ubique, etiam in capella sua privata. Quinimo hac in re theologi aliquid tribuunt consuetudini, ut S. Alphonsus, n. 798, et Scavini, *De Ordine,* cap. 4, art. 2, n. 15. Debet tamen ordinatio ab Episcopo fieri intra suam Diœcesim. Ordinans extra suam Diœcesim, sine licentia expressa Ordinarii loci, ipso jure suspensus est ab exercitio Pontificalium, et ordinatus ab exercitio Ordinum susceptorum ; ita decrevit Conc. Trid., Sess. VI, cap. V, *de reform.*, adeoque hæ pœnæ in suo vigore permanent post Const. Aposr. Sedis. Exceptio fit pro Tonsura, si hæc privatim, sine Pontificalibus conferatur.

Quoad tempus. 1°. Tonsura potest omni die, et qualibet hora conferri.

Quibus diebus Ordines conferri possint.

2°. Minores Ordines conferri possunt diebus statim indicandis pro Ordinibus sacris, et insuper, si non sit ordinatio generalis, diebus Dominicis, et festis de præcepto, etiam abrogatis, sed mane tantum et congruentius intra Missam.

3°. Ordines majores conferri possunt tantum in Sabbatis Quatuor Temporum, Sabbato ante Dominicam Passionis et Sabbato Sancto, idque sub Missa ab ordinante celebrata.

At plures Episcopi a S. Sede habent indultum conferendi Ordines *extra tempora* a jure statuta. Quocirca vide S. Cong. Conc. in *Cæsaraugustana,* 26 Jan. 1581, apud Fagnanum, n. 42 in cap. *De eo, De temporibus ordinat.*, lib. 1 Decretal.; *Brixien. ordinationis,* 15 Jan. 1689, apud Benedictum XIV, *Instit. eccles.* 106; decretum Clementis XI, 3 Mart. 1712, apud Rigantium, *in Regulam* 24 *Cancellariæ,* § 1, n. 63.

4°. Consecratio episcopalis fieri debet die Dominica, vel festo natalitio Apostolorum, non vero die festo de præcepto, nisi Summus Pontifex specialiter indulserit.

Suspensio latæ sententiæ, quam olim incurrebat promotus extra tempora ad sacrum aliquem Ordinem absque dispensatione apostolica, utpote nullatenus innovata in Const. Apostolicæ Sedis, hodie non amplius viget. Pœna pro ordinante statuitur suspensio a collatione Ordinum, sed est ferendæ sententiæ. Cfr. Giraldi, *Expositio juris pontificii,* part. 2, sect. 95.

Nomina ordinandorum in ecclesia proclamari debent.

His de requisitis ad licitam Ordinum susceptionem expositis, addi potest, quod Concilium Tridentinum, Sess. XXIII, cap. V, *de reform.*, jussit nomina eorum qui ad singulos sacros Ordines sunt assumendi, publice in ecclesia proclamari. De quo vide Decreta Archiepiscopalia 20 Maii 1851, ad IV ; et 29 Aug. 1857, ad V.

N. 16. De ministro ordinario Ordinum.

S. Thom., Supplem. quæst. 38.

Minister Ordinum est ordinarius vel extraordinarius.

Duplex minister Ordinum distinguitur : unus *ordinarius* seu proprius, qui potestate sibi propria ; alter *extraordinarius* seu delegatus, qui ex commissione seu delegatione Summi Pontificis Ordines confert. Hoc N°. disseremus de ministro ordinario, N°. sequenti, de extraordinario.

Quis est ordinarius minister Ordinum ?

Solus Episcopus est minister ordinarius.

R. Ordinationis, quæ omnes Ordines complectitur, minister ordinarius est solus Episcopus. Hoc est *de fide* ex Conc. Trid., Sess. XXIII, can. VII : *Si quis dixerit, Episcopos... vel non habere potestatem... ordinandi ; vel eam, quam habent,*

illis esse cum Presbyteris communem;.... anathema sit. Huic Synodo jam præiverat Concilium Florentinum, in suo decreto docens : *Ordinarius minister hujus Sacramenti est Episcopus.*

Proba Episcopum, eumque solum, esse ordinarium ministrum Ordinum.

R. Probatur I. *Ex Scriptura sacra,* quæ non aliis quam Apostolis eorumque successoribus Episcopis, ordinandi potestatem adscribit. Sic legimus, Act. VI, ab Apostolis septem Diaconos esse ordinatos; ibidem, XIV, a Paulo et Barnaba Presbyteros per ecclesias constitutos. Paulus, I Tim. IV, et II Tim. I, de seipso testatur, quod impositione manuum ordinaverit Timotheum ; præterea suis discipulis Episcopis, nimirum Timotheo, I Tim. III, et Tito, Tit. I, indicat, quibus debeant manus imponere sive Ordines conferre. Prob. I, ex Scriptura.

Probatur II. *Ex Traditione,* cujus auctoritatem sequentia documenta sat ample pro scopo nostro adstruunt. Prob. II, ex Traditione;

1°. *Canones Apostolorum* 1 et 2 hæc statuentes : *Episcopus a duobus aut tribus Episcopis ordinetur. Presbyter ab uno Episcopo ordinetur : item Diaconus, et reliqui clerici.* Auctor Constitutionum apostolicarum, lib. 3, cap. 11, potestatem conferendi varios Ordines *Episcopis solis* adjudicat. 1°. ex can. Apostolorum, et Constitut. Apostolicis,

2°. *Doctrina SS. Patrum.* S. Epiphanius, *Hæres.* 75, adversus Aerium pugnans, magnum discrimen inter Episcopos et Presbyteros esse probat isto præsertim titulo, quod Episcopi *patres* Ecclesiæ generent per ordinationem, Presbyteri vero *filios* duntaxat Ecclesiæ per Baptismum. Sic enim sonant ipsius verba : *Episcoporum ordo ad gignendos patres præcipue pertinet. Hujus enim est patrum in Ecclesia propagatio. Alter* (Presbyterorum), *cum patres non possit, filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit, non tamen patres aut magistros.* Quibus dictis, sic concludit sanctus Pater : *Quinam vero fieri potest, ut is Presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat ?* S. Hieronymus, *Epist. ad Evangelum,* ordinationem Episcopis attribuit, tanquam eximium privilegium Presbyteris nullatenus competens : *Quid enim,* inquit, *facit excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat ?* Et 2°. ex doctrina Patrum,

S. Joannes Chrys., *Hom.* 11 *in Epist. I ad Tim.*, subdit : *Sola ordinatione, superiores* (Episcopi) *sunt, et hinc tantum videntur Presbyteris præstare.*

3°. ex Conciliorum decretis,

3°. *Concilia.* Præclarum testimonium exhibet Concilium Alexandrinum anno 319 ex Ægypto, Lybia, Thebaide et Pentapoli coactum. Quum S. Athanasius indigne accusaretur, quod ipsius jussu dirissime esset tractatus Presbyter quidam, Ischyras nomine, Synodus Alexandrina, ut fama sancti Præsulis intacta servaretur, negavit crimen quod ipsi imputabatur, ac declaravit, qualitatem Presbyteri esse falso tributam Ischyræ, validis argumentis in hunc finem allatis. Porro Concilium ideo Ischyram non esse Presbyterum demonstrat, quia ab alio *Presbytero* ordinatus fuerat, scilicet a Colluthо, qui, cum non esset Episcopus, ordinandi facultatem non habebat.

Hæc doctrina confirmatur decretis Concilii Florentini et Tridentini initio hujus numeri citatis, quibus merito subduntur ea quæ Synodus Trid., Sess. XXIII, cap. IV, docet : *Sacrosancta Synodus declarat,... Episcopos... Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse : quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent.*

4°. ex Ecclesiæ praxi.

4°. *Ecclesiæ praxis* constans et perpetua, uti testantur tum Latinorum libri rituales tum Græcorum Eucologia ; de quibus utiliter consuli potest opus Renaudotii, *Perpétuité de la foi,* lib. 5.

His probationibus addi potest ratio congruentiæ, quæ juxta S. Thomam deducitur ex eo, quod Episcopi sint principes Ecclesiæ : sicut igitur principes sæculares ministeria publica conferunt, ita conveniens est ut potestas instituendi ministros Ecclesiæ, ad solos Episcopos pertineat.

Ex propositis argumentis simul constat, *solum* Episcopum esse ordinarium ministrum ordinationis. Soli enim Episcopi in Scriptura sacra ad hoc ministerium designantur, idemque luculenter etiam adstruit Traditio, quæ insuper alios ministros a collatione Ordinum excludit, utpote non habentes potestatem et characterem requisitum ad hujusmodi ministerium. Unde in

cit. canone Tridentino condemnantur qui docent, potestatem istam Episcopis cum Presbyteris esse communem.

Præcipuæ difficultates hic moveri solitæ solvi possunt ex dicendis N°. seq. de Ordinum ministro extraordinario.

An quicumque Episcopus, qua minister ordinarius, potest Ordines conferre ?

R. Omnis Episcopus, Ordine episcopali rite insignitus, Ordines *valide* confert ; ut autem *licite* simul et *valide* ordinet, insuper est necesse, ipsum ad Catholicæ Ecclesiæ communionem pertinere, et nullo modo ab exercitio potestatis Ordinis episcopalis impediri , puta ob defectum jurisdictionis in ordinandum vel ob censuram, qua esset irretitus.

Ad licitam simul et validam ordinationem requiritur Episcopus consecratus, catholicus et nullo canonico impedimento laborans.

Episcopus, in quo præfatæ conditiones verificantur, vocatur minister Ordinis *legitimus ;* una aliave deficiente, dicitur *illegitimus.*

Ex dictis fluunt hæc consectaria :

1°. Episcopus electus et confirmatus, nondùm vero consecratus, Ordines conferre non valet ; caret enim potestate Ordinis episcopalis. Potest tamen alteri Episcopo ordinationem sui subditi committere, quia ad hoc sola jurisdictio sufficit.

2°. Episcopus consecratus, sed hæreticus, schismaticus, excommunicatus aut etiam degradatus, illicite utique ordinat sed valide, modo debitam materiam et formam servet, habeatque intentionem faciendi quod facit Ecclesia.

Rejicitur doctrina Morini.

Contendit quidem Morinus, ordinationes ab illegitimo ministro peractas, invalidas esse, utpote factas contra canones Ecclesiæ, qui hujusmodi ordinationes prohibent ; multisque exemplis hoc probare nititur, ubi tales ordinationes vocantur irritæ, cassæ, et ordinati nihil accepisse, iterumque consecrari dicuntur. Sed ad hæc respondetur, illas ordinationes irritas vocari, eo quod ordinati suspensi essent ab Ordinis executione : potestas autem impedita, nulla reputatur. Quod vero tales aliquando dicantur rursus consecrari, tantum importat, quod liberum Ordinum exercitium aut pristinus gradus ipsis restitueretur : tunc enim solebant adhiberi fere eædem ceremoniæ, quæ in Ordinum collatione adhibebantur. De his plura legi possunt apud Sylvium, Tournely, et alios.

Nota ex Const. Apostolicæ Sedis : *Suspensionem* Summo

Pontifici reservatam *ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eumdem Ordinem recipere præsumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab hæretico vel schismatico notorio : eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.*

Quid sentiendum de validitate ordinationum jansenistarum et anglicanorum ?

Sententia circa ordinationes jansenianas et anglicanas.

R. Validæ sunt ordinationes ab Episcopis Jansenistis factæ, v. g. Hollandis, quippe qui characterem episcopalem habent, et ritus Pontificalis Romani accurate servant.

Secus dicendum est de ordinationibus anglicanis : sententia enim hodie communis asserit, eas esse invalidas ob defectum characteris episcopalis in Matthæo Parkero, a quo reliqui Episcopi anglicani hæretici originem suam omnes ducunt. Jamvero, juxta ea quæ a scriptoribus coævis et oculatis testibus memoriæ prodita sunt, Parker fuit anno 1559 Londini in aliqua taberna Episcopus inauguratus a Joanne Scoræo, Episcopo Roffensi, non adhibitis materia ac forma requisitis. De valore istius ordinationis fuit ab initio non solum a Catholicis sed etiam a protestantibus valde dubitatum ; ita ut Angliæ gubernium necessarium judicaverit ad reginæ Elisabethæ interventum recurrere, ut ordinatio ab omni defectu sanaretur.

Post annos autem circiter quinquaginta quatuor, hac de re in lucem prodierunt nova acta, quæ reperta feruntur anno 1613 in archivo palatii archiepiscopalis Lambethani. Acta Lambethana Parkeri ordinationem solemniter celebratam exhibent, anno 1559, in sacello dicti palatii, a Gulielmo Barlowio, electo Episcopo Cicestrensi. Recenter D. Lingard, aliis tamen contradicentibus, horum documentorum veritatem defendit, quin ideo, ut ipse affirmat et par est, ordinationum anglicanarum validitatem propugnare velit. Sed quidquid opinentur historiæ scriptores de præpostera hujusmodi actorum editione et de ipsorum authentia, nihilominus gravissimæ rationes contra valorem ordinationis Parkeri supersunt. Videtur enim ipse Barlowius, Parkeri consecrator, non habuisse episcopalem characterem et deinde certum est, Parkerum inauguratum fuisse juxta formam essentialiter vitiatam in rituali Eduardi VI præscriptam.

Hinc perspicuum est quanto jure affirmetur ordinationes anglicanas, quæ omnes a Parkero derivantur, esse invalidas. Quapropter, qui in secta anglicana habiti fuerunt tanquam Episcopi vel Presbyteri, et ex ea redeunt ad sinum veræ Ecclesiæ, merito in clerum catholicum non adsciscuntur, nisi prius Ordines debito ritu susceperint.

Istarum ordinationum invaliditatem contra P. Le Courayer late probant Harduinus, Michael Le Quien, etc. Plura notatu digna reperies apud Perrone, *De Ordine*, n. 137; *De locis theologicis*, part. 1, n. 313, in nota; et apud Ill. Kenrick, *De sacris Ordinibus*, cap. 9.

Quos Ordines Episcopus conferre potest?

Episcopus confert Ordines omnes.

R. Omnes Ordines, etiam Episcopatum. De hoc tamen Ordine specialis occurrit quæstio; unde petitur:

An pro consecratione Episcopi sufficit unus Episcopus, an vero requiruntur plures?

R. Quædam uti certa, quædam vero uti controversa habentur.

De numero Episcoporum, qui requiruntur in Episcopi consecratione, quædam sunt certa;

1°. Certum est, citra Papæ dispensationem, plures Episcopos requiri ad *licitam* alicujus Episcopi consecrationem. Etenim sacri canones et Concilia edicunt ut plures, et quidem ad minus tres, adsint. Est hæc constans Ecclesiæ praxis: unde etiam Pontificale Romanum positive præscribit, ut præter consecratorem adsint *duo ad minus Episcopi assistentes*, ac singulos ritus ab eisdem peragendos accurate assignat.

2°. Certum etiam est quod, accedente pontificio indulto, unus Episcopus sufficiat tum ad *liceitatem* tum ad *valorem* consecrationis. Constat ex praxi Summorum Pontificum, qui frequenter dispensationem concesserunt; et hisce etiam temporibus elargiuntur, ut in iis regionibus, in quibus haud facile tres Episcopi simul convenire valent, electus Episcopus consecrari queat ab uno tantum Episcopo, assistentibus duobus Presbyteris in dignitate ecclesiastica constitutis, vel duobus etiam simplicibus Sacerdotibus.

aliquod punctum controversiæ subjacet.

3°. Controvertitur inter auctores, an indultum pontificium, vi cujus aliquis Episcopus consecratur ab uno tantum vel duobus Episcopis, requiratur ad *valorem* consecrationis.

Breviter expone hanc controversiam.

Controversia exponitur. R. Vasquez, Bellarminus, De Coninck aliique, hujusmodi dispensationem ita necessariam esse putant ad Episcopi consecrationem, ut, ea deficiente, consecratio non tantum illicita, sed etiam invalida sit. Nituntur præcipue :

1°. *Scriptura sacra,* nimirum verbis S. Pauli, I Tim. IV, 14, ubi Apostolus dicit : *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi.... cum impositione manuum presbyterii*, id est, cœtus Presbyterorum. Jam vero illi Presbyteri sunt Episcopi, uti inter alios interpretantur S. Joannes Chrysostomus et OEcumenius. Ergo ex divina ordinatione, aiunt, plures requiruntur Episcopi, et sic tempore Apostolorum jam obtinebat.

2°. *Præscriptis sacrorum canonum,* quibus conformis est perpetua Ecclesiæ Græcæ ac Latinæ *praxis*, juxta quam, extra Pontificis commissionem, omni tempore plures, et plerumque tres Episcopi fuerunt adhibiti.

Attamen his rationibus non moventur alii multi, qui prædictæ sententiæ adversantur : citatum enim Pauli textum conferunt cum verbis ejusdem Apostoli, II Tim. I, 6 : *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum,* ubi Timotheus peculiari ratione a Paulo ordinatus exhibetur. Unde Estius, *In I Tim. IV,* notat, « cæremoniam quidem impositionis » manuum a pluribus fuisse adhibitam, sed solum Pau» lum ea peregisse quæ Sacramento substantialia erant. »

Quoad canones, qui plures Episcopos exigunt, respondetur, illos tantum loqui de licita, non vero de valida consecratione.

Negant igitur hi auctores, commissionem Summi Pontificis ad valorem consecrationis, ab uno tantum vel duobus Episcopis celebratæ, necessariam esse. Sic Sardagna, Cardinalis Gotti, Josephus Catalanus et alii. Ex ipsorum argumentis sint hæc selecta :

1°. *Ratio theologica* adest. Quilibet Episcopus, aiunt, habet plenitudinem potestatis episcopalis, quæ ex aliorum præsentia minime augetur : ergo quemcumque Ordinem conferre possunt tres Episcopi, eumdem potest etiam unicus conferre ; nec ostendi potest Christum aliter statuisse.

2°. *Pontificale Romanum* ac vetus Ordo Romanus, ex tribus Episcopis, unum vocant *consecratorem*, alios vero *assistentes;* adeoque hi adhiberi videntur, non ex necessitate, sed pro majori solemnitate et in testimonium, quod ordinatio peracta sit plurium judicio et consensione; sicque loco illorum ex commissione Papæ adhibentur simplices Sacerdotes, qui Episcoporum assistentium vices suppleant.

5°. *Auctoritas Ecclesiæ,* quæ ratam habuit consecrationem episcopalem ab uno tantum vel duobus Episcopis factam, etiam citra Papæ dispensationem. Sic Evagrius, sæculo IV, fuit ordinatus Episcopus Antiochenus a solo Paulino, sine indulto pontificio, ut constat ex Theodoreto, *Hist. eccles.*, lib. 5, cap. 23; quæ tamen ordinatio habita fuit valida, ut eruitur ex *Epist.* 23 *Innocentii I Papæ ad Bonifacium*. Alia exempla ex antiquitate apud auctores allegantur.

Eadem sententia confirmatur ex eo quod, recentiori tempore, Benedictus XIII, in Brevi Qua sollicitudine, 21 Febr. 1725. quod reperitur in Bullario Romano, consecrationem Archiepiscopi Jansenistæ, Cornelii Steenhoven, ab uno Episcopo, Dominico Maria Varlet, Episcopo Babyloniensi peractam nulla habita dispensatione, *illicitam et execrandam,* non vero invalidam declaraverit; imo validam supponat, cum adjiciat, sic *illicite consecratum ab omni exercitio episcopalis Ordinis esse suspensum;* item ex eo quod Clemens XIII, Presbyteros Jansenistas ab eodem Archiepiscopo ordinatos, censuerit valide ordinatos fuisse. Plura vide apud Bened. XIV, *De Synodo,* lib. 13, cap. 13.

Quibusnam Episcopus Ordines conferre potest?

Episcopus solos subditos valide ac licite ordinat; etiam non subditos, si afferant dimissorias.

R. Omnis Episcopus *valide* ordinat quemcumque ordinationis capacem; *licite* vero solum sibi subditum seu illum, cujus est Episcopus proprius pro ordinatione; vel etiam alium sibi non subditum, modo obtinuerit a proprio ipsius Ordinario licentiam, quæ dari solet per litteras *dimissorias* seu *dimissoriales:* et Conc. Trid., Sess. XXIII, cap. VIII, *de reform.* statuit ut, *si secus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.* Imo, juxta Pii IX Const. Apost. Sedis, Summo Pontifici reservatam *suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub prætextu beneficii statim conferendi,*

aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus. Pro specialibus casibus statuuntur pœnæ ibid., ad VII. De litteris testimonialibus aliquoties requisitis ad licitam subditi ordinationem, vide Const. Innocentii XII anni 1694, SPECULATORES, mox citandam.

Quotuplici titulo potest ordinandus esse subditus alicujus Episcopi, quoad Ordines suscipiendos ?

Subditus vel Episcopus proprius vocatur titulo originis, domicilii, beneficii, vel trienalis familiaritatis.

R. Communiter assignatur triplex hujusmodi titulus, scilicet titulus *originis, domicilii* et *beneficii*. Ita ex cap. *Cum nullus, De temporibus ordinat.* in 6. Accedit ex antiqua consuetudine quartus titulus dictus *triennalis familiaritatis*, vi cujus Episcopus iis, qui per triennium ipsi famulatum præstiterunt, Ordines conferre potest ; modo adimpleantur conditiones circa hunc titulum traditæ in Conc. Trid., Sess. XXIII, cap. IX, *de reform.;* et Sess. XIV, cap. II, *de reform.*, ac de cætero servetur Const. SPECULATORES, quæ est præcipuum documentum in præsenti materia.

Conformiter ad hæc Episcopus variis illis modis est et appellatur *Episcopus* alicujus *proprius*, prout est Episcopus vel originis, vel domicilii, vel beneficii, vel familiaritatis.

Quæ requiruntur in prælaudata Constitutione Innocentii XII, ut tres priores tituli vere subsistant ?

Quisnam est subditus ratione originis,

R. Sequentia decernit Pontifex : 1°. *Subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus patris in illo loco, quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum, et naturalis patris origo erit attendenda.*

domicilii,

2°. *Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi Ordines is duntaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum*

demonstraverit; et nihilominus ulterius utroque casu se vere, et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet.

3°. De subdito ratione beneficii hæc statuit idem Pontifex: beneficii.

Licet clericus ratione cujusvis beneficii in aliena diœcesi obtenti subjici dicatur jurisdictioni illius Episcopi, in cujus diœcesi beneficium hujusmodi situm est, eam tamen de cætero hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi beneficium prædictum ejus sit redditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur.

Quid juris si quis vario titulo diversos habet Episcopos proprios?

R. Si quis habeat plures Episcopos proprios, v. g. si in una diœcesi natus, in altera domicilium fixerit aut beneficio fruatur, in tali casu, qui Ordinibus est initiandus, ordinationis Episcopum eligere potest. Electione autem semel facta, inquit Steyaert, *De Sacramento Ordinis*, § 4, n. 3, non potest amplius variare. Hoc ultimum tamen plures auctores negant, juxta quos licitum est, a diversis Episcopis diversos suscipere Ordines, dummodo hoc non fiat in fraudem, et simul observentur præscripta Concilii Trid. et Constitutionis Speculatores. Rationem dant, quod nulla lex hujusmodi variationem prohibeat; deinde sese fundant in ipsa allegata Constitutione et in variis S. C. C. declarationibus. Hanc sententiam tenet Rigantius cum aliis ab ipso citatis, *in Regulam 24 Cancellariæ*, § 3, n. 81 et seqq. Si quis diversos habet Episcopos proprios, potest Episcopum eligere.

A quonam Episcopo ordinandi sunt Regulares?

R. Regulares debent Ordines suscipere ab Episcopo, in cujus diœcesi situm est monasterium, ubi tunc commorantur, nisi ab Apostolica Sede speciale obtinuerint privilegium, vi cujus, a quo voluerint catholico Antistite, ordinari possint. Hoc habetur ex cap. *Cum nullus, De temp. ord.* in 6. Hujusmodi vero privilegium, Regulares ordinari debent ab Episcopo in cujus diœcesi situm est monasterium,

nisi habeant 1°. privilegium nominatim, aut 2°. Episcopus diœcesanus sit absens vel non ordinet, servatis tunc servandis.

ut valeat, debet religioso Ordini concessum fuisse post Trid. Concilium, et quidem nominatim atque directe, non vero per communicationem privilegiorum.

Si Episcopus diœcesanus a sua diœcesi absens sit vel ordinationes non sit habiturus, tum potest Superior regularis subditis dimissorias dare ad quemcumque alium Episcopum. Istæ tamen litteræ nullius sunt roboris et momenti, *nisi illis juncta fuerit attestatio authentica Vicarii generalis vel Cancellarii aut Secretarii ejusdem Episcopi diœcesani, ex qua constet, vel ipsum a diœcesi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto.* Sunt verba Benedicti XIV, qui in Bulla Impositi nobis, anni 1747, controversias circa ordinationem Regularium olim vigentes refert, varia ipse determinat vel a prædecessoribus statuta confirmat.

A quonam ordinari debeant Novitii, controvertitur.

A quonam ordinari debeant Regularium Novitii, controvertitur. Suarez censet eos ordinandos esse ab Episcopo originis vel domicilii, Fagnanus vero ab Episcopo loci ubi regularis familia degit.

Quæ hic dicuntur de Episcopo ordinante Regulares, salvam relinquunt facultatem inferioribus Prælatis concessam, conferendi Regularibus sibi subditis Tonsuram et Ordines minores. De quo Conc. Tridentinum, Sess. XXIII, cap. X, *de reform.*, et N. sequens.

Ad præsentem materiam multiplices spectant quæstiones particulares, quæ, casu emergente, requiri possunt apud canonistas. Consuli præsertim merentur Rigantius, *in Regulam 24 Canc.*, § 3; Angelus Lucidi, *De visitatione sacrorum Liminum*, *De secundo relationis capite, ad III.* Romæ 1866.

N. 17. De ministro extraordinario Ordinum.

S. Thom., Supplem. quæst. 38.

Quisnam est minister extraordinarius Ordinum?

Presbyter delegatus a Summo

R. Simplex Sacerdos seu Presbyter, obtenta commissione seu delegatione Summi Pontificis tam pro vali-

ditate quam pro liceitate ordinationis. Hæc conditio in omnibus sequentis quæstionis partibus subintelligitur. Pontifice est minister extraordinarius Ordinum.

Quosnam Ordines simplex Sacerdos sic conferre potest?

R. Distinguendo varios Ordines :

1°. Certum est, Tonsuram et minores Ordines a simplici Sacerdote conferri posse. Hoc tenent omnes theologi catholici cum S. Thoma, quæst. cit., art. 1, ad 3, quorum doctrina concordat cum praxi Ecclesiæ et Concilio Tridentino. Hæc enim sancta Synodus hujusmodi potestatem supponit, Sess. XXIII, cap. X, *de reform.*, ubi dicit : *Abbatibus, ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum... cuiquam, qui Regularis subditus non sit, Tonsuram vel minores Ordines conferre.* Conferre potest Tonsuram et Ordines minores;

2°. Subdiaconatum a simplici Sacerdote posse conferri, aliqui negant; sed communius affirmatur, tum ob auctoritatem theologorum, tum præsertim ob factum Summorum Pontificum a quibus ejusmodi facultas fuit concessa, et quos in hac materia gravissima arguere erroris non licet. et juxta communiorem sententiam etiam Subdiaconatum,

3°. Ad Diaconatum quod attinet, affirmant quidam, ut Henno et Platel, ipsum a Presbytero posse conferri. Contendunt per Bullam Innocentii VIII, anni 1489, Abbatibus Cisterciensibus ejusmodi facultatem concessam fuisse pro eorum religiosis; necnon Abbatem generalem Cisterciensium ea usum fuisse Romæ, anno 1622, et Gandavi, anno 1663. At plerique hanc opinionem rejiciunt, et negant talem Bullam vere a Summo Pontifice esse emanatam, cum non reperiatur in Bullario Romæ edito, nec in ullo alio publico monumento; et sic ostendunt nutare fundamentum cui adversariorum sententia innixa est. Ita Steyaert, Tournely, Drouin, Salmanticenses cum aliis pluribus. non tamen juxta plerosque Diaconatum.

4°. Quantum ad Presbyteratum, communis et certa sententia est, illum per simplicem Sacerdotem nullatenus conferri posse. Nec obstat huic doctrinæ quod, in ordinatione Presbyterorum, Sacerdotes assistentes Episcopo ordinanti manus ordinandis imponant; quia hæc impositio mere cæremonialis est, et ad materiam essentialem non pertinet. Nec refert, quod Chorepiscopi legantur olim ordinasse Sacerdotes; nam abstrahendo Non potest conferre Presbyteratum

a quæstione, utrum Chorepiscopi fuerint ordinarie veri Episcopi, an tantummodo Presbyteri, negari non potest, eos interdum charactere episcopali fuisse exornatos; et de his solis intelligi debet, quod aliquando Presbyteratum contulerint. Cfr. Bellarminum, *De cleric.*, lib. 1, cap. 17.

nec Episcopatum. 5°. De Episcopatu omnes conveniunt, quod simplex Sacerdos Episcopum consecrare nequeat; quia, si non potest ordinare Presbyterum, a fortiori nec Episcopum consecrare: nulli enim possibile est dare illud quod non habet.

Objectio. *Objicitur.* Minister Sacramenti Ordinis est institutionis divinæ. Jam autem simplex Sacerdos ex divina institutione non est minister hujus Sacramenti. Ergo talis fieri nequit per commissionem seu delegationem Summi Pontificis.

R. Ordines pro quibus ista delegatio conceditur, ut Sacramenta habentur vel non, juxta controversiam quæ N°. 9 et 10 agitata fuit.

Illi qui sustinent, hos Ordines non esse Sacramenta, sed esse tantum institutionis ecclesiasticæ, se facile ab hac objectione expediunt; cum illud, quod est institutionis mere ecclesiasticæ, ab Ecclesia vel Pontifice committi certe possit simplici Sacerdoti. Si vero dicti Ordines habentur ut Sacramenta, dicendum est, Christum duplicem illorum ministrum instituisse, ordinarium scilicet, qui est Episcopus, et extraordinarium, qui est simplex Sacerdos cum commissione Summi Pontificis; non secus ac minister ordinarius Confirmationis est solus Episcopus, ubi tamen ex commissione Pontificis, talis etiam est simplex Sacerdos.

N. 18. De cælibatu ecclesiastico.

S. Thom., Supplem. quæst. 53, art. 3.

In aliis S. Theologiæ et juris canonici tractatibus sermo est de variis obligationibus quæ ex Ordine profluunt, ac etiam de omnibus quæ ad honestam clericorum vitam pertinent. His igitur prætermissis, in

præsenti tractatu solum quædam addenda sunt de cælibatu ecclesiastico.

Quid est cælibatus ecclesiasticus?

R. *Est status perfectæ continentiæ, ad quam tenentur clerici in majoribus Ordinibus constituti.* Definitur cælibatus ecclesiasticus.

Omnes clerici sacros Ordines suscipientes, ipso facto obligationem cælibatus contrahunt, sive illa obligatio immediate oriatur ex vi præcepti Ecclesiæ, sive ex voto illis Ordinibus annexo. Constat tum ex Ecclesiæ praxi, tum ex jure scripto; de quo can. *Nullum*, dist. 28, et cap. *Sane*, *De clericis conjugatis*, lib. 3 Decretal. Unde Episcopus promovendos ad Subdiaconatum his verbis Pontificalis Romani alloquitur: *Filii dilectissimi, ad sacrum Subdiaconatus Ordinem promovendi, iterum atque iterum considerare debetis attente, quod onus ultro appetitis. Hactenus enim liberi estis, licetque vobis pro arbitrio ad sæcularia vota transire; quod si hunc Ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire, sed Deo, cui servire, regnare est, perpetuo famulari; et castitatem, illo adjuvante, servare oportebit, atque in Ecclesiæ ministerio semper esse mancipatos. Proinde, dum tempus est, cogitate; et, si in sancto proposito perseverare placet, in nomine Domini, huc accedite.* De cælibatu existit in Ecclesia lex, cujus natura explicatur verbis Pontificalis Romani

Hujusmodi est hæc continentiæ lex, ut invalidum sit matrimonium attentatum ab iis, qui in sacris Ordinibus sunt constituti; quod expresse declarat Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, can. IX, ubi sic definitum est: *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto; .... anathema sit.* Cfr. tract. *De Matrimonio*, N°. 74. et Concilii Tridentini.

Jam ab antiquo sacer Ordo impedimentum matrimonii dirimens constituit. Ad hanc rem refertur propositio 72ª ex damnatis a Summo Pontifice, Pio PP. IX, in Syllabo adjuncto Encyclicæ Quanta cura, 8 Dec. 1864. Sic sonat: *Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.*

Expone breviter disciplinam utriusque Ecclesiæ, Græcæ et Latinæ, circa cælibatum sacris Ordinibus annexum.

Apud Latinos et Græcos viguit ab initio Ecclesiæ disciplina cælibatus; perduravit illæsa in Ecclesia Latina, non ita in Græca:

R. Ab Ecclesiæ primordiis, apud Latinos ac etiam Græcos, majores clerici post ordinationem uxores ducere, aut ante ipsam ductis uti prohibebantur. Utrum hæc disciplina ab initio certa determinataque lege, an vero tantummodo consuetudine moribusque niteretur, non ita constat.

Ecclesia Latina a dicta lege nunquam deflexit, sed ipsam aliquando plus minusve debilitatam, novis decretis roboravit. Apud Græcos autem vetustissima disciplina quoad usum, post ordinationem, matrimonii antea contracti, paulatim relaxata est, donec tandem ea, quæ temporis tractu in pravam consuetudinem abierant, firmata fuerint sæc. VII, in famoso can. 13 Synodi Trullanæ seu Quinisextæ. Juxta hoc decretum Subdiaconis, Diaconis et Presbyteris permittitur usus conjugii cum uxoribus, quas ante Ordinum susceptionem duxerant. Canonem istum tolerarunt quidem Summi Pontifices, nunquam tamen approbaverunt. Unde legimus apud Bened. XIV in Constitutione Etsi Pastoralis, 26 Maii 1742, § 7 : *Etsi expetendum quam maxime esset, ut Græci, qui sunt in sacris Ordinibus constituti, castitatem, non secus ac Latini servarent: nihilominus, ut eorum clerici, Subdiaconi, Diaconi, et Presbyteri uxores in eorum ministerio retineant, dummodo ante sacros Ordines, virgines, non viduas, neque corruptas, duxerint, Romana non prohibet Ecclesia.*

apud Græcos obtinet canon Trullanus.

Interim ex antiqua disciplina hæc duo semper fuerunt servata et hodiedum adhuc vigent in Ecclesia Græca : 1°. Episcopi ad perfectum cælibatum tenentur; 2°. Majores clerici, Ordine semel suscepto, nuptias contrahere non amplius possunt.

Cum fructu legentur, quæ de his habet Bened. XIV in citata Constitutione et in Instructione Eo quamvis tempore, 4 Maii 1745.

Lex cælibatus sacris ministris imposita estne divina an vero ecclesiastica ?

Lex cælibatus est ecclesiastica, quod

R. Fuerunt aliquando theologi docentes, hanc legem ex jure divino oriri. Sed, omissis aliis rationibus, notari potest, quod hæc opinio componi nequeat cum

indulgentia Romanorum Pontificum erga Græcos, qui post susceptos Ordines sacros, usum matrimonii antea contracti retinent; nec cum dispensatione ab obligatione cælibatus, majoribus clericis aliquando concessa ob causam gravissimam et publicam, ita tamen ut omne Ordinum exercitium dispensatis auferatur. Sic Julius III, sæculo XVI, Cardinali Polo, suo in Anglia legato sub Maria Regina, facultatem dedit dispensandi in lege cælibatus cum clericis sæcularibus, tantum Presbyteris, Diaconis et Subdiaconis, qui tempore schismatis anglicani, matrimonium de facto attentaverant; et Pius VII, in Bulla confirmatoria Concordati 15 Aug. 1801, declarat, se per Breve ejusdem diei, vestigia fuisse secutum Julii III, circa ecclesiasticos viros qui, in sacris constituti, tempore perturbationis gallicanæ, matrimonia attentaverant. Hac potestate postea etiam usus est idem Pontifex, ut patet ex suo rescripto ad Episcopos et Vicarios capitulares Galliarum, circa dispensationes matrimoniales, de 17 Feb. 1809. Jamvero hujusmodi dispensatio vel tolerantia locum non haberet, ubi de violato divino jure ageretur. Dicendum ergo est, quod lex cælibatus sacris ministris imposita, sit mere ecclesiastica; sed, ut in decursu manifestum fiet, sacrosancta est hæc obligatio in Ecclesia, et fundamentum habet firmissimum in Scriptura sacra et antiquissima Traditione. ostenditur ex factis.

Lex illa cum sit ecclesiastica, peti hic potest, an liceat unquam marito, vivente adhuc uxore, sacros Ordines suscipere, et quo pacto. Huic quæstioni satisfit in tractatu *De Matrimonio*, N°. 56.

Quinam cælibatui ecclesiastico adversantur?

R. Sacræ hujus disciplinæ præcipui adversarii sunt: 1°. Protestantes, qui contendunt hanc legem a Gregorio VII fuisse introductam eamque esse tum antiquitati tum æquitati contrariam. 2°. Increduli et pseudo-politici, qui legi cælibatus ideo refragantur, quasi juri naturali necnon communi reipublicæ seu societatis civilis bono repugnaret. Cælibatui adversantur Protestantes, increduli ac pseudo-politici;

Contra istos errores, sequentes propositiones stabilimus: contra eos

quædam propositiones stabiliuntur.

Disciplina cælibatus ecclesiastici

1°. firmum habet in antiquissima Ecclesiæ Traditione fundamentum ;

2°. est sacro ministerio summopere conveniens ;

3°. juri naturæ non repugnat ;

4°. reipublicæ civilis bono non solum non adversatur, sed econtra maxima exinde commoda in ipsam profluunt.

Proba legem cælibatus, sacris ministris impositam, firmum habere in antiquissima Ecclesiæ Traditione fundamentum.

Ab ima antiquitate prohibitum fuit : I, Matrimonium inire post susceptos Ordines sacros. Probatur.

R. Cælibatus lex, ut ex antedictis constat, prohibet, post sacros Ordines susceptos, 1°. matrimonium inire ; 2°. uti matrimonio ante inito. Atqui, quoad utramque partem, cælibatus remotissima antiquitate nititur.

Probatur pars prior. Cælibatus disciplina, quatenus vetat ne matrimonium post Ordines sacros susceptos ineatur, semper viguit in universali Ecclesia, tam apud Græcos quam apud Latinos ; insuper pro hac re consensus omnium sectarum, quæ in Oriente ab Ecclesiæ unitate defecerunt, nobis suffragatur. Jamvero perpetua ac universalis hujusmodi praxis communem prodit originem, et ad remotissima, imo ad Apostolorum tempora referatur, necesse est.

II, Post Ordinationem, uti matrimonio ante contracto. Probatur 1°. exemplo Apostolorum,

Probatur pars posterior sequentibus argumentis :

1°. *Exemplo Apostolorum.* Tertullianus, lib. *De Monogamia*, docet Apostolos, solo Petro excepto, uxoribus semper carnisse. Deinde S. Hieronymus, *Epist.* 48 *ad Pammachium*, n. 21, errores confutans Joviani et Vigilantii, qui cælibatum ecclesiasticum impugnabant, conspicuis verbis testatur de omnibus Apostolis, quod, post vocationem ad Apostolatum, continentiam servaverint. *Christus virgo*, ait, *virgo Maria, utriusque sexus virginitatis dedicavere principia ; Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes.*

2°. ex consuetudine ecclesiarum,

2°. *Ex consuetudine ecclesiarum.* Testes pro Ecclesiis orientalibus sunt Origenes, Hieronymus, Eusebius et Epiphanius. Præterea hic S. Pater, *Hæres.* 59, ostendit, cælibatum inductum fuisse, non ad modum consilii, sed per canones seu per leges ab Apostolis et Ecclesia præscriptas.

Quoad Latinos, viri eruditi contendunt, legem continentiæ a B. Petro Apostolo impositam fuisse non solum Romanæ, sed toti Ecclesiæ Latinæ. Christianus Lupus in prima proœmiali dissertatione, *De Latinorum Episcoporum et clericorum continentia*, cap. 1, hanc sententiam sequentibus verbis proponit : « Romanæ ac omnis » Latinæ Ecclesiæ Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos » sanctus Petrus Apostolus omnino compulit ad plenam » continentiam ; ad antea etiam ductæ uxoris usui re- » nuntiandum. » Postea rem evolvit speciatim pro Ecclesia Africana, citando auctoritatem necnon exemplum Tertulliani, tum etiam testimonium Aurelii, Africanæ Diœceseos Primatis. Hic Præsul, cum avitam Episcoporum, Presbyterorum atque Diaconorum castitatem restaurare intenderet, Synodum Carthaginensem II, anno 390 celebratam, sic allocutus est : *Quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.*

3°. *Ex auctoritate Summorum Pontificum et decretis Conciliorum.* Antiquissima Romanorum Pontificum et Conciliorum præscripta, quæ versantur circa legem cælibatus ecclesiastici, de ea loquuntur, non quasi primum ipsam ferant, sed uti de disciplina, quæ ab antiquitate dimanans, imo ab Apostolis tradita, denuo instauretur, urgeatur ac novis sanctionibus confirmetur. 3°. ex auctoritate SS. Pontificum et Conciliorum.

S. Siricius, creatus Papa anno 385, in *Epist. ad Himerium Tarraconensem Episcopum*, sermonem habens de continentia a sacris ministris servanda, his verbis appellat ad veteres sanctiones : *Dominus Jesus..... Ecclesiam, cujus sponsus est speciosus forma, castitatis voluit splendore radiare, ut in die judicii, cum rursus advenerit, sine macula et ruga eam possit, sicut per Apostolum suum instituit, reperire. Quarum sanctionum Sacerdotes omnes atque Levitæ insolubili lege adstringimur, ut a die ordinationis nostræ, sobrietati ac pudicitiæ, et corda nostra mancipemus et corpora.* Eodem sensu Innocentius I, *Epist. ad Victricium Rothomagensem, et Exuperium Tolosanum, Galliæ Episcopos ;* S. Leo Magnus, *Epist. ad Rusticum Narbonnensem.*

Quoad Concilia citari possunt sæc. IV, Conc. Eliberitanum, Taurinense et præsertim Carthaginense II. Hujus ultimi, de quo jam supra, memoratu digna sunt

hæc can. 2 verba : *Episcopos, Presbyteros et Diaconos ita placuit, ut condecet sacrosanctos Antistites, et Dei Sacerdotes, necnon et Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare ; ut, quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.*

Pene innumera alia monumenta vide apud Tournely, Illmum Kenrick cæterosque.

Proba disciplinam cælibatus esse sacro ministerio convenientissimam.

Lex cælibatus est convenientissima.

R. Hoc erit probatum, 1°. si graves rationes hujusmodi legem exposcunt; 2°. si ita judicat legitima et sola, in præsenti materia, competens auctoritas. Atqui ita res sese habet. Ergo.

I, Hanc expostulant

Probatur min. pars prior. Rationes pro disciplina cælibatus militantes sunt graves et multiplices. Inter alias :

1°. excellentia cælibatus,

1°. Excellentia cælibatus absolute considerati, quem S. Scriptura et Traditio repetitis eximiisque laudibus extollunt, et qui per se statui matrimoniali anteponendus est, ut ostenditur N. 25 *De Matrimonio*. Si ergo inter homines dantur, quos cælibatus decore atque ornamento præfulgere decet, sunt sane ministri sacris Ordinibus insigniti, utpote præstantiorem gregis Christi portionem constituentes.

2°. sanctitas mysteriorum Religionis Christi,

2°. Sanctitas et puritas mysteriorum divinæ nostræ Religionis. Cum enim ad ministros sacros pertineat Sacramenta conficere, vel administrare, vel saltem ad conficiendum Eucharistiam, omnium Sacramentorum excellentissimum, propius concurrere, nemo non videt, maximam puritatem ac munditiem ad illa munia exercenda requiri. *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Isai. LII, 11. Et re vera, si a Sacerdotibus judaicis etiam quædam continentia exigebatur, dum munere suo fungebantur, *quanto magis,* ait Innocentius I, *Epist.* 3, *ad Exuperium*, cap. 1, *hi Sacerdotes et Levitæ pudicitiam ex die ordinationis servare debent, quibus vel Sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel a Sacrificiis divinis vel a Baptismatis officio vacent ?*

3°. Numerus et præstantia officiorum, quæ ad sacros ministros spectant sive ex justitia sive ex charitate, uti Sacrificium offerre, orare, præesse, docere, Sacramenta administrare, infirmorum et pauperum curam gerere, atque alia id genus opera. Illa tot ac tanta sunt, ut sibi totum hominem vindicent; et eo melius sacri ministri ipsis incumbunt, quo animam ab aliena sollicitudine affectibusque terrestribus liberiorem habent. Unde Apostolus Timotheum, II Tim. II, 3, admonens ut laboret sicut bonus miles Christi Jesu, subjungit: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus: ut ei placeat, cui se probavit.* Eodem sensu, I Cor. VII, 32, 33, 35, ait: *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est... Porro hoc ad utilitatem vestram dico... ad id, quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* 3°. numerus et præstantia sacrorum officiorum.

Probatur min. pars posterior. Auctoritas quæ de disciplinæ hujus convenientia judicat, ita ut *legem* circa cælibatum ecclesiasticum statuerit, est ipsa ac sola Ecclesia Catholica, illa nimirum Ecclesia quæ potestatem a Christo Domino accepit, ad discernendum ac determinandum ea quæ sacri ministri servare debent, ut Christum magistrum sequantur, ejusque opus in terra consummari curent. Ideo quoque a primis temporibus, ut vidimus, Ecclesia sacram hanc disciplinam ut pupillam oculi custodivit; Summi Pontifices omni modo eam stabilire et promovere semper sunt conati, ipsius osoribus constanter restiterunt, eosque uti *conspirationis fœdissimæ* fautores exhibuerunt. Sic Pius PP. IX, in Encyclica Qui pluribus, 9 Nov. 1846, ad quam remittit propositio 74ª Syllabi annexi Encyclicæ Quanta cura, supra jam citatæ. II. Probatur ex judicio Ecclesiæ.

Proba legem cœlibatus juri naturali non repugnare.

R. Ut cælibatus ostendatur juri naturæ contrarius, probari deberet, hunc statum in se non esse bonum neque honestum, et matrimonium omnibus ac singulis esse ex jure naturæ præceptum. Atqui neutrum probari potest. Ergo. Cælibatus non est contra jus naturale,

Non primum: nam rectæ rationi ac honestati utique quia in se

est bonus et honestus, consentaneus est status, in quo homo valedicit partis inferioris voluptatibus, ad finem sublimiorem obtinendum ; videlicet ut sacri ministerii officiis dignius fungatur, et purius liberiusque Dei cultui se devoveat.

nec omnes ac singuli tenentur nubere. Non secundum. Absurdum et populorum sensui contrarium esset, sustinere, quod præceptum Matrimonii omnes et singulos afficiat. « Est enim id præceptum » affirmativum, » ut ait Zallinger, « quod non corporis » duntaxat, sed etiam animi vires perfectionesque, » dein facultates pro educanda sobole poscit, itemque » aliis finibus præstantioribus a natura propositis, et » humano generi æque, imo magis utilibus suppleri » potest a multis, quin in tanto libidinum æstu, quo » uritur pars maxima, solitudinis periculum sit, aut » timeri debeat, ne deficiat humanum genus. » Hæc profert *Institutionum juris naturalis, lib.* 2, cap. 2, § 175.

Proba legem cœlibatus ecclesiastici non solum non adversari bono reipublicæ civilis, sed econtra maxima exinde commoda in ipsam profluere.

Ministri sacri reipublicæ civilis bonum maxime promovent, R. Veritas hujus propositionis perspicua fit, modo quis mente revolvat, plures functiones a sacris ministris in reipublicæ civilis emolumentum adimpleri ; et simul cœlibatum magnopere juvare ut isti variis nec raro ingratis operibus sedulo vacent. Atqui

1°. sacrificando et orando, 1°. Sacri ministri sacrificant, orant, non pro se solis sed etiam pro regibus, pro populi necessitatibus, pro pace et publica prosperitate.

2°. docendo, 2°. Docent universos, cujusque gradus in societate civili sint homines, ipsorum officia, quæ si implentur, nobilissimæ virtutes enascantur in republica et floreant, necesse est. Ecclesiæ ministri obedientiam ac venerationem prædicant erga cujuscumque ordinis superiores; justitiam, charitatem, benevolentiam erga subditos. Toti sunt in curando familiarum bono, quibus per instructiones et exhortationes, vim moralem et religiosam communicant. Ostendunt matrimonio junctis quanta religione servanda sit fides conjugalis, ac spiritus amoris fovendus tum erga invicem tum erga proles. Exinde totius societatis civilis felicitatem pendere, neminem fugit.

3°. Indefesso labore, ut experientia testatur, in omnis generis operibus charitatis occupantur : xenodochia, hospitalia, carceres adeunt ; miseros, ægrotantes, ab omnibus relictos invisunt ; moribundis, quocumque contagioso ex morbo decumbentibus, dies noctesque assident ; nullo denique etiam præsenti mortis periculo deterriti, fidelibus semper, ubique, prompte, hilariterque succurrunt : et ea quidem munia, præsertim curam animarum habentibus, ex justitia et officio incumbunt. Nonne talia mirifice in bonum publicum vergunt ?

3°. bonis operibus incumbendo :

Porro quum in iis exercendis cælibatus magnopere faveat sacris ministris, prout patet ex secunda thesi supra probata, ita quidem ut, ex disciplinæ hujusce defectu, sacræ functiones magnum detrimentum paterentur, vel etiam a clericis conjugatis sæpe sæpius, mortis præsertim timore, omnino negligerentur ; sequitur, quod lex continentiæ nedum reipublicæ bono adversetur, illud luculento modo promoveat atque amplificet.

et ea officia melius implent ministri cælibes.

Pro duabus ultimis propositionibus, varia utiliter legi possunt apud auctores præsertim modernos, qui ex professo et optime has et similes quæstiones juris naturalis ac politici pertractaverunt. Videsis, exempli causa, Zaccaria, *Storia polemica del celibato sacro;* De Maistre, *Du Pape,* lib. 3, cap. 3 ; Illmum ac Rmum Dnum Ludovicum Antonium Augustinum Pavy, Episcopum Algerianum, *Du célibat ecclésiastique.*

FINIS TRACTATUS DE SACRAMENTO ORDINIS.

APPENDIX

AD TRACTATUM DE SACRAMENTO ORDINIS.

I.

Decretum Eminentissimi ac Reverendissimi Domini ENGELBERTI S. R. E. Presb. Card. STERCKX, Archiepiscopi Mechliniensis,

DE SACRAMENTO ORDINIS.

(In Congr. Decanorum anni 1851.)

Quamvis Sacramentum Ordinis a solis Episcopis conferri debeat, circa illud tamen a parochis, aliisque Sacerdotibus, ac ipsis etiam fidelibus nonnulla præstanda sunt, quæ sequentibus articulis continentur.

I. In primis ut fideles concipiant debitam reverentiam erga tantum Sacramentum, ipsamque Ecclesiæ Catholicæ Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et ministris, ut ait Concilium Tridentinum, Sess. XXIII, can. VI, ipsis sedulo proponenda sunt quæ ea de re in Catechismo diœcesano continentur, additis etiam sequentibus argumentis, quibus in Catechismo Romano sacræ Hierarchiæ dignitas atque excellentia demonstratur.

1°. *Episcopi et Sacerdotes Dei interpretes et internuntii sunt, qui ejus nomine divinam legem et vitæ præcepta homines edocent et ipsius Dei personam in terris gerunt... Quare merito non solum Angeli, sed Dii etiam, quod Dei immortalis vim et numen apud nos teneant, appellantur.*

2°. *Potestas tum Corpus et Sanguinem Domini nostri conficiendi et offerendi, tum peccata remittendi, humanam rationem atque intelligentiam superat, nedum ei aliquid par et simile in terris inveniri queat.*

3°. *Quemadmodum Salvator noster a Patre, Apostoli et discipuli a Christo missi sunt; ita quotidie Sacerdotes eadem, qua illi, potestate præditi in opus ministerii mittuntur.* (Parte II, *De Ordinis Sacramento*, n. 2.)

II. Diligenter quoque docendum est neminem se ordini sacerdotali posse ingerere, sed a Deo vocari et a præpositis Ecclesiæ, post debitam probationem, admitti debere; nec ulli quidem christiano fas esse habitum ecclesiasticum assumere aut deferre, nisi assentiente Ordinario.

III. Cum summopere intersit ut nonnisi digni ordinentur, omnisque diligentia ad hoc adhibenda sit,

1°. Requirimus RR. DD. pastores et concionatores ut circa tempora ordinationum fideles interdum moneant ut jejuniis ab Ecclesia præscriptis fervidas quoque preces adjiciant ad eos rerum sacrarum ministros a Deo obtinendos, qui in opus ministerii et Ecclesiæ ædificationem maxime idonei sint.

2°. Commendamus omnibus ad quos spectat testimoniales litteras pro admissione in Seminarium tradere, ut illas sincere conscribant, et si quid eis inserere refugiant quod Nobis notum fieri debeat, illud secreto Nobiscum communicent, pro certo habentes eorum relationem perpetuo silentio apud Nos futuram.

IV. Juxta mentem Concilii Tridentini, Sess. XXIII, cap. V, *de reform.*, et Synodi provincialis Mechlinien-sis anni 1607, tit. 9, cap. 3, promovendi ad majores Ordines tempestive ante ordinationem coram populi frequentia in suis parochiis proclamandi sunt, tum ut fideles speciatim pro ipsis orent, tum ut si ob occultum defectum a sacris Ordinibus arcendi forent, res ad Nos statim deferatur.

Proclamationum testimonia a parochis conscripta ad Nos aut Seminarii Præsidem ante ordinationem mittenda sunt.

V. Nemo in Seminarium theologorum admittatur, nisi in minori Seminario disciplinis philosophicis et theologiæ ac Scripturæ sacræ elementis per biennium operam dederit, ac certa divinæ vocationis signa præbuerit. Ad studia vero philosophiæ sine speciali dispensatione nostra non admittentur, nisi qui in uno e minoribus Seminariis nostris aliove collegio ecclesiastico ut alumni interni, rhetoricæ saltem cursum absolverint.

De cætero pro admissione in varias Seminarii diœ-

cesani sectiones accurate servabuntur quæ Prædecessor noster Celsissimus ac Reverendissimus D. Franciscus Antonius Princeps de Méan præscripsit per litteras pastorales datas die 13 Octobris 1829.

VI. Pro præparatione tam remota quam proxima ad Ordines servabuntur omnia et singula quæ in Statutis Seminarii theologorum datis die 19 Augusti 1845 præscripsimus. Alumnos primo studiorum anno laudabiliter emenso, ad Tonsuram et minores Ordines; absoluto secundo, ab Subdiaconatum et Diaconatum; post tertium vero ad Presbyteratum admittemus.

VII. Cum minime deceat eos qui divino ministerio sunt adscripti cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, statuunt Ecclesiæ leges ut nemo, exceptis Religiosis professis, ad sacros Ordines promoveatur, nisi annuum reditum sive ex beneficio, sive ex patrimonio, sive ex pensione possideat, quo vitam honeste agere possit. Quocirca sequentia præcipue servanda sunt :

1°. Annuus ille reditus debet esse ad minus trecentorum francorum.

2°. Bona patrimonialia, super quibus ille reditus constituitur, debent esse immobilia, certa seu determinata, quæ detractis censibus aliisque oneribus ex peritorum judicio valeant ad minus quatuor millia francorum.

3°. Bonorum illorum æstimatio non committatur nisi viris peritis qui valorem ex veritate religiose testentur.

4°. Parochi de probitate ac sinceritate illius qui titulum concedit testimonium non conscribant nisi rem diligenter investigaverint.

5°. Tituli instrumentum in secretariatu nostro tempestive deponatur ac diligenter examinetur; transumptum vero apud se retineat ordinandus.

6°. Conformiter ad Synodum provincialem anni 1570 et 1607, quilibet ad Subdiaconatum promovendus in manibus Vicarii nostri Generalis juret quod titulum quem pro futura sua promotione exhibet, vere et sine fraude possideat, quodque illum non resignaturus vel alienaturus sit, nisi ei de alio sufficienti titulo sit prospectum; neque tunc quidem aliter quam cum scitu et consensu nostro.

VIII. Superiores Regularium in Diœcesi nostra commorantium, tempestive litteras dimissoriales ordinandorum suorum ad Nos mittant; quibus visis, diem et horam examinis indicabimus, aut, si ordinationem habere non possimus, testimonium mittemus cujus ope ab alio Episcopo ordinari valeant.

IX. Ad Ordines majores promovendi pridie ordinationis in sacellum nostrum convenient, ut in manibus nostris sub juramento emittant professionem fidei et promissionem servandi Constitutiones Apostolicas in materia Jansenismi et Quesnellismi latas, juxta formulare Alexandri VII.

Actum Mechliniæ in Congregatione Adm. RR. DD. Archipresbyterorum, die 20 Maii 1851.

† ENGELBERTUS, Card. Arch. Mechl.
De mandato Eminentiæ suæ.
A. Genneré, Secret.

II.

Decretum ejusdem Archiepiscopi circa proclamationes ordinandorum a parochis faciendas.

(Extractum ex Congr. Decanorum anni 1837.)

V. Decretum Concilii Tridentini, Sess. XXIII, cap. V, *de reform.* et Concilii Provincialis Mechliniensis anni 1570, tit. 2, cap. 1, et anni 1607, tit. 9, cap. 3, in usum revocantes, statuimus ut nomina eorum qui sacris Ordinibus initiandi sunt, deinceps in propria ecclesia parochiali die dominico semel proclamentur sub formula sequentis tenoris : « Dominus N. N. filius » N. et N. præparat se ut die.... mensis.... suscipiat » sacrum Ordinem Subdiaconatus (vel Diaconatus, vel » Presbyteratus); quare rogamus ac jubemus nomine » Illustrissimi Domini Archiepiscopi ut, si quod no- » veritis impedimentum ob quod ad sacros Ordines

» admitti non possit, illud tempestive nobis vel Illu-
» strissimo Domino denuncietis. »

Datum Mechliniæ sub Nostro signo ac Secretarii nostri chirographo, die 29 mensis Augusti anni 1837.

† ENGELBERTUS, Archiep. Mechl.
De mandato Illustrissimi ac Reverendissimi
Domini Archiepiscopi præfati.
A. Genneré, Secret.

INDEX

TRACTATUS DE SACRAMENTO ORDINIS.

Proœmium. 1
Decretum Concilii Florentini. 2
Canones Concilii Tridentini. 3

De Ordine generatim sumpto.

N. 1. *De notione vocabuli Ordinis.* 5

De Ordine sumpto pro Ordine hierarchico.

N. 2. *De Hierarchia ecclesiastica.* 6
N. 3. *De Hierarchia Ordinis.* 15

De Ordine sumpto pro ordinatione generatim.

N. 4. *De numero, divisione et officiis Ordinum.* 36
N. 5. *De Sacramento Ordinis.* 41

De diversis Ordinibus in specie et de Tonsura.

N. 6. *De Episcopatu.* 48
N. 7. *De Presbyteratu.* 55
N. 8. *De Diaconatu.* 64
N. 9. *De Subdiaconatu.* 71
N. 10. *De quatuor Ordinibus minoribus.* 77
N. 11. *De Tonsura clericali.* 82

De attactu materiæ remotæ et effectibus Sacramenti Ordinis.

N. 12. *De attactu materiæ remotæ.* 88
N. 13. *De effectibus Sacramenti Ordinis.* 91

De subjecto Ordinum.

N. 14. *De subjecto Sacramenti Ordinis.* 96
N. 15. *De requisitis ad licitam susceptionem Tonsuræ et Ordinum. Vocatio divina ;* 100
Confirmatio ; Ætas legitima ; 104
Debita scientia ; 105
Probitas vitæ ; 106
Status gratiæ ; Recta intentio ; 108
Immunitas ab impedimentis canonicis ; Subjectio Episcopo ordinanti ; Titulus sacræ ordinationis ; 109
Ordinibus prærequiritur Tonsura, et Ordini superiori Ordo inferior ; 116
Interstitia ; 117
Locus et tempus debitum. 119

De ministro Ordinum.

N. 16. *De ministro ordinario Ordinum.* 120
N. 17. *De ministro extraordinario Ordinum.* 130

De cælibatu.

N. 18. *De cælibatu ecclesiastico.* 132

Appendix.

I. *Decretum Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Engelberti S. R. E. Presb. Card. Sterckx, Archiepiscopi Mechliniensis, de Sacramento Ordinis.* 142
II. *Decretum ejusdem Archiepiscopi circa proclamationes ordinandorum a parochis faciendas.* 145

FINIS INDICIS.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN. — MDCCCLXVIII.

4971

236.7
D434

DENS, P.

AUTHOR

Tractatus de Sacramento

TITLE Ordinis et Matrimonii

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	STORAGE - CBPL	

4971